THEODORI RYCKII

AD

C. CORNELIUM

TACITUM

ANIMADVERSIONES.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM HACKIUM,
CIƆ IƆC LXXXVI.



THEODORI RYCKII
AD
C. CORNELIUM TACITUM
ANIMADVERSIONES.

Ad Breviarium Libri I.



. *Julio Druso Cæsare, & C. Norbano Coss.*] Ita expressi nomen *Drusi Cæsaris*, pro *Nerone Claudio Druso Cæsare*, quomodo in Justi Lipsii aliorumque Editionibus legitur. *Drusus* enim Tiberii filius, postquam pater in Juliam gentem adoptatus est, non dici magis *Claudius* debuit, quam Nero, in Claudiam adscitus, Domitius. Unde hic, cum a Britannico in salutatione sic vocaretur, pro injuria interpretatus est, narrante Tacito 12, 41. Atque hinc non male Onuphrio Panvinio dicitur *Drusus Iulius Ti. Aug. F. Divi Aug. N. Cæsar.* Et ejus filia hinc *Iulia* dicta: ut patet 3, 29, 3. 13, 32, 3. & 43, 3. apud Suetonium Claud. cap. 29. Senecam Apocol. quæ nisi adoptio patris inclusa fuisset avi, *Claudia* vocitata esset. Sed Lipsius & qui hunc sequuntur *Drusum* Tiberii filium, cum ejus patruo, Germanici patre, confundere videntur: nam hic appellatus *Nero Claudius Drusus Germanicus*, uti testantur nummi antiqui, tum Suetonius Claud. cap. 1. *Patrem Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit.* In eo tantum ab Onuphrio dissentio, quod pro prænomine accepit *Drusi* appellationem, cum cognomentum sit, uti indubitatum, Liviæ gentis cognomentum fuisse. Unde in Elegia de morte Drusi alterius:

Materni celeber nomine Drusus avi.

Drusi autem hujus avia Livia, Liviæ filius Drusus. Sed quodnam igitur huic *Druso* prænomen? *Cajo*, uti ex Suetonio claret Aug. cap. 93. *Infans adhuc, ut*

 scri-

scriptum apud C. Drusum exstat, repositus vespere in cunas a nutricula loco plano postera luce non comparuit; & diu quæsitus tandem in altissima turri repertus est, jacens contra solis exortum. Gerardus Vossius hunc *C. Drusum* inter incertæ ætatis reponit historicos & tamen Augusti aut Tiberii σύγχρονον suspicatur. Sed non est alius, quam *Drusus Cæsar*, in Oratione, qua Augusto parentavit. Idem Suetonius Aug. cap. 100. *Adhibito honoribus modo bifariam laudatus est pro æde D. Iulii a Tiberio:* & *pro rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio.* Ergo Tiberii unicus filius appellatus. *C. Iulius Drusus Cæsar.* Nec contra hæc facit, quod in nummis duntaxat DRUSUS CAESAR TI. AVG. F. appelletur: cum nomen gentilitium adoptivum in domus Cæsariæ nummis Latinis semper, prænomen sæpius omissum fuerit. Sed Tiberius aliquoties IULIUS dicitur in veteri Senatusconsulti tabula, quo cuncta Principibus solita Vespasiano decreta sunt. Denique hic ipse *Drusus* in Indice Coss. apud Dionem lib. LVII. Δροῦσος Ἰούλιος Τιβ. υἱ. τὸ β΄.

AD ANNALIVM

LIBRVM I.

C. CORNELII TACITI ANNALIUM LIBER I.] Philippo Beroaldo (qui primus ex Corbejensi codice quinque priores Taciti libros Romæ a. Ch. 1515 vulgavit, quorum ultimum Lipsius in duos dispescuit, postulante, ut rebatur, materiæ magnitudine) inscriptus primus Taciti Annalis, *P. Cornelii Taciti ab excessu Divi Augusti Historiarum liber primus.* Beatus Rhenanus, qui aliquot post hunc annis Basileæ Tacitum edidit simul cum quinque libris a Beroaldo primum publicatis mutavit prænomen, *Tacito* a Beroaldo inditum & loco *Historiarum* substituit *Annalium*, hoc modo: *C. Cornelii Taciti ab excessu Divi Augusti Annalium Liber Primus*, eodem tenore usque ad quon-

primum & vigesimum continuans. Rationes cur ita fecerit adducit potissimum duas, tum quod *Tacitus* ipse *Annalium* nomine libros hosce sæpe vocet, tum quod Budensis codex, in Italia Matthiæ Regis jussu quondam descriptus, quo ipse usus est, non juvet Beroaldi inscriptionem, quippe ἀνεπίγραφος; & propterea utrum Beroaldus in Corbejensi codice sic invenerit an excogitaverit ipse, dubitat. Rhenani inscriptio retenta est, donec Lipsius *Historiarum* libros ab *Annalibus* distingueret: postquam ita faciendum pluribus evicisset argumentis Marcus Vertranius Maurus. Igitur qui hactenus, *ab excessu divi Augusti Annalium Lib. XII*, Lipsio indigitatus *ab excessu Neronis Historiarum Liber I.* & sic porro: quod retentum deinceps omnibus huc usque Editoribus. Tamen altera adjectio a Beroaldo profecta, altera Lipsium auctorem habet. Codex enim Corbejensis nihil aliud pro capite habet, quam P. CORNELII TACITI, idque non eadem manu, sed alia recentiore exaratum. Florentinus Longobardicus a manu ante ducentos circiter annos scripta; *Cornelius Tacitus & opera Apuleji.* & ab alia hesterna: *Cornelius Tacitus a libro XI licet non a principio ejusdem libri usque ad XXII. Apuleji Platonici Madaurensis de Magia libri II. Ejusdem Metamorphoseon libri. Ejusdem Floridorum libri IIII.* Sed in undecimi fine literis Longobardicis: *Cornelii Taciti liber undecimus exp. incip. XII.* in sequentis: *Explicit Cornelii Taciti liber duodecimus. Incipit XIII.* & sic identidem in singulorum exitu. Meus MS. incipit: *Ex Cor. Taciti libro undecimo.* Omisi ergo lemmata alios quam Tacitum auctores habentia. Quod vero *Taciti* prænomen attinet, jam satis ex Sidonio & Farnesiano codice probatum *Cajum* vocitatum. De gentilitio nulla controversia. Duplex autem cognomentum Lapis antiquus tribuere videtur in Juliacensi agro, prope vicum cui nomen *Patteren*, repertus, in quo:

APOLLINI . . . . . .
RATIONATORIS HONORE
VSVRVS SECVNDVM
CORNELIVS VERVS TACITVS
EREXIT MONVMENTI LOCO.

publicatus nuper a Thoma Reinesio, a quo pariter ad Tacitum Historicum trahitur, qui sic dictus *C. Cornelius Verus Tacitus.* Suspicor autem in Lapidis lacuna fuisse GRANNO. Nam prope Muscolburgum in Scotia, reperta Inscriptio sequens numini huic a *Procuratore* pariter Cæsaris posita,

APOLLINI
GRANNO
Q. VOLUSIUS
SABINIA
NUS
PROC. AUG.
MAX

Et Apollinem *Granni* appellatione a Germanis cultum paret quinque agri Augustani Inscriptionibus a Marco Velsero publicatis, qui ab hoc nomine *Aquisgrano*, nobili in eodem agro, in quo monumentum hoc situm, opido inditum nomen erudite suspicatur.

I, I, I. *Urbem Romam a principio Reges habuere.*] Non temere factum videtur, quod ab hexametro Annales suos auspicatus Tacitus fuerit, cum Sallustius bellum Jugurthinum a spondiaco cœperit: *Bellum scripturus sum quod populus Romanus.* Romanam historiam ab hemistichio Livius; *Facturusne operæ pretium sim,* notante Quintiliano lib. IX. Instit. cap. 4. etsi alibi per incogitantiam versus Tacito excidisse verum sit.

I, 3, 3. *Destinari Consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat*] Scripsi *destinari* pro *destinare*, flagitante historia. Nam ipse Augustus non *cupiverat destinare* sive designare, quasi scilicet res secuta non esset, Cajum & Lucium Consules, immo ne *destinavit* quidem ipse, sed Senatus populusque Romanus in honorem Augusti hoc fecit, cum annum ætatis quintum decimum agerent, ipso Augusto teste, omni exceptione majore, in Lapide Ancyrano: cujus verba sunt apud Lipsium. Ergo *destinari*, non destinare, Consules cupiverat.

I, 3, 8. *Quinctilio Varo*] In nummo apud Occonem: P. QUINTIL. SEX. F. VARUS. Sed utroque modo scribunt Lapides.

I, 5, I.

1, 5, 1. *Et quidam scelus uxoris suspectabant*] Scelus Dio explicat lib. LVI.

1, 5, 2. *Et comite uno Fabio Maximo*] Ad hunc exstant Epistolæ Ovidii, lib. I. Epist. 2. lib. III. Epist. 3. ex Ponto.

1, 5, 4. *Neque satis compertum est spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit*] Vellejus, Suetonius, Dio dicunt Tiberium vivente adhuc Augusto reversum. Sed Velleji auctoritas, licet contemporanei, suspectæ fidei est, quia ubique fœdum in modum Tiberio adulatur : ceteri Velleji auctoritatem secuti videntur.

1, 5, 5. *Donec provisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum & rerum potiri Neronem fama eadem tulit*) Suetonius Aug. cap. 101. *Obiit in cubiculo eodem, quo pater Octavius, duobus Sextis Pompejo & Appulejo Coss. XIV Kal. Septembris hora diei nona.*

1, 6, 1. *Firmatus animo centurio*] Sallustius, quem solet Tacitus imitari, in Fragm. *Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.*

1, 6, 2. *Ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandocumque ipse supremum diem explevisset*] Jacobus Gronovius V. C. affirmavit mihi Codicem unicum, qui in Medicea Bibliotheca nunc asservatur, pro *quandocumque* habere *quandoque*. Quod Curtius Pichena, qui eo ultimus inter Editores usus est, tacuit. Sed uti Beroaldus pro mendo habuit hanc lectionem, quippe qui curavit primus edi *quandocumque*, quod a reliquis Editoribus deinceps retentum, ita Pichena eodem numero habuisse videtur. Nihilominus *quandoque* pro quando vel quocumque tempore usurpatum multis exemplis ex juris libris depromptis probat Antonius Augustinus lib. III. Emendat. cap. 7. ex optimæ latinitatis auctoribus I. F. Gronovius ad Livii lib. I. cap. 24.

1, 7, 2. *Sex. Pompejus & Sex. Apulejus Coss.*] Hi Coss. Dioni lib. LVI, συγγενεῖς τοῦ Καίσαρος Αὐγούστου. & Senecæ, de Tranq. an. cap. II. *Pompejo Cajus vetus cognatus* dicitur. Reinesius Ep. LXIX. existimat *Sextum* hunc *Pompejum* filium fuisse Sexti Pompeji, qui pace cum Augusto & M. Antonio constituta anno U. C. 715. M. Marcello filiam suam despon-

derit, & hanc affinitatem esse συγγένειαν Dioni memoratam. Sed affinitas non est cognatio: præterea nuptiæ cum Marcello non sunt subsecutæ: denique nusquam Sexto, Magni filio, tribuitur filius. Unde probabilius *Sextum* hunc, cum *Sex. F.* dicatur in Indice Coss. apud Dionem, filium fuisse Sexti Pompeji, qui Cos. cum L. Cornificio a. 719. qui cum juxta eundem Indicem item *Sext. F.* eo Sexto Pompejo procreatus videtur, quem Cicero * ut jureconsultum, geometram & philosophum Stoicum prædicat, fratre Cn. Pompeji Strabonis, qui Magni pater. ut Sextus qui Cos. a. 719. aut ex Vipsania aliqua, Agrippæ & Marcellæ majoris filia, aut forte ipsa Marcella minore, C. Marcelli & Octaviæ majoris filia, susceperit hunc *Sex. Pompejum*, qui Cos. a. 767. Idem de consanguinitate *Sex. Appuleji* dicendum videtur: qui cum pariter *Sex. F.* secundum eundem Indicem, probabile patrem habuisse Sex. Appulejum, qui Collega Augusti in V Consulatu a. 725.

* Bruto cap. 47.

I, 7, 4. *Neque abscedere a corpore: idque unum ex publicis muneribus usurpare*] Turbant hic Interpretes dum diversimode explicant illud *corpus*, a quo se non *abscedere* præfatur Tiberius, dum Senatum convocat. Vertranius de ordine explicat senatorio, ejusque se membrum per hæc verba profiteri Tiberium, putat, nec *corpus* hic accipi pro eo quod uno spiritu continetur & quod Græcis ἡνωμένον est, sed pro eo quod ex distantibus constat, ut infra *unum esse Reipub. corpus.* & hæc sententia etiam Ioanni Freinshemio placuit. Lipsius Vertranio contradicit & de *corpore Augusti* accipit, quoniam eadem locutio in simili honore Druso ab Augusto exhibito occurrit infra 3, 5, 2 *Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul Urbem intravisse.* Sed sequentia verba, *idque unum ex publicis muneribus usurpare*, quæ sic ad *corporis* custodiam referenda, quo illa etiam Lipsius detorquet, explicationi huic responsant. Melius Ioannes Henricus Boeclerus notavit verba hæc non tam respicere membrum proxime præcedens, quam continere partem edicti a Tiberio propositi, cujus summa: ideo a se indici Senatum, ut de parentis honoribus

con-

consuleret, nec aliud publici muneris, quo cogeretur a parentis corpore abscedere, præter hoc unum usurpare. Augusto enim Nolæ in Campania mortuo circa illud tempus, quo Tiberius ex Illyrico rediit, edictum hoc ab absente Tiberio propositum, qui propterea apposite significat se non *abscessurum ab* Augusti *corpore* nisi habendi Senatus caussa, eoque habito mox iterum illud comitaturum. Per plures enim dies in itinere id fuisse inter Nolam Urbemque Suetonius prodit Aug. cap. 100. *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt: noctibus propter anni tempus, cum interdiu in basilica cujusque opidi vel in ædium sacrarum maxima reponeretur: a Bovillis equester ordo suscepit, Urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit.*

1, 7, 8. *Inductam dubitationem*] Id est, omnia ejus verba velata hypocrisi, dum aliud diceret, aliud sentiret. Vir doctus mallet, *indutam dubitationem*: & sic alibi noster, *plurimum simulationis induere.* & *speciem judicii induere.* Sed vulgata lectio simili translatione blanditur. Parietes enim *induci* dicuntur qui incrustantur. Seneca ep. 115. *Miramur parietes tenui marmore inductos: cum sciamus quale sit quod absconditur.* Colores item in picturis. Plinius lib. XXXV. cap. 10. *Huic picturæ quater colorem induxit subsidio injuriæ & vetustatis ut decedente superiore inferior succederet.* Immo etiam calceus, apud Suetonium Aug. cap. 92. *si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextero induceretur.* Quin & transfert Cicero lib. III. de Off. cap. 3. *Sed cum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit, quæ autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem; non videtur ejusmodi debuisse deliberationem inducere, in qua quod utile videretur, cum eo quod honestum est comparetur.*

1, 8, 3. *Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo & plebi quadringenties tricies quinquies*] Expansa scriptura extuli, quod ante numeris. Ne autem erratum putes, audi Suetonium separatim efferentem, Aug. cap. 101. *legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies H-S.*

Legionariis autem & cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit] Copulativam interposui, motus Freinshemii rationibus. Recte enim infert vir doctus aut omnes legionarios fuisse sub cohortibus & tunc adjectionem supervacaneam; aut aliquos tantum & sic reliquos a liberalitate Augusti exclusos: utrumque autem falsum. Præterea multo ineptius addi *civium Romanorum*, quasi alii quoque in legionibus fuissent non cives. Per *cohortes* autem *civium Romanorum* idem in Notis ad hunc locum intelligit milites ex civibus Rom. conscriptos quidem, sed in legiones non distributos: quales per civilia bella sæpius introductas certo certius est. In Paraphrasi vero verba, *& cohortibus civium Romanorum* reddit, *urbanis nimirum & si quæ aliæ sub certis legionibus non continebantur.* Sed urbanas cohortes accepisse viritim quingenos nummos Suetonius & Dio auctores sunt.

I, 8, 6. *Remisit Cæsar adroganti moderatione*] Q. Lutatius apud Auctorem Originis gent. Rom. *qua pietate motos Achivorum principes remisisse ut reverteretur domum, atque inde omnia secum quæ vellet, auferret.* ubi *remisisse* est, permisisse.

I, 10, 3. *Divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere, laudatas*] Videtur hoc velle Tacitus divisiones agrorum ne ipsis quidem veteranis, qui illos cepere, laudatas; non Augusto, cui hæc dividendi provincia e Triumviris imposita; non etiam mensoribus, quorum opera dividendo hic usus est: & propterea videtur sequendum Mureti judicium *cepere* pro *fecere* hic reponentis.

I, 10, 8. *Qui Tedii & Vedii Pollionis luxus*] MS. unicus, Pichena teste, habet: *rite nuberetque Tedii & Vedii Pollionis luxus.* pro quibus Beroaldus edidit: *quæ Tedii & Vedii Pollionis luxus.* Rhenanus: *Q. Atedii & Vedii Pollionis luxus.* in Notis vero dicit se legere: *Q. Vedii Pollionis luxus.* Lipsius cum edidisset, *qui Tedii & Vedii P. l.* hæret incertus circa hunc *Tedium*, & modo interrogat utrum *Atedii* scribendum, qui Ciceroni dictus inter Cæsaris amicos lib. XII. ad Att. ep. 4. & 24. (ubi tamen Codd. scripti frequentius habent *Aledius* quam *Atedius*) modo an *Sex. Tedius Afer* intelligendus,

cujus

cujus memenit Suetonius Aug. cap. 27. Freinshemius edidit : *qui Atedii & Vedii Pollionis luxus.* Boxhornius : *Q. Atedii & Vedii Pollionis luxus.* Mihi in æque incertis longius a scripti codicis lectione recedere religio fuit. Fateor interim ex omnibus conjecturis nullam æque ac Freinshemii arridere, qui cogitandum subjicit an ex 12, 60. 5. ubi *Vedio*, cujus hic mentio, *Matius* jungitur, peti medicina possit. Etsi enim de *Matii* luxu non tam clara exstent specimina quam de *Vedii* (de cujus piscina videndi Seneca lib. III. de Ira cap. 40. & Plinius lib. IX. cap. 23.) paria tamen de eo suspicari possumus ex eo, quod tonsilia nemora ab hoc inventa scribit Plinius, lib. XII. cap. 2. *Primus Cn. Matius ex equestri ordine Divi Augusti amicus, invenit nemora tonsilia intra hos LXXX annos.* Unde forte scribendum : *Cn. Matii & Vedii Pollionis luxus.*

I, 10, 10. *Quædam de habitu cultuque & institutis ejus jecerat*] Similiter 2, 59, 3. *cultus habitusque* conjunguntur.

I, 11, 6. 7. *cum proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur*] Amicus tamquam excidisset aliquid, legebat : *jussit : quo opes &c.* Suetonius discrepare a Tacito videtur quod hunc libellum una cum testamento Augusti a virginibus Vestalibus illatum in Senatum refert Aug. cap. 101. *Testamentum L. Planco C. Silio Coss. III Nonas Aprilis ante annum & IV menses quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus partim ipsius partim libertorum Polybi & Hilarionis manu scriptum depositumque apud virgines Vestales cum tribus signatis æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in Senatu aperta & recitata sunt.* Ne autem putemus Suetonium de aliis voluminibus loqui quam de hoc libello, de quo Tacitus, & aliis nonnullis, ipse cavet paullo post : *De tribus voluminibus, uno mandata de funere suo complexus est : altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis quæ ante Mausoleum statuerentur : tertio breviarium totius Imperii, quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniæ in ærario & fiscis & vectigalium residuis. Adjecit & libertorum servorumque nomina a quibus ratio exigi posset.*

posset. Dio lib. LVI illatos scribit præter hos tres libellos adhuc quartum, in quo præcepta & consilia Tiberio & Reipub. data. qui appendix fuisse tertii videtur, quoniam Tacitus omnia quæ Dio his duobus contenta ait, uni suo adscribit. Duorum reliquorum mentionem facere Tacitus supersedit: Conciliari autem haud difficulter Tacitus & Suetonius possunt, si dicatur, libellum hunc in Senatum cum testamento ante exsequias quidem illatum verum non apertum lectumve, sed recitationem ejus in hunc Senatum reservatam.

I, 13, I. *Post quæ L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit*] Hic L. Arruntius Cos. fuit sub Augusto a. 759 cum M. Æmilio Lepido: non 732 uti Lipsius putat, eumque secutus Gerardus Vossius. Quoniam iste L. Arruntius, qui Cos. cum M. Claudio Marcello Æsernino minimum æqualis aut coætaneus Augusti fuit, & fortasse natu grandior: pace enim facta inter Triumviros & Sex. Pompejum patriæ per Sextum cum aliis illustribus viris, qui ad hunc confugerant, restitutus est a. 715. ut testatur Vellejus lib. II. cap. 77. L. Arruntius autem de quo hic sermo mortem sibi conscivit a. 790. ut scribit Dio lib. LVIII. Unde consequens, si hic idem qui ad Sex. Pompejum confugerit, centenario minorem non fuisse cum semet interficeret; quod cum nemo tradat & haud quaquam verisimile, propter illa quæ de eo prodit Dio, diversos esse consequitur. Et probabile qui a. 732 Cos. patrem fuisse illius, qui Consulatum administravit a. 759. de quo hic sermo est. Hinc Auctor juniorem facit Asinio Pollione & Valerio Messalla, 11, 6, 4. *Meminissent C. Asinii & M. Messallæ, ac recentiorum Arruntii & Æsernini.* Uter autem horum historiam belli Punici stylo Sallustiano composuerit ut testatur Seneca ep. 114. certo dicere non possum: videtur tamen ultimo magis convenire, quem Auctor cum aliis virtutibus tum *artibus egregiis* illustrem, & oratorem prodit.

I, 13, 2. *M. Lepidum dixerat capacem, sed aspernantem*] Ita hic lectum in omnibus Editionibus ante Lipsium. Verum hic ad 3, 35, I. notat duos

Lepidos

Lepidos in Tiberii historia occurrere alterum *Manium* prænomine, alterum *Marcum.* Manium, Lepidæ, quæ damnata 3, 22, 2. fratrem prudentem, gravem, sævis aliorum adulationibus adversum: Marcum ignarum, socordem. Itaque se reponere ubique Manium in eo Lepido qui in *Senatu* & in Urbe. Hanc Lipsii sententiam in Editionibus suis secuti sunt Pichena & Freinshemius. Apud quos hoc loco, ut in multis aliis, propterea legas, *Manium Lepidum.* Verum hanc Lipsii observationem erroneam esse & rem contra se habere evicit nuper Christophorus Rupertus *. Quare primitivam lectionem & hoc & reliquis locis, unde mota erat, restituimus. Idem hic fieri curavit I. F. Gronovius.

* Reines. Ep. 60.

1, 13, 7. *neque tamen periculo talis viri mitigatus est*] *Talis* ad laudem potius quam opprobrium. Sic 4, 39, 5. *nam sibi multum superque vitæ fore, quod tali cum Principe explevisset.* Cicero Philipp. IX. cap. 7: *cum talis vir ob Rempub. in legatione mortem obierit.*

1, 15, 2. *Et Senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos*] Locus hic ita redditur a Freinshemio in Paraphrasi: *Senatus autem lætatus est, quod hac ratione liberaretur a donis & sordidis precibus, quibus animum plebis sibi conciliare tenebantur, qui honores petebant, Tiberius etiam suæ potestati hunc modum posuit, ut ne plures quam quatuor candidatos annuis comitiis commendaret Patribus, qui certo reciperentur sine metu repulsæ & necessitate ambitus, quo candidati solebant circumire præcipuos Patrum eosque rogare ut sui rationem haberent.* Mallem in ultimis verbis scripsisset vir doctus: *quo candidati ut ante solebant circumire populum eumque rogare, ut sui rationem haberet. ita nunc prensaturi erant Patres.* Cum enim eo ipso tempore, quo e campo *comitia ad Patres translata sunt*, scribat a Tiberio constitutum *ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos*, minus commode παραφράζει, *quo candidati solebant circumire præcipuos Patrum.*

1, 17, 4. *denis in diem aßibus animam & corpus aßi-*

æstimari] Hic locus quæstionis nobilissimæ sedes, quantum stipendium militis apud Romanos; quam Erycius Puteanus, & Rabodus Hermannus Schelius singularibus Dissertationibus, I. F. Gronovius lib. III. de Pec. Vet. cap. 2. tractarunt. Quorum lucubrationibus patet decem asses in moneta Batavica æquiparari obolis sive *stuferis* tribus, & chalcis sive *dentis* sex.

I, 17, 7. *An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent*] Lipsius notat Dionem cum his verbis pugnare, quoniam lib. LIII prætorianos tradit habuisse duplum illius, quod legionarii habebant, videlicet asses XX. cum hic dicantur habuisse denarios binos sive asses XXXII. Sed egregie nodum hunc solvit I. F. Gronovius, docendo utrumque obtinuisse diversis temporibus.

I, 22, 3. *Responde Blæse, ubi cadaver abjeceris?*] Tantundem est ac si dixisset: *ubi est locus, quo abjeceris?* cujusmodi ellipsibus Taciti dictio plena est.

Dum interfectos nullum ob scelus &c. hi sepeliant] Scilicet milites, quos manu ostendebat.

I, 23, 4. *cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant*] *Vocabulum* hic cognomentum jocosum, ut I, 41, 4.

I, 26, 4. *An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse.*] Alio modo occurrunt milites rejectioni, qua Tiberius in epistola fuerat usus, dicendo iniquum sane præmia sub tristi tot dominorum custodia tarda & incerta esse: pœnas in promptu, & cujusvis centurionis arbitrio infligi: neque illis quemquam aut legem ponere aut modum. *Dominis* in malam partem, ut tunc adhuc, quoties regnantibus applicaretur. Suetonius Aug. cap. 53. Tib. cap. 27.

I, 31, 1. *daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturus.*] Freinshemius malebat *tracturis*, quasi Tacitus indicare voluisset legiones vires suas intellexisse: & sequentia sensum hunc non improbant: jactant enim, *sua in manu sitam rem Romanam*. Præterea statim subjicit Tacitus de harum legionum viribus. Tamen & vulgata lectio commodum fundit sensum. Nimirum speravisse legiones, ut mortuo

nunc

nunc Augusto Germanicus, cupiditate aliqua Imperii sollicitatus, mallet sibi ipse Imperium adserere, quam alium Imperatorem ferre, cum hoc ipsi facile factu foret, *vi sua cuncta tracturus*, modo opera legionum nihil magis optantium uti sustineret.

I, 31, 3. *orto ab unetvicesimanis quintanisque initio*] Ita Lipsius hic & alibi dedit ex Antonini Itinerario. Ed. Beroaldi, *undevicesimanis*. Quod tuetur Cluverius argumento versuum antiquorum cum Inscriptione sequenti:

FORTISS. MIL. V. ET XIX. LEG.
QUORUM OPERA FORTITER VETERA
CASTRA DEFENSA SUNT
POLIANDRION.

Huc reduces olim post tempora longa reversas
Senserat ire aquilas legio undevigesima, cujus
Hæc Veterum manes castrorum hiberna tuentur.

I, 31, 5. *In suum cognomentum adscisci imperatores.*] Per *imperatores* hic non intelligendi *Principes*, sed duces exercituum, ex domo Cæsaria, qui tunc adhuc imperatores salutabantur. Supra h. l. 3, 2. *Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit.* De his enim verum est, quod hic milites imputant. Nam peculiari Senatusconsulto datum erat hoc nomen Druso Tiberii fratri, nec ipsi tantum verum & posteris ejus. Suetonius Claud. cap. I. *Præterea Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit & Germanici cognomen ipsi posterisque ejus.* Hoc hic respiciunt milites: & ejusdem meminit etiam Dio lib. LV. Mirum quantopere hic æstuent Interpretes. Post Tiberium omnes ferme Principes hoc cognomentum adsumpsere: & propterea Lipsius mallet *imperaturos*, sed talis oratio parum conveniens militibus, sub Tiberio verba hæc facientibus.

I, 32, 2. *repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt*] Rescripsi *destrictis* hic & alibi pro *districtis*, quomodo ante legebatur secutus judicium

cium I. F. Gronovii sic edentis & ubique scribendum docentis. Vide H. 2. 64, 1. *Invadere* autem *in centuriones*, ut *invadere in hostem*, 1, 67, 3.

1, 32, 3. *Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent.*] Pichena verba hæc eo trahit, quasi illis traderetur sexaginta milites ab uno centurione fuisse rectos sive sexaginta milites in quolibet ordine siue centuria militasse. Et quamquam temporibus Polybii hoc obtinuerit, (hic enim unicuique generi in legione tribuit milites mille ducentos, triariis exceptis; toti autem legioni quatuor millia & ducentos, lib. VI.) tamen his temporibus numerosiores fere legiones erant. Neque hoc quod Pichena ponit ex Taciti verbis non magis sequitur quam *manipulum* continere sexaginta milites, quod Ferretus affirmat ad 14, 59, 3. quoniam totidem milites Tacitus abusive *manipulum* vocat. Videtur Auctor indicare voluisse nihil aliud quam milites per tragicum quendam lusum secrevisse ex qualibet centuria homines sexaginta, qui unum centurionem occiderent: ut quemadmodum quilibet miles sexaginta centurionum (tot enim in singulis legionibus erant) verberibus ante obnoxius fuisset, ita singuli nunc centuriones a sexaginta pariter militibus vapularent.

1, 32, 7. *Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus quod neque disjecti, vel paucorum instinctu*] MS. unicus: *quod neque disjecti, nil paucorum instinctu.* Unde Rhenanus fecit: *quod neque disjecti vel paucorum instinctu.* quod Freinshemius in contextum recepit. Alius vir doctissimus inde iterum ejecit reposito primitivo *nil*: qui tamen fatetur lectionem hanc cubare in vitio, quia τὰ *neque* & *nil* non respondent, sicuti nec Rhenani *neque* & *vel.* Ipse autem tentat: *nusquam distracti, nil paucorum instinctu.* Sed Hugo Grotius accedit propius ad archetypi Cod. scripturam pro *nil* reponendo *nec.* quod propterea margini apposui. *Disjecti* autem sollicitandum non videtur. Auctor enim tacitam hic instituit comparationem, inter Pannonici exercitus tumultum, & hunc Germaniciani, ostenditque hunc multo fuisse graviorem; primo quod ortus non inter *disjectos* & sparsos, ut ibi:

ibi : deinde, quod non ab uno aliquo & altero, ut istic, sed pariter ab omnibus cœptus. *Disjecti* sic 3, 2, 5. 4, 46, 3. & alibi, apud Iulium Obsequentem cap. 109. *Signa aurata Iovis cum capite columnaque disjecta.*

1, 35, 2. *Vallum, fossas; pabuli, materiæ, lignorum adgestus*] Boxhornius monitum se ab illustri viro ad hunc locum scribit vix dubitandum, quin vox *lignorum* e margine textui inserta sit, quippe quæ interpretatio vocis *materiæ.* Mihi contra res diversæ per hæc significari videntur: per *materiam* trabes & stipites ingentes, qualibus ad ædificandum utimur, per *ligna* vero virgulta & vimina & alia ligna, quibus in foco utimur. Hirtius de bello Afric. cap. 20. *Cæsar interim castra munire diligentius præsidia firmare majoribus copiis* &c. *Officinas ferrarias instruere sagittasque & tela uti fierent complura, curare, glandes fundere, sudes comparare, literas in Siciliam, nunciosque mittere, ut sibi crates materiemque congererent ad arietes, cujus inopia in Africa esset.* De *lignis* quod dixi confirmat Varro lib. V de L. L. *a legendo ligna quoque, quod ea caduca legebantur in agro, quibus in focum uterentur.* Eandem differentiam agnoscit Ulpianus l. 55. D. de Leg. III.

1, 35, 6. *ferrum a latere deripuit, elatumque deferebat in pectus*] Livius lib. 1. cap. 40. *Dum intentus in eum se Rex totus averteret alter elatam securim in caput dejecit.*

1, 43, 3. *iisdem istis commilitibus, quos jam pudor & gloria intrant, eluant hanc maculam,*] Ita locum hunc edendum curavi, cum hactenus in omnibus Editionibus: *iisdem istis cum militibus.* nullo sensu. Ita autem omnino legendum pridem monuit Grotius, nec persuasit tamen succedentibus Editoribus: quoniam suspecta vocis minus obviæ latinitas, quam ipse exemplis non adstruxerat. Suppleamus igitur hunc defectum & recuperatorio judicio vocem hanc in civitatem adseramus. Cæsar lib. II. de B. C. cap. 29. *Civile bellum, genus hominum, quod* (cui) *liceret libere facere, & sequi, quod vellent, legiones hæ, quæ paulo ante apud adversarios fuerant.* (*nam etiam Cæsaris beneficium mutaverat consuetudo,*) *quæ offerrentur municipia etiam diversis partibus conjuncta:* *neque*

neque enim ex Marsis Pelignisque veniebant, ut qui superiore nocte in contuberniis, commilitesque nonnulli graviores sermones militum vulgo durius accipiebant, nonnulla etiam ab iis qui diligentiores videri volebant fingebantur. Ita legitur in Editione Ioannis Jucundi Veronensis, a. 1519 Lugduni procurata, qui conquisivisse tota Gallia exemplaria atque ad illa summa fide & diligentia se emendasse Cæsarem ad Julianum Medicem scribit. Nec in hac tantum *commilitesque* non *commilitonesque*, ut in vulgatis aliis, legitur, verum & in Romæ a. 1469 edito exemplari, uti me docuit Ioannes Georgius Grævius, vir quo nec melior, nec eruditior, nec mihi amicior. Nec hoc tantum, verum & duos Codices calamo exaratos, quorum alter Lævini Torrentii quondam fuerat, ante sexcentos minimum annos scriptus, sic habere significavit. Testaturque Ciacconius in MS. Carrariensi sic inveniri, item in plerisque Edd. antiquis. Nec apud Plinium lib. XXXVII. cap. 2. etiamsi Codd. a Budæo inspecti, item is qui in Bibliotheca hujus Academiæ asservatur pro *commilites* habeant *milites* propterea statim ita corrigendum est. Forte enim plures & antiquiores MSS. vocem quam Edd. præferunt habent. Ut ita judicem partim analogia facit: quemadmodum enim *conservus*, *conserva*, *consponsor*, *confidejussor*, *contiro*, *commanipularis* & sexcenta hujusmodi, ita *commiles*: partim Glossæ Philoxeni, in quibus: Συνστρατιώτης, *commiles.*

1, 44, 6. *haud multo post in Rhætiam mittuntur,*] In Lapidibus antiquis apud Gruterum, Manutium, Reinesium, RAETI scribuntur cum diphthongo sine adspiratione: unde sic deinceps correximus.

1, 53, 3. *Inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus.*] Vir doctus ad hunc locum ait sibi displicere hanc lectionem: quoniam Rhegium non adeo remotum est ab urbe domina, ut si illic nota publice foret fama necis, illa tardius Romam perveniret: ac propterea putat rem ipsam velle ut legatur, *longinquitate exuii:* quod explicat, Tiberium, quoniam non subito eam peremisset sed quasi lentis & tabificis venenis, speravisse

visse ut fraus lateret. sed quo minus hoc ita videatur plures rationes sunt. Primo enim *longinquitas exitii* pro tarditate & lentitudine paullo insolentius dici videtur. Sed ponamus non offendere translationem, non per tantum temporis spatium Julia tabe hac laboravit, ut hæc morbi ipsius mora & lentitudo impedire potuerit, quominus homines crederent a Tiberio illam peremptam. Mortuam enim vix mensem unum post patrem ex serie rerum quas servata temporis ratione Tacitus narrat, colligere est. In capite enim sequenti *ludos Augustales tunc primum cœptam*, ait, *turbavisse discordiam*: qui juxta Kalendarium vetus celebrati IV Idus Octobres. Augustus autem mortuus XIV Kalendas Septembres, teste Suetonio Aug. cap. 100. Unde efficitur Juliam ut plurimum mense uno post Augustum fato suo functam. Sensus igitur: Iuliam ex tabe mortuam, cujus auctor Tiberius, interficiendo filio ejus unico residuo Agrippa Postumo, subtrahendo ipsi necessaria, claudendo eam domo. Suetonius Tib. cap. 50. Nihilominus hunc licet tam duriter eam haberet speravisse hoc homines Romæ non animadversuros propter distantiam quæ inter Urbem & Rhegium intercedit cccxx scilicet milliarium. Unde fiebat ut Romani minus observare possent, quid Rhegii ageretur, & Rhegini artium aulicarum imperiti nec satis pervidentes quid apud se ageretur, minus Romam commearent. Fatendum tamen juxta hanc explicationem invidiosius dici Juliam *tabe longa* a Tiberio peremptam.

I, 53, 8. *qui famam cædis posse in Asprenatem verti, frustra speraverat*] Videtur rectius *speraverit*, ut Freinshemius monuit: sic enim ex persona eorum, qui non Roma interfectores Sempronii, sed ab Asprenate missos tradidere, hæc dicentur; non Taciti.

I, 54, I. *Idem annus novas cærimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio*] supple, reliquis sacerdotiis. Suetonius Claud. cap. 23. *Capiti Poppææ legis a Tiberio, quasi sexagenarii generare non possent, addito abrogavit.*

Ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat] Maxima Interpretum pars

ad

ad hunc locum Tacitum accusant oscitantiæ quod originem sodalium Titiorum quam hic tribuit Tatio, H. 2, 95, 2. Romulo adscribat. Tamen adduci vix possum ut talis curæ ac dignitatis scriptorem tantopere sui oblitum credam, ut cum hæc scriberet ignorarit quid olim in Historiis, illæ enim prius scriptæ, de his prodidisset. Ac propterea probo Pichenæ conciliationem conjicientis Tatium quidem instituisse hos sodales, sed eosdem postea a Romulo, Tatio mortuo, in memoriam ejus sacratos.

I, 55, I. *Druso Cæsare, C. Norbano Coss.*] C. Norbanus C. F. Flaccus in Ind. Coss. apud Dionem, unde patet filium fuisse C. Norbani Flacci, qui in Fastis Capitol. ad a. 719, ex Hispania triumphasse dicitur. Hujus frater Lucius Cos. cum M. Silano a. 772. 2, 59, I.

I, 57, 3. *quippe anno quo Germaniæ descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles*] Annus hic indicatur a Vellejo: nam cum de adoptione Tiberii egisset, subjicit eum statim ab Augusto in Germaniam missum, ubi ante triennium immensum exarserat bellum, lib. II. cap. 104. *Non diu vindicem custodemque imperii sui morata in urbe patria, protinus in Germaniam misit, ubi ante triennium sub M. Vinicio avo tuo clarissimo viro immensum exarserat bellum.* Adoptatus autem est Tiberius Sex. Ælio Cato, C. Sentio Saturnino Coss. a. 757. Desciverunt igitur Germaniæ C. Cæsare, L. Æmilio Coss. a. 754.

I, 58, 5. *si pœnitentiam quam pernitiem maluerit*] Amicus malebat, *maluerint.*

I, 59, 5. *Hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas & secures & togam viderint*] Nullus bonus sensus exsculpi potest ex his verbis: per *hominem* enim Segestes designari, ut Boxhornius putat, nullo modo potest, quoniam oratio sic redditur ἀνακόλουθος. quare nullum dubium, quin mendum loco huic inhæreat, quod ex omnibus Interpretibus nemo facilius atque commodius Grotio sustulisse mihi videtur, rescribente *homines* pro *hominem*, optimo sensu & loquendi genere perquam Latino. Sic *homines prisci Latini* apud Livium lib. I. cap. 32. *homines Galli*

li apud Cæsarem lib. II. de B. G. cap. 30. *Excusaturos* autem, id est, deleturos hanc nominis sui maculam, quod &c.

1,59,6. *nescia tributa*] passive, incognita. 16,14,2.

1, 63, 1. *Campumque, quem hostis insederat, eripi jubet*] Ita Silius lib. VII. v. 434.

Quid Tyriæ classes ereptaque littora nobis
Portendunt?

1, 68, 2. *Igitur orta die, proruunt, fossis injiciunt crates, summa valli prensant*] Ante hic legebatur: *proruunt fossas, injiciunt crates.* Sed cum *proruere* proprie dicatur de rebus quæ dejiciuntur & solo æquantur cum ante essent elevatæ & erectæ supra terræ superficiem, (unde 14, 61, 1, *Effigies Poppææ proruunt.* H. 3, 22, 3. *hostem proruere.*) *fossæ prorui*, dici non possunt; impleri, expleri, repleri possunt, quando terram effossam recipiunt. Hoc cum jam olim animadvertisset Hadrianus Turnebus lib. II. Adverf. cap. 3. monuit unico elemento mutato scribendum ut edidimus. Etsi enim Lipsius neget assentiri se Turnebo, rationem tamen cur assensum continuerit dare neglexit, multo minus explicavit quomodo *fossæ prorui* dici possint. Alius vir doctus ideo se Turnebo accedere non posse subindicat, quoniam non meminerit uspiam a se lectum *proruere* pro impetum facere, incurrere. Mihi nihilominus tam vera visa hæc Turnebi lectio, ut eam sequi non dubitaverim Freinshemii judicio ante etiam probatam. *Proruunt* enim hic nihil aliud quum erumpunt, prorumpunt; scilicet ex saltibus in quibus per noctem egerant. Sic Terentius etsi transitive Eun. 3, 5, 51.

Vix elocuta est hoc, foras simul proruunt se.

Simplex *ruere* sic occurrit 6, 35, 2. *Fossis* autem *injectas* ait *crates*: intellige repletis ante fascibus & levi materia superinjectas tabulas vimineas, ut per illas veluti per pontes transire possent & vallum deinceps scandere.

1, 69, 1. *ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset*] Lipsius putat pontem hunc fuisse apud Treviros, quoniam Agrippina discedens a marito tumultu militari in Treviros profecta 1, 40, 3. & 41, 2. Sed inde non sequitur Agrippinam ibidem

dem adhuc hæsisse, cum fama circumventi exercitus Cæcinæ differretur. Nam cum hæc mirifice virum amaret nec pateretur temere se ab eo divelli, ut ostendunt itinera, quæ cum eo per Gallias, Germaniam, Syriam, Armeniam, Ægyptum fecit, quid dicemus in caussa fuisse, cur tam diu apud Treviros manserit, cum maritus esset alibi? an puerperium, vicina enim erat partui, cum a Germanico amandaretur? Non potest. Hæc enim Germanici expeditio in Cheruscos contigit æstate a. 768. Præcesserat enim hanc alia in Cattos initio veris ejusdem anni, 1, 55, 1. Agrippina autem profecta fuerat in Treviros ante hiemem a. 767. & tum vicina erat partui 1, 44, 2. Ergo puerperium in caussa non fuit. Elapsi enim ab illo Agrippinæ itinere ad hoc tempus novem aut decem minimum menses. Si autem hoc certum non est, ergo neque illud de ponte. Probabilius pontem hunc apud Vetera fuisse: ubi castra hiberna quintæ & unetvicesimæ legionum, quæ in Cæcinæ erant exercitu. Primo quoniam Cæcina circumventus ad Luppiam apud Pontes longos, huic autem tum nullus Rheni pons vicinior, quam qui apud Vetera, atque ita circumventi exercitus fama prius venit ad castra hiberna apud Vetera, quam ad ulla alia in Rheni ripa. Præterea ex ipsa Taciti narratione abunde colligere est non fuisse in Treviris tunc Agrippinam, cum miles Cæcinæ rediret in hiberna. Nam ut paullo post: *militibus ut quis inops aut saucius vestem ac fomenta dilargita est.* Recens igitur adveniebant isti milites. Denique quatuor legiones, quas ducebat Cæcina, distributa erant per duo castra hiberna inferioris Germaniæ, quorum una apud Vetera, altera apud Bonnam. Apud Vetera tendebant, ut jam dixi, quintani unetvicesimanique 1, 45, 1. apud Aram Ubiorum primani vicesimanique, 1, 39, 1. 2. Moguntiaci & in Treviris aliæ legiones hiberna habebant. Ergo pons, de quo hic sermo, fuit aut apud Bonnam, aut apud Vetera, non vero in Treveris. sed apud Bonnam non fuisse clare ex itinere, quod Cæcina fecit, colligitur: reliquum igitur, apud Vetera fuisse.

1, 69, 4. *tamquam parum ambitiose filium ducis*

gregali

gregali habitu circumferat] H. 2, 5, 1. *Veste habituque vix a gregario milite discrepans.* de Vespasiano.

1, 70, 4. *nihil strenuus ab ignavo, sapiens a prudenti, consilia a casu differre*] Locus aperte corruptus. Lipsius putat scriptum fuisse a Tacito, *sapiens ab imprudenti.* & revera tale quid sensus postulat. Pichenæ tamen *insciens a prudenti* minus placet quoniam est contra ordinem, quem in his oppositis Tacitus secutus est, debuisset enim tunc pariter dixisse *nihil ignarus a strenuo, casus a consiliis.* quare Freinshemii, aut potius Pompeji Lampugnani, ejusve, qui sub hoc latet nomine, conjectura ante omnes placet, *sapiens ab rude, nil consilia* &c. quam propterea in margine apposui. Idem enim numerus literarum in hac lectione, qui in vulgata deprehenditur. Nam ante Freinshemium ita divinasse Pompejum Lampugnanum colligo ex Lipsii Dispunctionibus: nam ita esse in Mirandulano codice, aut potius Mirandulanum codicem sic habentem exsistere, aut unquam exstitisse, ut videri voluit iste Pompejus dudum inter eruditos nemo credidit.

1, 70, 6. *penetratumque ad amnem Visurgim, quo Cæsar classe contenderat*] Locus sine dubio mendosus. Nam Vitellius duas legiones sibi a Germanico commissas ducebat ab Amisiæ ostio versus Australem sinum, qui tunc habebatur & revera etiam erat, uti adhuc est, unum ex Rheni ostiis. Non potuit igitur penetravisse ad amnem *Visurgim*, sic enim petiisset Germaniam & Codanum sinum, non Galliam & Rhenum, ubi erant legionum hiberna. Lipsius cum in prima editione animadvertisset hoc mendum, totum hoc vocabulum in spongiam trudebat legebatque: *penetratumque ad amnem, quo C.* per amnem vero intelligebat Rhenum, sive potius, istum Rheni alveum, qui hodie *Isala* dicitur. sed in ultima se correxit & pro *Visurgim* ostendit legendum *Vidrum.* Nihil verius hac conjectura: nisi quis Tacitum errasse malit credere. Quod nemo dicet qui eum legerit: sæpius enim meminit Visurgis, sed eo semper loco, ubi adhuc hodie est. Legendum igitur: *penetratumque ad amnem Vidrum, quo C. Vidrus*

drus est ille fluvius, qui hodie *Vechta* dicitur & apud Gelmudam in sinum Australem labitur. Certe Ptolemæo lib. II. cap. 11. statim post ostia Rheni enumerantur Οὐίδρυ ποταμοῦ ἐκβολαί. post ostia *Vidri*, Ἀμασίου ποταμοῦ ἐκβολαί. tum Visurgis, tum Albis. Ex quo ordine clare constat *Vidrum* antiquorum hodierni temporis *Vechtam* esse. Mirum autem Cluverium lib. III. German. Antiquit. cap. 17. non vidisse hanc Lipsii retractationem: plane enim ibi contra eum disputat docetque non delendum *Visurgim* quod ante voluerat Lipsius, sed inde faciendum *Vidrum*. Lipsius tamen obiit a. Ch. 1606. cum proxime superiore anno secundas curas in Tacitum evulgasset. Cluverius Germaniam suam primum edidit a. 1615.

1, 72, 5, *Pompejo Macro Prætore*] Qui frater Pompejæ Macrinæ, de qua 6, 18, 3. ubi vide.

1, 73, 1. *ut quibus initiis, quanta Tiberii arte, gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit, cunctaque corripuerit, noscatur*] Lipsius existimat repressionem, cujus hic meminit Tacitus, factam a Vespasiano & Tito, qui primi inhibuerunt sustuleruntque delationes, & arsisse illas iterum sub Domitiano, qui telo illo passim ad sæviendum usus est. Sed mihi spatium illud temporis præter Taciti mentem ita extendi videtur: nam si attendimus, is non loquitur, nisi de Tiberii temporibus, qui repressit & inhibuit aliquatenus delationes, quam diu bonum simulavit Principem, vivente scilicet Druso, ipsius filio, post cujus mortem mutari demum in deterius & in omne genus sævitiæ labi cœpit. Repressit autem accusandi licentiam, cum quæri vetuit in aulicos equitesque & Senatores, qui opibus sustentasse & consiliis juvisse suppostitium Agrippam dicebantur, 2, 40, 7. veramque esse hanc interpretationem clarissime e Dione cognoscitur lib. LVII.

1, 73, 2. *Rubrio crimini dabatur* violatum perjurio nomen Augusti] Malim cum Freinshemio legere *numen*. sic enim solebant loqui. Suetonius Calig. c. 24. *Nec unquam postea quantiscumque de rebus ne pro concione quidem aut apud milites nisi per numen Drusillæ dejeravit*. Dio lib. LVII. καὶ ἐγκληθέντας

τινὰς

τινὰς ὡς καὶ ἐπιωρκηκότας τὴν τύχην αὐτοῦ ἀπέλυσε. *accusatos nonnullos, quod per ipsius fortunam pejerassent, absolvit.*

1, 73, 3. *Quæ ubi Tiberio notuere, scripsit Consulibus*] Lipsius hic errare Dionem scribit, dum fine lib. LVII Tiberium ait voluisse damnari eum, qui statuam cum hortis vendidisset: sed obstitisse pudorem, quia primus a Consule sententiam rogatus esset. Sed Dio diversam ab hac historiam narrat, quippe quæ contigerit anno Tiberii decimo, cum quæ hic narratur, facta sit secundo. Præterea non hortos Dio venditos ait cum statua Augusti, sed domum.

1, 74, 1. *Nec multo post Granium Marcellum Prætorem Bithyniæ*] Iosias Mercerus eumque secutus Lipsius putarunt pro *Prætorem* hic rescribendum *Proconsulem*, quoniam *Bithynia* proconsularis provincia facta sub Augusto, juxta Dionem lib. LIII, Strabonem lib. XVII. & tali statu mansit adhuc Trajani temporibus, quibus Plinius Secundus *Bithyniæ* legitur Proconsul. Sed Ezechiel Spanhemius V. A. docet *Prætorem* Tacito vocari ratione provinciæ prætoriæ, qualis *Bithynia* erat, haud aliter ac Cyprus στρατηγικὴ ἐπαρχία vocatur Straboni lib. XIV. quod nempe viri prætorii ad eas regendas mitterentur, non consulares. Præterea τὸ *Prætor* multo generalius sumptum quam τὸ *Proconsul*. Hinc 4, 15, 5. *quod si vim Prætoris usurpasset.* de Procuratore Asiæ. 15, 25, 5. *scribitur tetrarchis ac regibus præfectisque & Procuratoribus, & qui Prætorum finitimas provincias regebant.*

Quæstor ipsius Cæpio Crispinus majestatis postulavit subscribente Romano Hispone. qui formam vitæ iniit, quam postea celebrem] Recte hic notat Pichena τὸ *qui*, non de *Romano Hispone* intelligendum (in hunc enim ista Taciti descriptio non quadrat, quippe qui declamator, teste Seneca, celebris) sed de *Cæpione Crispino*. Hoc clare patet ex sequentibus Taciti verbis, *Marcellum insimulabat*, videlicet Crispinus: sequitur enim, *addidit Hispo*. Similiter loquitur 15, 19, 2.

1, 79, 2. *ne Clanis solito alveo demotus*] Ad hunc fluvium pertinet Virgilii lib. II. Georg. v. 225.

Et vacuis Clanius non æquus Acerris.

I, 81, I. *De comitiis consularibus, quæ tum primum illo Principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim;*] Dicit *tum primum*, quoniam Drusus Tiberii F. & Norbanus, qui hoc anno Coss. fuere, designati ab Augusto, qui mortuus proxime superiore anno Sex. Pompejo & Sex. Appulejo Coss. XIV. Kal. Septembres. Freinshemius verba, *tum primum illo Principe*, explicat in Notis de toto Tiberiani Principatus tempore; verba, *ac deinceps*, de subsequentibus Principibus: & in Paraphrasi reddit: *de comitiorum consularium forma, qualis Tiberio Principe & post ipsum fuit.* quod veritati parum conveniens videtur. Nam de subsequentibus Principibus satis constat ab his Consules designatos, & verba sequentia de Tiberii Principatu sermonem esse produnt. Ergo *tum primum illo Principe*, intellige de secundo Tiberii anno, quo Consules primum designavit; *ac deinceps*, de reliquis ejusdem annis.

AD

AD ANNALIVM

LIBRVM II.

2, 1, 1. *Sisenna Statilio Tauro L. Libone Coss.*] In Dionis Indice alter T. Στατίλιος T. υἱ. Σισέννας Ταῦρος, alter Λ. Σκριβώνιος Λ. υἱ. Λίβων dicitur. Unde patet prioris patrem fuisse *T. Statilium Taurum*, qui Cos. anno 764. quadriennio ante Augusti mortem, quem confundit Ioannes Glandorpius cum ejus patre, qui collega Augusti in VIII Consulatu, anno 728. Etsi enim is bis Consul & triumphalis sub Augusto fuerit, teste Suetonio Ner. cap. 35. attigerit etiam annum 764 aut 765. uti ex L. Pisonis in Urbis præfectura ipsi succedentis vita colligitur 6, 11, 5. flagitat hoc *Statilia Messallina*, postrema Neronis uxor, triumphalis abneptis. Unde sic stemma constituo:

T. Statilius Taurus
bis Cos. & triumphalis

|

T. Statilius Taurus
Cos. a. 764.

|

T. Statilius Sisenna
Taurus Cos. a. 769.

|

T. Statilius Taurus
Cos. a. 797. Procos.
Africæ, opibus inlustris
ab Agrippina hortis
ejus inhiante perversus.

|

Statilia Messallina
Tauri bis Cos. & triumphalis abneptis per
Neronem Attico Vestino
marito abducta.

E quibus efficitur alterum *Tauri* Consulatum fuisse suffectum. Index Freinshemianus tres diversos *Statilios Tauros*, nepotem, avum & pronepotem confundit. *Scriboniorum* stemma exhibeo ad 2, 27, 3.

Initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum adspernabantur] Nulli apud Parthos aditus ad regnum nisi Arsacidæ. Unde minus recte apud Strabonem Posidonius, lib. XI. ὅτι τῶν Παρθυαίων συνέδριόν φησι εἶναι διττόν. τὸ μὲν συγγενῶν, τὸ δὲ σοφῶν καὶ μάγων, ἐξ ὧν ἀμφοῖν τοὺς βασιλεῖς καθίστησιν. *Duplicem esse Parthorum Senatum: unum cognatorum, alterum sapientum & magorum, ex utroque deligi reges.* nisi is pro ἐξ ὧν ἀμφοῖν scripserit, ἀφ' ὧν ἀμφοῖν.

2, 1, 2. *partemque prolis firmandæ miserat*] quatuor filios legitimos cum duabus uxoribus & quatuor nepotibus, teste Strabone lib. XVI.

2, 2, 1. *Post finem Phrahatis & sequentium regum*] Phraatacis & Orodis. Iosephus lib. XVIII. Antiq. cap. 3.

Venere in Urbem legati a primoribus Parthis] A *Synedrio duplici*, ut Posidonius apud Strabonem. vel *Senatu*, ut Iustinus 42, 3. vel *concilio*, ut 15, 2, 1. Venit autem hæc legatio Romam a. 756, quo Tiberius ab Augusto adoptatus & mox in Germaniam missus est. Suetonius Tib. cap. 16. *Data rursus potestas Tribunitia in quinquennium: delegatus pacando Germaniæ statui: Parthorum legati mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in provinciam jussi.*

2, 3, 2. *Artauasden regem Armeniorum*] qui *Artabazes* Iosepho, Dioni, Plutarcho; filius Tigranis, qui a Lucullo Pompejoque fractus, cujus potentia elucet ex mulcta inter Pompeji exercitum distributa sexcentorum talentorum apud Strabonem lib. XI.

Specie amicitiæ illectum] Narrat Plutarchus Anton.

Dein catenis oneratum] Ludovicus Aurelius ut Dionem cum Vellejo conciliet *argenteis catenis* in carcere, in triumpho *aureis* vinctum comminiscitur.

tur. Sed Vellejus lib. II. cap. 82. *catenis aureis* simpliciter vinctum, Dio lib. XLIX. ἀργυραῖς ἁλύσεσιν alligatum scribit, neuter triumphi aut carceris meminit: pugna manifesta, sed quæ nihil ad salutem Græciæ.

2, 3, 4. *datus a Cæsare Armeniis Tigranes*] Hic frater Artaxiæ, Artauasdis pariter filius. Iosephus lib. XV. Antiq. cap. 4.

deductusque in regnum a Tiberio Nerone] A. 734, M. Appuleio Nepote, P. Silio Nerva Coss. Suetonius Tib. cap. 9.

2, 3, 5. *Dein jussu Augusti impositus Artauasdes*] Hic videtur filius fuisse Artaxiæ. Meminit Vellejus lib. II. cap. 94.

2, 4, 1. *Tum C. Cæsar componendæ Armeniæ deligitur*] A. 755, P. Vinicio Nepote, P. Alfinio Varo Coss.

2, 5, 3. *Suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum, damno armorum adfici*] Boxhornius pro *armorum* legit *armentorum*. quod exponit equorum, jumentorum: aut explicari sibi postulat, quænam illa armorum damna, quibus affici milites suos in hac deliberatione conqueritur Germanicus. Hoc vero non adeo difficile est. Germanicus enim in hac consultatione revocat sibi in memoriam præteritarum expeditionum eventus. Hinc statim in principio dicit, *fundi Germanos acie & justis locis*. fuderat illos Cæcina. 1, 68, 3. & seqq. Inde cogitans adversa, quæ Cæcinæ a silvis & paludibus, P. Vitellio ab maris æstu acciderant, subjicit: *juvari silvis, paludibus* &c. *suum* autem *militem* &c. *damno armorum adfici*. Nam duæ legiones, quas P. Vitellius ab ostio Amisiæ duxit secundum littus ex Germanici præcepto usque ad Vidrum, inopinato maris æstu obrutæ amiserant omnia impedimenta & maximam armorum partem. Hinc 1, 71, 2. *Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italia: quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes. quorum laudato studio Germanicus armis modo & equis ad bellum sumptis propria pecunia militem juvit*, Nihil igitur mutandum.

2, 6, 1. *missis ad census Galliarum P. Vitellio & Cantio*] Videtur scribendum *C. Antio*, uti Vrsinus monuit. Æque enim hujus ac *Vitelli* prænomen expressum verisimile est. Et forte ad hunc pertinet Inscriptio vetus apud Lingones reperta, Grutero teste, quam subjicio:

DEO. MERCVRIO. ET. POS
TVERTE. C. ANTIVS. TITE
FILIVS. EX. VOTO.

Ad hujus vero majores nummi apud Ursinum, in quibus C. ANTIVS. C. F. RESTIO. Quemadmodum autem Vitellius hic & Antius a Germanico ad census Galliarum missi, cum essent ejus Legati; sic P. Sulpicius Quirinus ad census Syriæ ab Augusto missus, cum Syriæ præesset Sentius Saturninus: Q. Volusius, Sextius Africanus & Trebellius Maximus ad census Galliarum a Nerone 14, 46, 2.

2, 6, 4. *Insula Batavorum in quam convenirent prædicta*] Amicus malebat *dicta*, hoc est, designata. Cornelius Nepos Eumene: *Hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta.*

2, 6, 6, *immenso ore*] Quod Plinio *Helium* lib. IV. cap. 15. in Frisionum legibus *Sincfala*, vel *Sindval*.

2, 7, 3. *& veterem aram Druso sitam disjecerant*] *Ara* hic nihil aliud quam cenotaphium simul cum ara; etsi Freinshemius hoc non admittat, quoniam verba *Druso sitam* ab ipso Druso ædificatam significare existimat: quod verbum hoc ita usurpetur 6, 41, 3. Verum per hunc verbi usum non excluditur syntaxis tertii casus proprie positi cum hoc verbo. Hoc apparet ex decursibus militaribus, quos Tacitus, apud aram hanc innuit factos, a Suetonio Drusi tumulo tributis Claud. cap. 1. *Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.* Immo monimenta & aræ conjunguntur in Inscriptionibus antiquis: & *aram sepulchri* Virgilius ponit pro rogo lib. VI. v. 177.

2, 8, 1. *lacus inde & Oceanum usque ad Amisiam flumen, secunda navigatione pervehitur.*] Ex hoc loco austrini sinus, Batavis Zuyderzee / patet antiquitas. Nostro *lacus* numero plurium, Pompo-

nio

nio Melæ singulari *lacus ingens*, lib. III. cap. 2. Rhenus *diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul a mari huc & illud dispergitur, sed ad sinistrum amnis etiam tum & donec effluat Rhenus, ad dextram primo angustus & sui similis post ripis longe & late recedentibus, jam non amnis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur: ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Hunc tamen multis partibus majorem hodie ac fuit olim, præcipue versus meridiem duarum urbium *Enchusæ* atque *Staveræ* plura probant. Præcipue quod *Æmi* fluminis alveus per longum intervallum absorptus. Hujus enim nomen accolis durare adhuc creditur in freto, cui nomen het oud Ampe-diep / quod ad occidentale latus insulæ, quæ Wieringe dicitur, adhuc superest. Tum quod aquæ marinæ multo altiores hisce in oris ac fuere quondam.

2, 8, 2. *Classis Amisiæ relicta, lævo amne*] *Amisia* hic nomen loci aut castelli in ore amnis *Amisiæ*. Et procul dubio vetus ista *Amisia* originem dedit nobili urbi, quæ in ostio amnis *Amisiæ* hodie sita. quemadmodum enim olim fluvius & locus cognomines fuere ita ferme adhuc sunt: Eems enim vulgo fluvius, Embden civitas dicitur. Nec refert quod urbs in dextro *Amisiæ* latere hodie sita sit, cum Tacitus non dicat *Amisiam* suam fuisse in sinistro; sed classem a Germanico *Amisiæ* relictam *lævo amne*, id est ex adverso castelli *Amisiæ* in læva amnis parte, cum castellum esset in dextra.

2, 9, 3. *tum permissum*] Amicus: *id tum permissum.*

2, 11, 4. *Cariovalda diu sustentata hostium sævitia*] id est vehementia, ut 1, 67, 2.

2, 14, 2. *Et quæ sapientia prævisa aptaque imminenti pugnæ differit*] Sapientiæ est *prævidere* futura, id est animadvertere illa, quæ futura sunt: & *providere* futuris, id est consulere in futura. Hinc recte monitum I. F. Gronovio *provisa* potius hic legendum, sequentibus *aptaque imminenti pugnæ* id postulantibus. Vide H. 5, 12, 2,

2, 15, 4. *meminissent modo avaritiæ, crudelitatis; superbiæ; aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem,*

aut mori ante servitium] In hoc loco deest aliquid post τὸ *superbiæ*. Et forte desideratur particula *nec*, legendumque ut Valens Acidalius voluit; *nec aliud sibi reliquum* &c. sensu optimo, pendent enim hæc, a verbo *meminissent*. Ursinus in codice manuscripto, quo se usum testatur, ait fuisse: *quid aliud sibi reliquum*. Sed cum ita non sit in archetypo (Beroaldi enim Ed. a vulgata notabit) & reliqui qui Corbejensem codicem videre hic nullius mutationis faciunt mentionem; suspicor illud *quid* a Jucundo Veronensi, cujus manu Fulvii codex exaratus fuit, inter describendum additum.

2, 20, 3. *quis impugnandus agger, ut si murum succederent*] Adscenderent, suggrederentur, subirent. Muretus legebat *muro succederent*: quoniam hoc verbum ut plurimum cum hoc casu jungitur. Sed aliud longe *succedere muro*, aliud *succedere murum*: prius ad murum venire, posterius murum scandere, subire.

2, 23, 5. *quo levarentur alvei, manantes per latera & fluctu superurgente*] Loci hujus intellectus I. F. Gronovio debetur. Nam cum antea ignoraretur quid essent *alvei manantes per latera*, hic primus docuit sic dici naves oneribus ita depressas, ut illarum summa latera non longe a maris superficie abessent, quod cum esset tempestuosum vehementer per labra laterum tam depressa in alveos navium incideret. Nam *manare* non modo de liquidis verum & de solidis dicitur, quoties illis humor affusus est. Sic Plinio lib. XIV. cap. 20. *Arbores succo manantes*.

2, 24, 5. *quidam in Britanniam rapti*] Minime hoc mirum nam auster, in quem tunc cœlum & mare omne cesserat, 2, 23, 3. ab Amisiæ ostio, unde solverat Germanicus, prope per lineam rectam in Britanniam fert.

2, 24, 6. *ambiguas hominum & belluarum formas*] Intelligit homines marinos, quos Batavi Meermannen & Meerminnen appellamus. De quibus Plinius lib. IX. cap. 5. & recentiores videndi.

2, 25, 3. *propinquo luco defossam Varianæ legionis aquilam modico præsidio servari*] Romani clade Variana tres aquilas amiserant cum omnibus signis milita-

militaribus. Hinc Florus lib. IV. cap. 12. *signa & aquilas duas adhuc barbari possident; tertiam signifer priusquam in manus hostium veniret, evulsam mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.* in quo loco si Florus ex sua persona loquitur plane Tacito contrarius est: supra enim 1, 60, 4. dicit unam ex tribus his aquilis receptam; hic vero alteram. Restabat ergo tertia. Et sic non duas adhuc barbari possidebant Trajani temporibus quando Florus scripsit. Nisi dicamus ex Livii persona, Florum loqui; quod Lipsio ad hunc locum visum: qui tamen in eo haud sequendus, quod putet nunc omnes Vari aquilas receptas, ut nec in eo quod tertiam aquilam astu militis servatam dicat. Non enim omnes aquilæ nunc receptæ erant, sed tantum duæ: tertia recepta temporibus Claudii, teste Dione lib. LX. Nam tertia aquila astu militis non servata fuit, sed abscondita ad tempus, dein a scrutantibus Germanis inventa: uti necessario dicendum, si Dio non fallit.


2, 26, 1. *Reductus inde in hiberna miles*] Non in una, sed quilibet in sua: quintanus enim unetvicesimanusque apud Vetera, 1, 45, 1. primanus vicesimanusque apud Ubios 1, 37, 3. sive Aram Ubiorum 1, 39, 1. hibernabant. Hæ quatuor legiones exercitum constituebant inferiorem Germanicianum. Superior exercitus apud Moguntiacum hiberna habebat, uti patet ex eo, quod Germanicus quotiescumque in Cattos hunc exercitum duceret, hac parte Rhenum transisse dicitur. Unde consequitur tertiam decimam legionem, quæ tunc in exercitu superiore erat Tiberii temporibus apud Moguntiacum hibernasse, non Petovione in Pannonia superiore, uti putat Freinshemius, quo Flavianis temporibus translatam patet H. 3. 1, 1.

2, 26, 4. *Sic Sugambros*] Apud Strabonem Σουγάμβροι. apud Ptolemæum corrupte Συσγάμβροι pro Συγάμβροι, atque ita aliquoties etiam apud Dionem: apud Appianum Σούγαμβροι. in Lapide antiquo apud Dausquium SICAMBRI, & sic apud Cæsarem Editio vetus Romana, tum Codex calamo exaratus.

2, 27, 3. *proavum Pompejum, amitam Scriboniam,*

quæ quondam Augusti conjunx fuerat, consobrinos Cæsares] Lipsius putat hunc Libonem Drusum fuisse nepotem Scribonii cujusdam, qui frater L. Scribonii Libonis, qui Consul a. 720. cujusque filia Scribonia Sex. Pompejo nupta: sic enim Pompejus Magnus Drusi hujus proavus, Scribonia Augusti conjux amita magna ejusdem fuit. Tamen hæc sententia velut parum firma rejicitur a Ruperto * qui eum potius nepotem facit ipsius L. Scribonii Libonis, qui Consul a. 720. Verum cum ex hac sententia sequatur patrem hujus Drusi, in matrimonio habuisse sororis suæ filiam, idque legibus Romanis non licuerit, merito hoc damnatum I. F. Gronovio, qui exitum alium reperiri non putat, nisi ut Pompeja Drusi mater dicatur suscepta a Sex. Pompejo ex alia uxore quam Scribonia. Sed quemadmodum vir doctus ipse dubitat an tale quid suspicari possimus, sic habuit rationes cur dubitaverit. Et cum a. 715, quo pax inter Triumviros & Sex. Pompejum inita est, mentio fiat unius tantum filiæ Sexti, quæ desponsata fuerit M. Marcello, Octavii sororis filio, apud Dionem lib. XLVIII. & apud eundem non alia Sexti uxor occurrat quam Scribonia, haudquaquam verisimile Sextum aut plures filias pluresve uxores habuisse, quam Dio commemorat. Unde Lipsii commentum maxime ad loci hujus intellectum facere videtur, etsi in illa quam ponit genesi haud probem, quod Libonem Drusum faciat fratrem L. Scribonii Libonis, qui Cos. a. 769. quam propterea sic reformo.

* Reines. Ep. 44.


L. Scribonius Libo Cos. a. 720.
Scribonius Libo hujus frater.
Scribonia horum ſoror, duorum Conſularium primo, dein conjux
Auguſti
Iulia
Agrippa
C. & L. Cæſares, Iulia, Agrippina, Agrippa.
L. Scribonius Libo
Scribonia
Sex. Pompejus M.
L. Scribonius L. F. Libo Cos. a. 769.
Pompeja Marcello ante deſponſata.
Scribonius Libo.
L. Scribonius Libo Druſus Prætor.
Scribonius Libo.
Scribonia
M. Licinius Craſſus Frugi
&c.

Ideo autem Consulem dicti anni fratrem Libonis Drusi facere reformido, quoniam Tacitus silentio hoc præteriturus non videtur, cum dicat Libonem hunc Drusum e Scriboniorum fuisse familia oriundum, 2, 27, 1. innisumque in Senatu fratri per caussam morbi, 2, 29, 2. Nec Dio lib. LVII. appellans νεανίσκον ἀπαλείδην, statim post quam Consulatus Libonis meminisset. Minime autem novum apud bonos Auctores *amitam*, patruum, materteram, avunculum poni pro illis, qui proprie magni dicendi. Sic noster 2, 43, 8. 53, 3. 4, 3, 5. Suetonius Aug. cap. 8. & 68. Similiter abutitur voce *consobrinorum*: Libo Drusus enim & Cæsares ex Iulia sobrini proprie erant, sive consobrinorum liberi.

2, 29, 2. *sive, ut tradidere quidam, simulato morbo.*] Dio lib. LVII non modo non simulatum ait hunc morbum sed verum immo lethalem, & Tiberium illius occasione usum ad accusationem instituendam. quod parum videtur verisimile.

Innisusque fratri] Lipsius fratrem hujus Drusi explicat L. Scribonium Libonem, qui hoc anno Consul, quod mihi parum probabile propter rationes ante allatas.

2, 30, 1. *Accesserant præter Trionem & Catum accusatores, Fontejus Agrippa & C. Vibius* &c. *donec Vibius*] Ita primi hic edidimus cum ante legeretur *C. Livius*, & mox, *donec Livius.* Primo quoniam *Livius* hic nusquam amplius nominatur apud Tacitum: secundo quoniam haud verisimile præcipuum Libonis accusatorem *Vibium Serenum*, quique talem operam Tiberio navavit ut eam ipsi imputare non dubitaverit, 4, 29, 4. hoc loco a Tacito silentio prætermissum. His rationibus accessit auctoritas Grotii, Gruteri, Freinshemii ita corrigendum judicantium. Qui in prænomine tamen variant: aliis enim *Quintus* dicitur, aliis *Cajus.* Et licet infra nusquam prænomen *Vibii* occurrat, Pighio tamen tamquam ex Tacito *Q. Vibius Serenus* dicitur ad a. 774. Mihi *Caji* prænomen hoc loco mutare religio fuit.

2, 30, 4. *nominibus Cæsarum aut Senatorum, additas atroces vel occultas notas accusator arguebat*] Lipsius *notas* has ad mortem eorum pertinuisse aut cædem

cædem existimat. Mihi ad defictiones magicas spectasse verius videtur, quibus nomen illius cui nocere vellent in cera aliave materia scriptum defigebant. Ovidius lib. III. Amor. El. 7.

Sagave punicea defixit nomina cera,
Et medium tennes in jecur egit acus.

Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ovorum, ut exsorbuerit quisque, calices cochlearumque protinus frangi aut eosdem cochlearibus perforari.* Seneca lib. VI. de Benef. cap. 35. *Exsecraris enim illum & caput sanctum tibi, dira imprecatione defigis.* Glossæ: *Defixiones.* νεκυομαντεῖαι, καταδεσμός. Et huc pertinet 2, 69, 3. *nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum.* Item *laminæ litteratæ* Appuleji, lib. III. Metamorph. De re ipsa vide Thomam Campanellam lib. IV. de Sensu Rerum cap. 18.

2, 30, 6. *domumque digressus extremas preces P. Quirino propinquo suo ad Principem mandavit*] Beroaldus eumque secutus Rhenanus hic ediderunt, *P. Quirino:* reliqui post hos Editores (quos quidem vidi) *P. Quirinio.* Restitui autem primitivam lectionem, non hic modo sed in aliis quoque locis, unde mota erat: quoniam P. Sulpicio, *Quirino* non *Quirinio* cognomen fuisse plura argumenta sunt. Primum enim id suadet terminatio cognominum non denotantium artem aliquam hoc tempore usitata: dein expressa aliquot veterum auctoritas. Apud Suetonium Tib. cap. 49. in omnibus Codd. legitur: *in gratiam Quirini consularis prædivitis & orbi.* In Fastis Siculis exserte, Μεσσάλα καὶ Κυρίνου. Nummus apud Hubertum Goltzium * in una area circum lupam Romulum & Remum lactantem, super quam montes septem, infra Tiberis: P. SULPICIUS P. F. in altera circum caput Deæ: QUIRINUS III VIR. qui rem decidit. Unde non dubitandum quin in Dionis Indice Coss. a. 742. corrupte Κυρίνιος legatur pro Κυρῖνος. Nec aliter terminatum hoc cognomentum in aliis familiis Auctores & Lapides testantur. Hinc apud Cyprianum libri III. Testim. contra Iudæos ad *Quirinum:* & in Martyrologiis non unus *Quirinus.* Inscriptio vetus apud Reinesium:

* in Fastis.

C. SEMPRONIO
C. FIL. QVIRINO
LVCRETIO. IVLIANO
II VIR.
PATRONO ET PRAESTAN-
TISSIMO. CIVI. PLEBS. C. I. P. S.
OB MERITA. EIIVS EX PE-
CUNIA SVA STATVAM
D. D.

Faciunt huc & Ianus *Quirinus* apud Suetonium, *collis Quirinus* apud Ovidium, populus *Quirinus* apud Horatium, *Quirina* tribus in Lapidibus antiquis, Iuno *Quirina* apud Dionysium. Nec refert quod in Euangelio & apud Iosephum legatur Κυρήνιος. in Alexandrino Chronico, Μεσσαλὰ καὶ Κυρηνίου, externis enim usitatum cognomina Romanorum in *ius* subinde efferre, quoniam gentilia sic apud eos desinere noverant. Sic M. Clodius Pupienus Imperator, in nummo Tarsensium apud Tristanum vocatur M. ΚΛΟΔ. ΠΟΠΑΗΝΙΟC. Ut taceam apud D. Lucam non omnes Codices habere Κυρηνίου· sed quosdam Κυρείνου, quibus concinit versio vulgata, quæ *Cyrino*; quosdam Κυρωνίου· ex qua inconstantia de mendo suspicari licet. In hoc autem loco verba: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, esse explicanda cum Casaubono, non cum illis qui πρώτη positum velint pro προτέρα aut μᾶλλον subintelligi, præterquam ex rationibus a Casaubono allatis patet ex Eusebii Chronico, in quo ad annum III Olymp. CXCIV. *Edicente Cæsare ex Senatus consulto Quirinus in Iudæam missus, census hominum, possessionumque describit.* & adhuc clarius ex Georgii Syncelli Chronographia: Ταύτης τῆς κατὰ τὴν Ἰουδαίαν ἐπιγραφῆς ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς Κυρήνιος ἐπιμελητὴς ἐξεπέμφθη, κατὰ τόδε τὸ κοσμικὸν ἔτος, οὐσιῶν καὶ οἰκητόρων ἀναγραφὰς ποιούμενος. αὕτη, γὰρ ἔφη ὁ θεῖος Λουκᾶς, ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Συρίας

ρίας Κυρινίε. *Descriptionis hujus Senatusconsulto decretæ onus Cyrinio impositum præsente a mundi conditi anno* (5500) *& possessiones incolasque omnes recensuit : hoc enim ita Divus Lucas enuntiavit : Hæc descriptio prima facta est sub præside Syriæ Cyrinio.* Quæ loca ideo notare operæ pretium duxi, quoniam Reinesius scribit ideo se non adcredere Causaubono *Quirinum* cum extraordinario imperio τιμήσεως τ̃ ἐσιῶν in Syriam & Iudæam missum statuenti, atque ita D. Lucam cum Iosepho & aliis concilianti, quoniam id veteres omnes tacent, Epist. LVII.

Propinquo suo] Affini : nam Sulpicius hic ipse ignobilis, 3, 48, 2. sed in matrimonio habuit Æmiliam Lepidam, quæ eundem cum Libone proavum habuit Cn. Pompejum Magnum, 3, 22, 1.

2, 32, 2. *Cotta Messallinus*] De hoc vide quæ notavimus ad 3, 2, 5.

2, 32, 3. *L. Publius*] Ante hic edebatur. L. P. unde alius *L. Paullus* vel *Plancus*, alius *L. Pætus*, alius *L. Piso* conjiciebat. Ego in æque incertis prætuli *L. Publius*, quod proxime his literis significatur. Etsi enim hic in temporis hujus historia alibi, quod sciam, non occurrat, tamen *Publia* gens Reipub. temporibus nota, & *Publios* nomine gentilitio historia Cæsarea suggerit : *Publium* primarium Melitæ incolam Acta Apost. 28, 7. Quod si tamen displiceat hæc lectio, videndum an *L. Publicius* legendum, qui pater C. Poblicii Bibuli, ad quem pertinet inscriptio sequens apud Gruterum :

C. POBLICIO L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE. CAVSSA. SENATVS
CONSVLTO. POPVLIQ. IVSSV. LOCVS
MONVMENTI. QVO. IPSE. POSTEREIQVE
EIVS. INFERRENTVR. PVPLICE DATVS. EST

Hunc enim C. Poblicium Bibulum Pighius putat esse *C. Bibulum*, qui Ædilis a. 775. commemoratur nostro 3, 52, 3. Facilis autem est lapsus ex *Publicius* in *Publius*, uti patet ex Inscriptione sequenti, prout apud eundem refertur Gruterum :

D. M.

D. M.
L. PVBLICI FELICIS
L. PVBLIVS FAVSTVS
FILIVS PATRI. B. M.

2, 33, 4. *distinctos Senatus & equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent & aliis, quæ ad requiem animi, aut salubritatem corporum parantur*] Ante hic legebatur: *sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent talesque ad requiem animi* &c. nullo sensu. Codex autem Mediceus pro *talesque* habet *talisque*: unde præclare Grotius correxit, ut edi curavimus.

2, 35, 1. *ni pretium foret Cn. Pisonis*] Scripsi *Cn.* non *Gn.* ut in Edd. quia alibi ita prænomen hujus viri scribitur apud nostrum.

2, 36, 2. *Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare & arcana Imperii tentari*] Quidnam igitur in sententia Galli, quod aperiebat arcana Imperii, ut illâ adeo commoveretur Tiberius? Procul dubio, quod mitteret in publicam deliberationem, quod Cæsar sibi soli reservari volebat. Illius erat designare Consules, illius Prætores, non mirum igitur si altius penetravit, si ussit eum, quod aliquis Senatorum auctoritati & potentiæ ejus se interponeret. Sed hoc erat dissimulandum in civitate regiis imperiis nondum satis assueta. Mirum Interpretes non penetrasse in hoc arcanum. Lipsius & Freinshemius id quærunt in temporis diuturnitate, in quod designandos Prætores Gallus censuerat; Boxhornius in genere hominum, cui Cæsarem sententia Galli adstringebat: rebus profecto levibus in comparatione illius, quod Gallus hac sua sententia in deliberationem Senatus mittebat id, quod solius Cæsaris erat. Et hoc esse arcanum illud, quod tentavit Gallus, patet ex verbis sequentibus: *Tiberius tamen quasi augeretur potestas ejus, disseruit* &c. & deinde 37, 1. *Favorabili in speciem oratione vim Imperii tenuit.*

2, 37, 6. *En stirps & progenies tot Consulum, tot Dictatorum*] Recte Lipsius notat de *Hortensia* gente,

se, quæ unicum tantum Consulem, unicum Dictatorem tulerit, hæc jactari sine vaniloquentia immo ne mendacio quidem posse. Sed procul dubio respicitur quoque ad illas gentes, quibuscum *Hortensia* matrimonium contraxerat, præcipue vero ad Marcios Philippos. Marcia enim Catonis, *Hortali* hujus avia.

2, 40, 1. *Iamque Ostiam invectum*] Removi spiritum a voce *Ostia* hic & ubique apud Tacitum secutus originem meliorumque Codicum & Lapidum scripturam.

2, 41, 1. *ob recepta signa cum Varo amissa*] Duas aquilas ex tribus cum Varo amissis, quarum una recepta dicitur 1, 60, 4. altera 2, 25, 3. Nam tertia temporibus demum Claudii recuperata, uti refert Dio lib. LX. Propter hæc signa recepta cusus etiam nummus, apud Tristanum Tom. I. in cujus una area Germanicus in curru triumphali dextra tenens aquilam, sinistra laurum simul cum habenis additum juxta: GERMANICVS CAESAR. in altera idem erectus imperatorio habitu sinistra tenens aquilam, dextram erigens, juxta: SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. SC.

Sacrarium genti Iuliæ, effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur] Duæ fuerunt *Bovillæ*: unæ in via Appia ad XI. ab Urbe Lapidem, vicus non oppidum, teste Scholiaste Persii ad Satyram VI. alteræ oppidum non longe a flumine Liri inter Frusinonem & Soram, ubi hodie Castrum Pontificis Romani, nomine *Bauco*. Priores hic intelliguntur: ideo autem sacrarium genti Iuliæ effigiesque divo Augusto, ludicrum item Circense genti Iuliæ, 15, 23, 3. hic dicata, quoniam ordo equestris Augusti cadaver inde Romam deportavit, cum eo ab urbe Nola, ubi fuerat mortuus, a coloniarum municipiorumque decurionibus portatum esset. Vide Suetonium Aug. cap. 100.

2, 41, 2 *C. Coelio L. Pomponio Coss.*] In Dionis Indice amborum Coss. nomina mendose exstant: Γ. Καικίλιος Γ. υἱ. Νέπως, ἢ Ῥοῦφος, Λ. Πομπωνιανὸς Λ. υἱ. Φλάκκος. apud Cassiodorum alterius. *L. Pomponius & C. Cæcilius.* Taciti enim scripturam adserit Inscriptio sequens apud Gruterum:

L. PE-

L. PEDIO L. F. PAL. VERECVNDO

* VOLCANALI

EQ. SINGVL. FLAMINI. * TRAIANALI. ET
MAGISTRO. AVGVST. PATRONO. FLO
MVNIC. NOMENT. VIX. ANN. LXI
M. IIII. D. XVII. H. V.
M. PEDIVS. L. F. PAL. ALBINVS
SABINIANVS. EQVES. DVPLARIS
FR. PIISSIMO. POSVIT. IIII. IDVS. OCT.
C. CAELIO. RVFO. ET. L. POMPONIO. FLACCO
COSS.

Ex cognomento autem *Rufi* apparet alterum Consulem ad domum *Cælii* oratoris pertinere. *L. Pomponius Flaccus* frater fuit Pomponii Græcini, qui superioris anni ultimis mensibus suffectus Consul fuerat, ad quem scripsit Ovidius lib. IV. Ep. 9. ex Ponto. Apud Occonem exstat nummus, in cujus altera area circum caput laureatum: IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. COS. XII. in altera circum bovem: L. POMPON. Q. ATHERI C. CAECIN. II. VIR. (apud Goltzium Q. HATERI.) qui forte ad hujus patrem pertinet.

2, 42, 7. fructibusque ejus levari posse centesimæ vectigal *professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit*] Recte ab Interpretibus de hoc vectigali jam notata multa: tantum Dio cum Suetonio nondum recte conciliatus videtur. Tentemus igitur an hoc efficere valeamus. Centesima rerum promercalium in auctione in subsidium ærarii militaris ab Augusto primum instituta, 1, 78, 2. hanc circumscripto rege Archelao in ducentesimam a Tiberio mutatam hic scribit Tacitus. Nihilominus Dio lib. LVIII. post Sejani necem iterum centesimam a Tiberio exactam refert: Μετὰ τοῦτο καὶ τέλος τι διακοσιοστὴν ἔχον, ἑκατοστὴν ἤγαγε. *Deinceps etiam pro vectigali quo ducentesima pendebatur, centesimam exegit.* Deinde idem auctor est Cajum sustulisse iterum hanc centesimam lib. LIX. καὶ τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε. *Et vectigal centesimæ sustulit.* Cum his tamquam pugnantia adducuntur Suetonii verba, quæ is de Caligula in vita ejus cap. 16. profert: *Du-*

Ducentesimam auctionum Italiæ remisit. Namne qua in his verbis mendi cuiquam suboriretur suspicio, jam olim Ursinus cavit ad Tacitum 1, 78, 2. & nuper Carolus Patinus V. C. auctoritate nummorum remissam a Cajo ducentesimam commemorantium. Sed nodum hunc solvunt egregie nummi ipsi. In Patini circum pileum, juxta quem SC. legitur: C. CAESAR DIVI AVG. PRON. AVG. in alterius areæ medio R. CC. circum: COS. TERT. PON. M. TR. P. III. P. P. Ursini nummus in una parte ipso teste habuit: C. CAESAR DIVI. AVG. PRON. AVG. SC. in altera: COS. QVAT. PON. M. TR. P. IIII. P. P. R. CC. Ex priore constat ducentesimam a Cajo remissam non illo anno, quo Dio centesimam remissam scribit, videlicet 791, sed biennio post in tertio ejus Consulatu, sive a. 793. vel potius a. 792. juxta nummum ejusdem Caji Occoni nuper additum, in quo: PON. M. TR. P. III. COS. DES. III. R. CC. quod cum deinde continuaretur in quarto ejus Consulatu, iterum in nummis notatum est, ut testatur iste quem Ursinus vidit. Consequitur igitur ex nummis paullo ante & in tertio Caji Consulatu cusis, eum a. 791 loco centesimæ, quam sustulisse eum Dio scribit, ducentesimam exegisse, eamque deinceps a. 792. pariter remisisse. Sic nulla pugna inter Dionem & Suetonium reliqua. Nam de Tacito non est, quod laboremus cum illa quæ statim post Sejanum sublatum contigere, totiusque Caji Principatus res apud eum perierint, ut dici non possit in hac re Tacitum Suetonio repugnare.

2, 43, 4. *insita ferocia a patre Pisone*] Hic locus adstruit Lambini emendationem Horatianam lib. I. Sat. 4.

Insevit pater optimus hoc mi.

2, 45, 4. *Spolia adhuc & tela Romanis derepta*] Scripsi *derepta* pro *direpta*, quomodo ante hic legebatur: nam *deripere* est rapere ab aliquo; *diripere* est frangere, rumpere, vel ita rapere quid ut frangatur, quod hic non convenit. *Dis* enim divisionem quandam inducit vocibus quibuscum jungitur, ut in *dissolvere*, *distrahere*, *differre*, *dignoscere*, *diffundere*, *diluere*, *distringere*, similibusque patet: *de* nonnun-

quam

quam ablationem quandam notat, nonnunquam vix immutat primitivi significationem, ut in *deambulo, decanto, decedo, deripio.* Vide 1,20,3. H. 1,41,1. Ab Acidalio jam monita hæc emendatio. Corrupta pariter hæc vox 13, 57, 6. *postremo tegmina corpori direpta injiciunt.* Sed MS. meus, *derepta*, ut edi curavimus.

2, 46, 6. *et transfugis paullatim nudatus*] Boxhornius hoc explicat de Inguiomero & manu clientium, qui cum illo ad Maroboduum fugit. Sed caussa non est, cur de illis potissimum hoc intelligamus; & cum ante Semnones & Langobardi a Maroboduo adhuc integro ad Arminium defecerint, verosimile plures ab eo transfugisse postquam res ejus inclinari cœpere. Quo enim se fortuna eo favor hominum inclinat. Hinc Lipsius, ni fallor, recte pro *transfugis* legit *transfugiis*, qua voce in simili sensu Auctor sæpius utitur. Idem & aliis visum.

2,47,4. *Magnetes a Sipylo*] Similiter dicuntur Plinio lib. V. cap. 9. & Livio lib. XXXVII. cap. 44. *Magnesia ab Sipylo*, uti esse in Vossiano codice dicitur: quod a Græcis haustum, quibus Μαγνησία περὶ Σίπυλον, πρὸς Σίπυλον, ὑπὸ Σιπύλῳ & ἀπὸ Σιπύλου. quod posterius occurrit in aliquot nummis apud Tristanum Tom. II. In quibus unus circum Ciceronis effigiem in una area: ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ. in altera circum manum, quæ tenet uvam, spicam, laurum & coronam oleagineam: ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ.

quique Mosceni aut Macedones Hyrcani] Freinshemius in Comparatione versionum putat particulam *aut* hic non distinguere sed connectere, quoniam si distinguat *Mosceni & Macedones Hyrcani* unus erit populus & sic undecim tantum enumerabuntur urbes non duodecim. Sed exempla quibus id probet non quadrant, ut 4, 63, 4. *& par forma aut ætas errorem agnoscentibus fecerat.* Nam illo & similibus locis *aut* semel subintelligitur, pro *par aut fortuna aut ætas.* quod de hoc loco dici non potest. Idque ipse deinceps animadvertit in Notis ubi priorem retractat sententiam. Ut vero tollat difficultatem de undecim urbibus legit: *quique Mosceni, & qui Macedones Hyrcani vocantur.* Ego minori

ri mutatione disjunctivam tantum mutandam censeo in copulativam & ab Auctore scriptum reor: *quique Mosteni & Macedones Hyrcani vocantur.* *Mosteni* enim potius placet quam *Mosceni*, quoniam Ptolemæo lib. V. cap. 29. Μοςηνοὶ, & Eusebio in Chron. *Mosthene*, Nicephoro lib. I. cap. 17. Μοϑήνη. Ex quibus Plinius quoque corrigendus videtur, apud quem lib V. cap. 30. *Mossini*. Nam diversos esse *Mostenos* & *Macedones Hyrcanos* & tamen in Lydia utrosque habitasse colligi potest ex eo, quod Plinius lib. V. cap. 29. *Macedones Hyrcanos & Magnetes a Sipylo* accenseat Smyrnæo conventui, cap. 30. *Mossinos* vel *Mostenos* cum aliis Lydiæ urbibus Pergamenæ jurisdictioni. Eusebio insuper & Nicephoro pro diversis urbibus recensentur *Mosthene* & *Hyrcania.* Strabo lib. XIII. *Hyrcanium* campum in Lydia scribit appellatum a colonis jussu Persarum eo deductis. Meminit & Stephanus v. Ὑρκανία. Unde verisimile Macedones postea in eodem campo consedisse atque ita gente utraque permixta nomen quoque geminatum. Ad hos *Hyrcanos* pertinere Philippi senioris nummum apud Tristanum Tom. II. in quo circum Bacchum vinum super lyncem vel tigrim cratere effundentem legitur: ΥΡΚΑΝΩΝ. docet contra Tristanum Lucas Holstenius ad Stephanum v. Ὑρκανοί. quem vide.

2, 49, 2. *ab Lucio & Marco Publiciis Ædilibus*] Meminit horum fratrum Festus V. *Publicius clivus.*

2, 49, 3. *qui primus rem Romanum prospere mari gessit*] Ciacconius putat verba hæc ex columna rostrata desumpta, in qua: *prospere* rEM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. *Ceset.*

2, 51, 1. *De Prætore in locum Vipsanii Galli*] *Vipsanios* Romæ fuisse extincta Agrippæ domo ignobiles & plebejos patet ex Lapidis antiqui inscriptione, apud Thomam Dempsterum:

M. VIPSANIO. FULLONI. TENTORI. AV
RIGATORI. M. VIPSANIO. MIGNIONI
VIATORI. M. VIPSANIO. QVARTIN. SVC
CONDATORI. M. VIPSANIVS MEDICVS
FACT. VENETAE
OLL. IV. D. D.

2, 52, 3.

2, 52, 1. *In castris Romanis auxiliarius stipendia meritus*] Forte legendum *auxiliaris*. Sic. 11, 18, 2. *qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus.* ubi hunc locum ita citat Mercerus.

Musulanorum dux haberi] Videtur scribendum *Musulamorum*. Certe ita scribitur 4, 24, 2. & ad hanc scripturam accedit proxime Ptolemæus, cui lib. IV. cap. 3. Μισουλάμοι. Plinius tamen *Misulanos* vel *Musulanos* dicit lib. IV. cap. 4. nisi & ibi mendum irrepserit.

2, 52, 4. *Compulerantque Cinithios haud spernendam nationem in eadem*] Ptolemæo Κινίθιοι lib. IV. cap. 3. sub parvam Syrtim recensentur: ut non videatur mutandum cum Mureto & aliis, *Cinipbiis*. nisi detur ratio istud flagitans. *Cinips* enim fluvius & regio inter utramque Syrtim Plinio lib. V. cap. 4.

2, 53, 1. *Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum Consules habuit.*] Hic Tiberii Consulatus paucorum duntaxat dierum fuit. Suetonius Tib. 26. *Nec amplius quam omnino tres Consulatus unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usque in Idus Majas gessit.* loquitur de Consulatibus a Tiberio Principe administratis. Quod illustrat Inscriptio vetus, apud Stephanum Vinandum Pighium ad hunc annum, quam subjicio:

CERERI. AVGVST
MATRI. AGR
L. BENNIVS. PRIMVS
MAG. PAGI
BENNIA. PRIMIGENIA
MAGISTRA. FECER
GERMANICO. CÆSARE II
L. SEIO. TVBERONE. COSS.
DIES SACRIFICI XIII. K. MAI

2, 54, 3. *obvii aquilones depulere*] Amicus legebat: *repulere*.

Igitur Ilio, quæque ibi varietate fortunæ & nostri origine veneranda, relegit Asiam] MS. Corbejensis, nunc Mediceus, qui conservavit nobis solus quinque priores Annales, habet; *Igitur alio, quæque*

ibi

ibi &c. ut testatur Pichena, qui postremus Editorum Codice eo usus est. Inde Freinshemius unica tantum literula mutata legit: *Igitur Ilio, quæque ibi.* indubitata conjectura, quoniam mox in sequentibus verbis originis Romanæ fit mentio. Hanc igitur lectionem in contextum recepi. Cui enim bono crucem relinquere ingeniis aut æternum divinationibus indulgere. *Ilio, quæque ibi.* pro ab Ilio & ab iis, quæ ibi. Vide reliqua apud ipsum,

2, 56, 3. *in urbe Artaxata*] Similiter 6, 33, 1. *urbe Artaxata potiuntur.* Rursus numero plurium 13, 41, 3. 14, 23, 1. Similiter *Gangra, Bostra, Abila, Celæne* & similia utroque numero occurrunt.

Ceteri venerantes regem, Artaxiam *consalutavere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis*] Vix inducor, ut a Taciti manu profecta credam ultima verba. Nam Zeno *Artaxias* appellatus non ab urbe *Artaxata*, ut hic dicitur, sed a conditore regni, seu primo Armeniæ rege *Artaxia*, qui ex Præfecto Antiochi Magni Romanorum favore Rex Armeniæ factus, Artaxata urbem per Hannibalem condidit, teste Strabone lib. XI.

2, 57, 4. *responsum a Pisone precibus contumacibus, discesseruntque opertis odiis*] Lipsius pro *opertis* scribit *apertis*: atque ita legendum esse multa evincunt: primo sermo Germanici, quem ad Pisonem habuit; *qualem ira & dissimulatio gignit*: dein Pisonis *preces contumaces*: rara Pisonis in tribunali Cæsaris præsentia: austeritas & diversa semper a Germanico sententia. Ut taceam innatam utrique indolem vulgatam lectionem refutare, simplicitatem dico Germanici & Pisonis ferociam, quæ utraque minus apta *odiis opertis* seu obscuris.

2, 59. 1. *M. Silano L. Norbano Coss.*] *M. Iunius Silanus*, Marci qui Cos. a. 729 filius, uti colligi potest ex Indice Coss. apud Dionem, tum marmore Pighio Romæ viso, in quo:

EX. S. C.

M. JVNIO. M. F. L. NORBANO BALBO COS.

Socer Caligulæ, uti patet 6, 20, 1. & apud Suetonium Calig. cap. 12. De quo plura ad 13, 1, 1. *L. Norbanus Balbus* filius C. Norbani Flacci, qui ex Hispania triumphavit a. 719. juxta Fast. Capit. In Indice enim

enim Consulum apud Dionem Caji filius dicitur. Frater ergo C. Norbani, qui Consul cum Druso Cæsare a. 768. 1, 55, 1. In amborum autem prænomine in dicto Indice erratum. Alter enim Λ. Νωρβανὸς Γ. υἱ. Φλάκκος. pro Γ. alter Γ. Νωρβανὸς Γ. υἱ. Φλάκκος. pro Λ. Ceterum ab anni hujus Coss. lex *Iunia Norbana* denominata est.

2, 59, 4. *Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis inlustribus, seposuit Ægyptum*] Sæpius mentio fit *equitum Romanorum inlustrium* apud nostrum, ut 4, 58, 1. 6, 4, 2. 18, 3. 11, 4, 1. 35, 4. 15, 28, 4. unde non sine caussa Lipsius pronunciat ad 11, 4, 1, non videri temerarium, quod toties hic titulus repetitus. Ipse suspicatur sic dictos, qui non quidem Senatores, sed & censum habebant & spem senatoriæ dignitatis: immo etiam ordinis ejus insigne, id est latum clavum. Idque colligit ex eo quod Tacitus *equites inlustres* cum Senatoribus conjungat pari gradu: ut in hoc loco, & 16, 17, 1, *Mella & Crispinus equites Romani dignitate senatoria.* Titulum vero *inlustrium* refert ad Augustum, *latum* horum *clavum* ad Cajum, ad quod duo adducit ex Dione loca, quæ videnda sunt. Prior ex libro LIV. ubi narrantur res anni 742, his verbis: Τὴν δὲ δημαρχίαν ὀλίγων σφόδρα διὰ τὸ τὴν ἰσχὺν σφῶν καταλελύσθαι, αἰτούντων, ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον· κἀκ τούτων τὸ πλῆθος τοὺς ἐνδέοντας αἱρεῖσθαι σφίσιν, εἰ μὲν βουλεύειν μετὰ τοῦτ' ἐθέλοιεν, εἰ δὲ μή, ἐς τὴν ἱππάδα αὖθις ἐπανιέναι ἐξεῖναι. *Quum Tribunatus plebis propter abolitam Tribunorum potentiam a perpaucis peteretur, legem tulit, ut ex equitibus qui non minus quam decies sestertium possiderent, quilibet magistratu præditus unum deligeret: & ex his populus eos, qui deficerent designaret: siquidem ii equites deinceps senatoriam dignitatem adipisci vellent: sin minus, ut eis licitum esset ad equestrem ordinem redire.* Suetonius hujus constitutionis Augusti pariter meminit in ejus vita cap. 40. *Comitiis tribunitiis si deessent candidati Senatores ex equitibus Romanis creavit: ita ut potestate transacta, in utro vellent ordine, manerent.*

rent. Ideo autem creavit Senatores, quoniam a temporibus Sullæ nemo fieri Tribunus plebis poterat nisi Senator. Sed in Dionis loco longe aliud ab Augusto constitutum dicitur quam Lipsius inde elicit: videlicet ut equites, quibus in patrimonio esset decies sestertium allegerentur in Senatum sub illa conditione ut Tribunatum plebis peterent, cum alias juxta aliam ejusdem Principis constitutionem, factam a. 737. nemo in Senatum ex censu allegi posset, nisi qui duodecies sestertium possideret, juxta Suetonium Aug. cap. 41. (dissentit Dio & senatorium censum definit decies sestertio lib. LIV. sed non me movet hujus contra Suetonium auctoritas) Postea idem Augustus promiscue equitibus petendi Tribunatus plebis potestatem fecit a. 764 teste Dione lib. LVI. Nihil igitur de titulo *inlustrium* cœpto sub Augusto ex hoc Dionis loco infertur. Ut nec alterum declavo equitibus hisce a Cajo addito probari ex eodem videtur lib. LIX. Τοῦ τε τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς τοῖς τε συγγένεσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο· καὶ τισὶν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε. Πρότερον γὰρ μόνοις ὡς ἔοικέ πως τοῖς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ φύλου γεγενημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν. *Cum ordo equestris ad paucos redigeretur primores ex omni Imperio etiam extra Italiam qui genere & opibus excellerent in eum allegit: & quibusdam eorum etiam senatoria veste priusquam magistratum ullum cepissent, uti dedit in spem dignitatis. Nam antea non nisi iis, qui senatoria stirpe essent, id permissum.* Nam in hoc loco latus clavus privilegio Caji nonnullis equitum concessus dicitur ab eodem Principe ex omni Imperio & extra Italiam in equestrem ordinem allectorum. Quod diversum ab eo, quod in thesi erat, videlicet *equites inlustres* sive senatorium censum possidentes, lati clavi portandi jus a Caligula adeptos. Dialectici fallaciam hanc appellarent a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Illud igitur in sententia Lipsii verum videtur *equites inlustres* appellatos qui censum senatorium possiderent, & propterea veste senatoria uterentur: falsum primum fluxisse

ab Augusto, alterum a Cajo. Immo jam temporibus Reipub. mentio horum equitum, ut Pichena observavit. Livius lib. xxx. cap. 16. *tertiæ decimæ quoque legionis, quæ postremo prælio affuerat, Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit, & duo & viginti ferme equites illustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquot perierunt.* *Latum* vero *clavum* his non fuisse a Cajo datum ex Ovidio clarum, qui diu ante Augusti constitutionem, qua Lipsius in probando primo capite nititur, ut de Cajo taceam, de se & fratre suo canit lib. IV. Trist. El. 10.

Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumta mihīque toga est.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

& paullo post de se solo:

Cepimus & teneræ primos ætatis honores
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat: clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.

unde patet cum exilio senatoria veste Ovidio interdictum. Fuit autem equestri familia vetere ortus: unde in Ponticis,

Si genus excutias, equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos.

Quare Suetonii locum Aug. cap. 38. *liberis Senatorum quo celerius Reipub. assuescerent protinus virili toga latum clavum induere & curiæ interesse permisit*, purem conjunctim esse explicandum non divisim in ultimis verbis: quoniam si equitum illustrium liberi habuerint jus lati clavi sumendi simul cum toga virili, multo magis liberi Senatorum habuisse idem videntur. Immo habuisse illos hoc jus ante Augustum vel exemplo ipsius Augusti constat, de quo Suetonius in ipsius vita cap. 94. *Sumenti virilem togam tunica laticlavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Solius igitur patrimonii ratio dedisse equitibus videtur vestis senatoriæ jus etiam Reipub. temporibus, idque mansit sub prioribus Cæsaribus. Hinc de Vespasiano, cujus pater Sabinus fœnus apud Helvetios exercuerat, ibique diem obierat, testatur idem Suetonius in ejus vita cap. 2. *Sumpta toga*

virili

virili latum clavum, quamquam fratre adepto, diu aversatus est: nec ut tandem appeteret, compelli nisi a matre potuit. Ea demum extudit, magis convicio quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Et quem idem vocat *laticlavium* Ner. cap. 29. Tacito 13, 25, 3. *Senatorii ordinis* dicitur, *sed qui nondum honorem capessisset.* Dioni lib. LXI. minus accurate βουλευτής. Similiter 15, 28, 4. *Vivianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria ætate.* Hinc pariter in militia tribuni laticlavii fluxisse videntur, a quibus contra distincti *angusticlavii*, quoniam & tertium genus, de plebe scilicet: ita videor colligere ex Suetonio Oth. cap. 10.

2, 60, 2. *Inde proximum amnis os dicatum Herculi*] Subintellige *visit*, ex sequenti membro. Similes ellipses apud Tacitum frequentes: ut 3, 6, 3. 47, 2.

2. 60, 4. *regem Rhamsen*] Eusebius n. DXXXIV. REMESSES, *qui & Ægyptus*, *an.* LXVIII. ubi Codd. aliquot *Ramesses*. Ad quem locum Scaliger ex Manethone apud Josephum notat, *Sesothim* trinominem fuisse & appellatum præterea *Ramessem* & *Ægyptum*. In obelisco apud Ammianum lib. XVII. dicitur *Ramestes*: Josepho Ῥαμέσσης & Ῥάμψης. Ergo *Rhampses*, *Ramesses* vel *Ramestes*, *Sesothis* Manethonis, *Sesostris* Herodoti, *Sesoosis* vel *Sesosis* Diodori & Plinii. Sic æstu suo explicatur Lipsius.

2, 61, 3. *atque alibi angustiæ & profunda altitudo nullis inquirentium spatiis penetrabilis*] Vir doctus in Adnotationibus ad Ammianum lib. XXII. cap. 15. non dubitat, quin hic de *Syringibus* sermo, quæ apud Thebas trans Nilum, non procul a sonante Memnonis statua. Dubitandi tamen ratio duplex: quod *Nili* mentio membro superiore, & *Syringibus* nemo *profundam altitudinem* tribuat *nullis inquirentium spatiis penetrabilem.* Unde verisimilius, τὰς πηγὰς τοῦ Νείλου ἐούσας ἀβύσσους, *fontes Nili abyssos*, qui inter Syenen & Elephantinam, intelligi: de quibus Herodotus lib. II. cap. 28.

2, 63, 6. *& Vibilio duce*] Scribendum videtur, *Vibillio*. vide ad 12, 29, 2.

2, 64, 3. *omnem eam nationem Rhæmetalces te-*

nuerat] Huc referendus nummus apud Triſtanum Tom. I. in cujus uno latere effigies Auguſti cum epigraphe : ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. in altero vultus *Rhœmetalcis* additis duabus vocibus : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ.

2,66,4. *Pomponium Flaccum, veterem ſtipendiis*] Adſentior Freinshemio legendum cenſenti *veterem ſtipendii.* quoniam ſic ſolet, ut 1,20,4.6,12,3. & 44, 1. H.4,20, 4. De Pomponio Flacco vide 2, 41, 2.

2, 67, 6. *exemplo quo majores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem in Ægyptum miſerant*] Res illuſtris & quæ magnitudinem Reipub. iſtius temporis mirifice prodit. Vide Pighium ad a. 590. & huc refer denarium in memoriam hujus tutelæ cuſum, apud Vrſinum.

2, 68, 3. *Remmius evocatus*] *evocatus* nomen muneris vel gradus in militia ut centurio, tribunus: ideoque minuſcula litera edendum curavi Freinshemii admonitionem ſecutus.

2, 69, 2. *admotas hoſtias*] Verbum ſacrificale, ut hic notat Lipſius. Suetonius Cal. cap. 32. *admota altaribus victima.* Valerius Maximus lib. 1, cap. 1. ex. 4. *exta aris admota.*

2, 69, 3. *Semuſti cineres ac tabe obliti*] Lipſius & Muretus maluerunt *tabo.* Quoniam *tabes* proprie morbum notat qui Græcis φθίσις, ſupra 1, 53, 3. *omnis ſpei egenam inopia ac tabe longa peremit.* *Tabum* ſanguis corruptus. Gloſſæ: *Tabo*, αἵματι νεκρῷ, λύθρῳ. & noſter infra aliquoties. Nihil tamen temere mutandum. Apud Suetonium enim *tabes* pro *tabo* legitur Vit. cap. 10. *Utque campos in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt: optime olere occiſum hoſtem & melius civem.* apud Silium : *tabe fluunt.*

2, 73, 5. *prætulerit ne veneficii ſigna, parum conſtitit*] Suetonius dicit prætuliſſe Cal. cap. 1. idemque lib. XI. cap. 37. affirmat Plinius.

2, 74, 1. *Cn. Sentium*] Filium reor C. Sentii Saturnini, qui Conſul cum Sex. Ælio Cato a. 757. a quibus lex Ælia Sentia, quæ manumittendi coërcuit licentiam, denominata eſt. Neſcio autem qua auctoritate apud Pighium hic *Cnejus* appelletur *Cajus.*

2, 74, 2.

2, 74, 2. *qui crimina & accusationem tamquam adversus receptos jam reos instruebant*] *Instruere crimina* & *instruere accusationem*, JCti dicunt pro conquirere omnia necessaria, quæ ad crimen probandum atque accusationem instituendam sunt idonea, velut literas, indices, testes & similia. Vlpianus l. 9. §. ult. D. ad l. Corn. de Falsis : *qui delatorem summisit in causa pecuniaria, eadem pœna tenetur, qua tenentur hi, qui ob instruendas lites pecuniam acceperunt.* & hinc *instrumenta*. Paullus l. 1. D. de fide instrum : *instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest : & ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur.*

2, 77, 1. *Si quid hostile ingruat, quam justius arma oppositurum, qui Legati auctoritatem & propria mandata acceperit?*] In MS. Mediceo legitur : *quem justius.* inde levissima mutatione Pichena fecit *quam j.* quomodo secutus editionem a I. F. Gronovio recensitam edendum curavi. *Quam* autem hic ponitur pro quanto, uti Frinshemius monuit. In loco autem Quintiliani, quo id adstruit lib. I. Instit. cap. 1. *Quam in his quoque libris erunt omnia compositiora.* pro *quam* in Edd, quas vidi, legitur, *quare*: at in Thesauro L. L. ut adducitur. Sed exempla hujus usus passim occurrunt. Virgilius lib. VII. Æneid. v. 788.

Tam magis illa tremens & tristibus effera flammis
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

2, 79, 2. *ubi Prætor qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus diem prædixisset*] Muretus & Acidalius legunt, *prodixisset.* quoniam *prodicere diem* vox propria & singularis pro jubere reum & accusatores in certum diem adesse. Cicero pro Domo cap. 17. *nam cum tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta : primum ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur : deinde ne nisi prodicta die, quis accusetur* &c. Livius lib. III. cap. 17. *in carcerem est conjectus eique tribunus diem prodixit.* lib. VI. cap. 20. *Prodicta die in Petelinum lucum extra portam Flumentanam unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est.*

2, 79, 3. *Domitius Laodiceam urbem Syriæ adpulsus*] Plures fuere *Laodiceæ*, sed hic intelligitur quæ

in promontorio ædificata non longe ab Orontis ostio & luco Daphnensi, quæ *libera* Plinio lib. V. cap. 20.

2, 79, 5. *magnitudinem Imperatoris*] *Magnitudo* hic majestas, *Imperator*, Tiberius. Uti I. F. Gronovius contra Freinshemium recte explicat. Sic 3, 56, 3. 14, 54, 2. 16, 23, 2. *magnitudo* pariter sumitur.

2, 80, 7. *Ut venere in manus*] Alii dicunt *ad manus*: sed Tacitus Sallustium æmulatur, apud quem Bello Iugurth. cap. 89. *Ac primo mediocria gerebat, existumans Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum.* atque ita iterum scripsit noster H. 4, 71, 7. *ut ventum in manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur.* quomodo ibi rescripsimus Longobardici codicis, quo Pichena etiam usus, auctoritatem secuti: nam vulgatis ante Editionibus legitur, *ad manus.* Vide plura exempla apud I. F. Gronovium ad Livium lib. II. cap. 46.

2, 81, 1. *regressusque, & pro muris modo semet afflictando modo singulos nomine ciens, præmiis vocans, seditionem cœptabat*] Disputant Interpretes quomodo verba *pro muris* intelligenda: & alii quidem explicant simpliciter ante muros, quasi Piso egressus castellum in ipsius aditu ante muros, Sentianos adlocutus fuerit: alii putant dictum ut *pro rostris, pro tribunali, pro littore*, pro in muris vel supra muros. Et horum sententia procul dubio vera. Nam cum castellum illud a Sentiano milite, qua adiri terra posset, obsidione clausum esset, quomodo concipi locus potest, in quo Piso extra illud commorari tuto potuerit? ut taceam narrationis hujus consequentia, apud nostrum sensum hunc respuere. Nam si extra castellum Piso seditionem hanc ceptasset, non propterea opus habuit Sentius ipsum castellum aggredi ut fecit, sed Pisonem capere debuit. Omnino igitur sic accipienda tota hæc historia, Pisonem circa id ipsum tempus quo sui rejiciebantur & intra munimenta castelli recipere se cogebantur, per aversam portam, adscendisse classem, ut cum illa tentaret mari fortunam, videretque an Sentianam classem, quæ haud procul a Celendris portu in anchotis stabat expugnare posset, quod cum itidem sine successu fuisset, per eandem aversam

ſam portam regreſſum in caſtellum atque tunc in muris lateque conſpectis caſtelli locis modo ſemet adflictando, modo ſingulos nomine ciendo, præmiisque vocando ſeditionem ceptaſſe. *Pro muris* autem a Salluſtio ſumptum Bello Jugurth. cap. 94. *At Numidæ ſæpe antea vineis Romanorum ſubverſis item incenſis, non caſtelli mœnibus ſeſe tutabantur; ſed pro muro dies noctesque agitare; maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare; militibus noſtris Iugurthæ ſervitium minari; ſecundis rebus feroces eſſe.*

2,82,4. *ut ante edictum magiſtratuum, ante Senatus conſultum, ſumpto juſtitio deſererentur fora, clauderentur domus, paßim ſilentia & gemitus*] Similem publici luctus imaginem ob Druſi mortem adumbrat Auctor Elegiæ de morte Druſi, a. v. 181.

Urbs gemit & vultum miſerabilis induit unum.
Gentibus adverſis forma ſit illa, precor!
Incerti clauduntque domos, ſtrepitantque per urbem;
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura ſilent, mutæque tacent ſine vindice leges
Adſpicitur toto purpura nulla foro.
Dique latent templis neque iniqua ad funera vultus
Præbent: nec poſcunt thura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent: pudet ora colentum
Adſpicere invidiæ, quam meruere, metu.

2, 83, 1, *ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur*] Tales nummi argentei Auguſti exſtant & aliorum.

2, 83, 4. *Sepulchrum Antiochiæ ubi crematus*] Amicus malebat, *Antiochia*.

Tribunal Epidaphnæ, *quo in loco vitam finierat*] Beroaldus & Rhenanus: *Epidaphne*. Plinius lib. V cap. 21. *Intus ipſa Antiochia libera Epdiaphnes cognominata*, quæ Græcis *Antiochia* ἐπὶ Δάφνῃ vel ἐπὶ Δάφνης. Hic vero ita appellatur amœniſſimum illud *Antiochiæ* ſuburbium, Δάφνη Græcis dictum, eo fere modo, quo *Inarime* ab Virgilio conflata ex duabus Homericis vocibus εἰν Α'ρίμοις. Alias minime novum Latinos ſcriptores Græca locorum & oppidorum nomina, quamvis commode Latina ſignificatione exprimi poſſent, retinere. Ita Livius *Hieran comen*, *Gordiu tichos*,

Aporidos comen , *Xylinen comen* aliaque Græco more effert : & Plinius passim.

2, 86, 1. *Soror Germanici Livia nupta Druso duos virilis sexus simul enixa est*] Quorum alter Drusus appellatus periit quadrimus 4, 15, 1. alter Tiberius Gemellus a Cajo occisus est, quod sic futurum Tiberius præviderat 6, 46, 5. In memoriam autem hujus puerperii cusus nummus, in cujus uno latere circum Drusi imaginem : DRUSUS CAESAR. TI. AVG. F. DIVI AVG. N. in altero gemellorum capita conspiciuntur Copiæ cornibus imposita, in quorum medio caduceus. Item alius qui loco effigiei Drusi in una area habet, SC. circum, DRUSUS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. PONT. TR. POT. II.

2, 86, 3. *nam Agrippa discidio domum imminuerat*] Scripsi *discidio* , cum ante hic legeretur *dissidio*, secutus observationem illorum qui notarunt *dissidium* proprie dissensum esse animorum, a *dissidendo*; *discidium* separationem sive distractionem corporum conjunctorum a *discindendo*. Quamvis enim in divortio plerumque etiam interveniat animorum dissensus, tamen quoniam corporum separatio magis in illo conspicua est *discidium* pro divortio dici cœptum. Mirifice autem hæ duæ voces confusæ apud Auctores, etiam nostrum hic & 3, 34, 8. 11, 30, 3. 14, 1, 2. quibus locis genuinam vocem reposui.

AD

AD ANNALIVM

LIBRVM III.

3, 1, 4. *Complentur non modo portus & proxima maris*] Putem cum Mureto & Freinshemio *mari* ab Auctore scriptum. Vide hujus notas.

3, 2, 5. *Consules M. Valerius & M. Aurelius*] In Indice Coss. apud Dionem: M. 'Ουαλέριος M. ὑιὸς Μεσσαλᾶς καὶ M. Αὐρήλιος M. ὑ. Κόττας. Et de priore nemo dubitat quin filius M. Valerii Messallæ vel Messallini, qui Consul a. 751, cum Cn. Cornelio Lentulo Getulico (quibus Coss. natus Galba Imp. auctore Suetonio) nepos M. Valerii Messallæ Corvini, Oratoris, qui Cos. cum Augusto III. a. 723. pronepos Messallæ Nigri, itidem Oratoris, qui Cos. cum M. Pupio Pisone. a. 693. Tulitque hæc domus tria pacis decora, tres magnos Oratores invicem se subsequentes. Nam pater hujus M. Valerii Messallini, qui Cos. cum M. Aurelio a. 773. pariter fuit Orator: unde de hoc 3, 34, 1. *ineratque imago paternæ facundiæ.* & de hujus patre Ovidius in Epistola ad eum scripta II lib. II. ex Ponto:

Vivit enim in vobis facundi lingua parentis
Et res heredem repperit illa suum.

Sed de altero Consule res non tam clara est. Glandorpius *M. Aurelium Cottam* facit fratrem patruelem *M. Valerii Messallini*, & horum Consulatum propterea rarissimi dicit exempli: ut vero hoc efficiat, patrem *Cottæ* dat L. Aurelium Cottam Messallinum, quem in Onomastico sexennio post fratrem Messallinum, in stemmate Valeriorum a. 757. ait fuisse Consulem. Sed *Lucius* iste non Aurelius, sed A. Οὐαλέριος Ποτίτου ὑ. Μεσσαλᾶς Οὐάλαισος sive 'Ουόλεσος in Dionis Indice Coss. nec *Cotta* filius *Lucii* sed *Marci* in eodem Indice dicitur. Non habuit igitur *Cotta* anni hujus Consul patrem, quem illi adsignat Glandorpius, nec frater fuit patruelis collegæ sui *Valerii Messallini*, ut idem putat. Quid igitur?

 Procul

Procul ullo dubio *Cotta* hic filius fuit *Messallæ Corvini* Oratoris, non nepos; patruus collegæ *Valerii*, non patruelis. Duos enim filios habuisse Messallam Corvinum *M. Valerium Messallam* seu *Messallinum* & *M. Aurelium Maximum Cottam*, indubitatum facit Ovidius, qui ad hos fratres ex Ponto scripsit lib. II. Ep. 2, & 3. postea sæpius, præcipue ad *Maximum Cottam*. Ex his *Cotta* nomen gentile mutavit, quoniam in adoptionem datus aut avunculo, aut avo materno *Aurelio Cottæ*. Unde Ovidius lib. IV. El. ult. ex Ponto:

Maternos Cottas cui Messallasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.

& lib. III. El. 2.

Adjectique probent genitiva ad nomina Cottæ,
Si tu non esses, interitura domus.

Et hinc quamdiu ejus frater viveret vocatus *M. Aurelius Maximus Cotta*; postquam vero is ab hirudinibus interemptus, Plinio teste lib. XXXII. cap. 10. cognomen suum *Cotta* fratri reliquit, ut scribit Paterculus lib. II. cap. 112. Ex eo igitur *M. Aurelius Maximus Cotta Messallinus* dici cœpit. Hunc autem esse Consulem hujus anni patet, primo ex eo quod is *Marci* filius dicitur in Indice Coss. apud Dionem; secundo ex Persio, cui hic *Cotta* Sat. II. v. 72. *Magni Messallæ lippa propago.* tum ejus Scholiaste, qui ad hunc locum: *Cottam Messallinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebræ ejus in exteriorem partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius Maximus dicebatur, originem trahens ab Valerio* (male vulgo *Aurelio*) *Messalla, qui septies fuit Consul.* Attigisse enim hunc *Cottam Messallinum* Neronis Principatum & Persii tempora ex Tacito clarum 13, 34, 3. ubi narrari incipiunt res anni 811. sive quinti Neronis. Et hinc Tacitus 4, 21, 5. *At Messallinus Cotta haud minus claris majoribus.* & Plinius lib. X. cap. 22. *Messallini Cottæ*, Messallæ Oratoris filii meminit, quem deinde lib. XXXII. cap. 6. consularem vocat. Nec est quod aliquis contra hæc objiciat non videri verisimile *Cottam* post Consulatum suum XXXVIII minimum annis super-

fuisse

fuisse; cum fratre suo multo fuerit junior, & ex dictis constet valde senem mortuum. Certe Ovidius, qui natus anno,

Quo cecidit fato Consul uterque pari:

scilicet 711. dicit se coluisse amicitiam cum Messallis ante quam *Cotta* natus esset lib. II. El. 3.

Movit amicitiæ tum te constantia longæ,
Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.

& in eodem carmine, quod circa extrema Augusti tempora scriptum, *Cottam* appellat *juvenem*: ut taceam, indubitatum esse Persii testimonium, qui cur satyrico sale perfricuerit hunc *Cottam* æterna Taciti monumenta docent. Corrigendum igitur Valeriotum stemma apud Glandorpium. Vide reliqua huc pertinentia ad 3, 17, 8. & 3, 18, 3.

3, 5, 3. *circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines*] Muretus, Lipsius, Freinshemius putant ab Auctore scriptum *Liviorumque* non *Juliorumque* propter duas rationes. Primo quoniam non verisimile *Claudios* a Tacito *Juliis* præpositos: secundo quoniam cum materna familia Drusi Liviorum sit, *Julios* vero non contingat, videatur absurdum, *Juliorum* potius quam Liviorum imagines in Drusi funere dici prælatas. Verum ad primum responderi potest, non agi hic de dignitate gentium *Claudiæ* & *Juliæ*, sed de ordine quem cujuslibet imagines in Drusi funere tenuerint. Similiter Valerius temporis intuitu *Claudiam* gentem præponit *Juliæ* lib. V. cap. 5. ex. 3. *Hoc exemplo* (M. Fabii) *vetustas, illo seculum nostrum ornatum est: cui contigit fraternum jugum Claudiæ prius nunc etiam Juliæ gentis intueri decus. Iugum* vocat mutuum & æqualem amorem fratrum Tiberii & Drusi. Ad secundum pariter non deest responsum. Videlicet eo quod Juliorum imagines dicantur præsentes fuisse, non excludi imagines Liviorum aliarumque gentium nobilium, quas defunctus contingebat. Plurium enim gentium imagines in nobilium funeribus portabantur. In funere Juniæ, M. Bruti sororis, viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ dicuntur 3, 76, 3.4. Quid igitur putemus factum in funere Drusi, cum

Claudii non minus nobiles essent quam Junii; & Drusus domum insuper imperatricem per matrem contingeret. Retinenda igitur omnino vulgata lectio: intelligendumque illarum familiarum imagines præsentes fuisse in Drusi funere, quas *Claudii* & *Julii* ostendere essent soliti in suis quique funeribus.

3, 5, 7. *præpositam thoro effigiem*] Scribo cum Mureto & Grotio *propositam*. *Proponere* enim est in publico ponere, visui omnium exponere. Suetonius Galb. cap. 10. *Igitur cum quasi manumissioni vacaturus conscendisset tribunal propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus &c. deploravit temporum statum.*

3, 6, 7. *quia ludorum Megalensium spectaculum suberat*] *Suberat* in indice Freinshemii Editioni subjuncto exponitur instabat, atque ita pariter redditur in Freinshemiana paraphrasi. Verum dubito an *subesse* sic alibi legatur; quod si nusquam sic exstet, legerem addita litera, *subierat*. ut apud Virgilium:

Subeunt morbi, tristisque senectus.

& Ovidium:

Subiit argentea proles.

3, 7, 1. *& Drusus Illyricos ad exercitus profectus est*] Ex hoc loco patet Drusum non propter aliud ex Illyrico in Urbem vocatum, quam ut Germanici fratris exsequias præsentia sua celebraret. Missus enim in Illyricum Drusus eodem fere tempore, quo Germanicus in Orientem solvit, autumno scilicet anni 770. 2, 44, 1. fine autem anni 771. iterum Romæ fuit 3, 2. 4. Verisimile igitur Romam a Tiberio propter Germanici funus evocatum.

erectis omnium animis petendæ e Pisone ultionis] Nulla mutatione opus. Ellipsis nostro familiaris. *petendæ ultionis* sc. caussa, gratia, vide 3, 27, 1.

3, 11, 2. *T. Arruntium*] Existimo cum Nicolao Fabro item Lipsio legendum, *L. Arruntium*: & eundem intelligi, de quo 1, 13, 1.

Fulcinium] Aurelius putat scribendum *M. Fulcinium.* Nec dubito quin aliquid vitii hæc vox contraxerit, propter prænominis omissionem. Sed in eo Aurelio accedere non possum, quod censet *Fulcinium Trionem* intelligi. Paullo enim ante de hoc narra-
verat

verat Auctor eum in numerum accusatorum Pisonis fuisse receptum eatenus ut priorem vitam accusaret, 3, 10, 3. Absurdum enim & prævaricationis manifestæ, ex accusatore fieri patronum. Nec convenit ratio in hanc rem allegata, ut accusatorem validum & eloquentem subtraheret adversariis, Pisonem hunc patronum petiisse: quoniam Trioni tantum concessum ut priorem Pisonis vitam accusaret, de quo paullo post Tacitus 3, 13, 2. *Fulcinius vetera & inania orditur*; ambitiose avareque habitam Hispaniam. *quod neque convictum noxæ reo, si recentia purgaret; neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis.* Nullus igitur metus Pisoni a Trione erat. Præterea parum verisimile ab Tacito hominis novi nomen, & cujus *celebre inter accusatores ingenium, avidumque famæ malæ* dicitur 2, 28, 4. ante nobilissimos viros & principes civitatis oratores positum. Quare aut alius hic *Fulcinius*, aut forte *M. Vinicium* legendum.

3, 11, 3. *Livenejus Regulus*] Scribendum *Livinejus.* uti est in nummis apud Ursinum. & sic infra 14, 17, 1.

3, 12, 10. *nec si qua in nos adversa finguntur*] Id est non attendat adversis sermonibus, quibus immerito & falso traducimur, quasi scilicet lætaremur Germanici interitu & faveremus Pisoni. I. F. Gronovius mavult, *diversa.*

3, 13, 4. *Sacra hinc & immolationes nefandas*] Adsentior Freinshemio qui sacra hæc & immolationes nefandas non accipit de magicis, ut faciunt plerique Interpretes, sed de sacrificiis, quæ fecit Piso audita Germanici morte, ad gratias diis agendas, quod inimicum ejus sustulissent, 2, 75, 3. Ratio, quod Auctor alias bis idem diceret, quoniam sub vocabulo *devotionibus* jam ante magica sacra complexus est.

3, 14, 2. *cum super eum Piso discumberet*] Freinsmius hæc reddit, *cum ad dextram ipsius accumberet.* Quod non modo non exprimere verba, sed quid etiam iis ponere contrarium videtur. Plutarchus lib. I. Symp. Quæst. 3. locum honoratissimum in triclinio docet fuisse infimum in medio lecto, qui inde consularis dictus; primum in lecto imo hospitis,

 seu

ſeu convivii domini. Hoc apparet in Salluſtii loco lib. III. Hiſtor. pro ut is partim apud Servium partim apud Nonium legere eſt: *Igitur diſcubuere. Sertorius inferior in medio, ſuper eum Tuſcus Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis: in ſummo Antonius, infra ſcriba Sertorii Verſius, alter ſcriba Mæcenas in imo medius inter Tarquitium & dominum Perpennam.* Igitur ſi in triclinio, ut videtur epulati, Germanicus diſcubuit loco conſulari, in infimo medii lecti loco: ſuper eum eodem in lecto jacuit Piſo, non ad dextram, ſed potius ſiniſtram, certe poſt Germanici in ſiniſtro latere jacentis tergum. Similiter 14, 4, 4. de Agrippina & Nerone: *comiter excepta ſuperque ipſum collocata.* Ubi Lipſius tantum duos accubuiſſe putat, uti hoc convivio tres: ſed putat, non probat. Immo ſolennitas epularum, juvenilis Neronis familiaritas & tractus in longum convictus ut ibi aliud ſuadent, ſic hoc loco Germanici comitatus ipſiusque humanitas.

3, 14, 4. *ſcripſiſſent expoſtulantes quod haud minus Tiberius quam Piſo abnuere*] Nullis in his verbis ſenſus. Unde ſequor Mercerum levi mutatione locum hunc perſanantem: *ſubmiſſe expoſtulantes, quod* &c. *abnueret.* id eſt indignabantur Patres, quod præcipuum rei crimen, homicidium Germanici, non minus Princeps diffiteretur atque a Piſone rejiceret, quam ipſe Piſo.

3, 15, 1. *& ſi ita ferret*] Subintelligitur *fors* vel *fortuna.* H. 2, 44, 6.

3, 16, 2. *neque tamen occulere debui narratum ab iis qui noſtram ad juventam duravērunt*] Natales Taciti in Claudii Imperatoris circiter incidunt initium ſive annum 800. Piſo ſe interfecit a. 773. unde ad Taciti juventam, ſi juventam pro adoleſcentia accipias, quæ incipiebat anno ætatis quinto decimo ut 3, 29, 1. intervallum eſt annorum XLIII. ſi vero pro illa ætate, quæ incipiebat anno ætatis triceſimo, intervallum LVIII annorum. Unde apparet quomodo vel ſecundum latiſſimam τοῦ *juventa* ſignificationem ſupereſſe potuerint teſtes oculati qui Tacito tragicam hanc hiſtoriam referrent.

3, 16, 3. *Cæſar flexo in mœſtitiam ore,* ſuam invidiam

diam tali morte quæsitam *apud Senatum crebrisque interrogationibus exquirit*, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset] Removi astericum, ad hanc periodum multifariam ab Editoribus positum. Sanus enim locus : verum in priore parte subintelligendum, *dicit* vel *queritur* : posterior explicanda ex sequenti periodo. Nam quod nonnulli Interpretum imaginantur codicillos Pisonis ad Tiberium, a liberto ipsi traditos in Senatu, atque ex eo exquisitum, quod hic legitur, non placet. Haudquaquam enim verisimile libertum Pisonis cui hæc traditio mandata, tam fuisse rerum agendarum imperitum, ut codicillos ad solum Principem pertinentes tradere in Senatu voluerit, loco, ubi nullum cogitandi spatium : sed contra rationi maxime conveniens codicillos hosce Principi traditos statim post Pisonis necem cum prima luce & antequam Senatum ingrederetur. Ita enim tempus deliberandi concedebatur, quid super iis in Senatu acturus esset. Et videmus ex sequentibus plane meditatum præparatumque accessisse Tiberium. Putem igitur illud *exquirit* explicandum ex sequenti periodo. In qua tamen una vocula corrupta fecit ut Interpretes hic deesse aliquid crederent. Similis ellipsis 2, 60, 2. 3, 47, 2.

3, 16, 4. *Atque illo pleraque sapienter quædam inconsultius respondente*] Vix dubito quin pro *illo* scribendum, *filio*. Et intelligitur *Marcus*, qui simul cum patre accusatus nunc mortuo eo solus se Senatui sistit. Vide 3, 17, 1.

3, 17, 6. *Biduum super hæc imagine cognitionis absumptum*] *Super* quotiescumque cum quarto casu construitur aut *supra* notat, ut 3, 14, 2. *cum super eum Piso discumberet*. aut *inter*, ut *super mensam debellare Alexandrum* apud Curtium. aut *præter*, quomodo centies apud nostrum ; aut *ultra*, ut *super & Garamantas & Indos* apud Virgilium. aut denique *in* cum verbo motus, ut Germ. 28, 8. *Vbii super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur*. Sed ex omnibus hisce significationibus nullus huic loco quadrat. Quare non videtur dubitandum quin Auctor scripserit, *super hac imagine cognitionis*, id est caussa hujus simulati judicii.

Præ-

Præpositio enim *super* cum sexto casu significat vel de, vel *alicujus rei caussa*. 15, 52, 4. *quamvis super eo crimine Nero vetus adversus insontem odium expleverit*. Mirum, mendum hoc tot viris doctis nondum animadversum.

3, 17, 8. *Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta Consul*] Secundum rogatum sententiam alterum Cos. *Valerium Messallinum* patet in sequentibus 3, 18, 3. tamen supra 3, 2, 5. uti & in Fastis, *Valerius* primo loco ponitur, *Aurelius* secundo. Ratio hujus differentiæ, quod hujus Senatus tempore fasces penes *Cottam*. Hinc L. Antistius Neroni Imperatori præponitur in Inscriptione antiqua apud Gruterum:

HERCVLI
SANCTISSIMO
VOTO SVSCEPTO
C. HERODES
DE SVA IMPEN
DIA D. D.
EID. APRIL.
L. ANTISTIO ET
CLAVDIO NERONE
COSS.

Quod vero supra & in Fastis hujus nomen præponatur patruo non alii caussæ adscribendum, quam legi Papiæ Poppeæ. Gellius lib. 11. cap. 15. *capite septimo legis Juliæ priori ex Consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui pluris annos natus est, sed qui pluris liberos quam collega aut in sua potestate habet, aut bello amisit. Sed si par utrique numerus liberorum est, maritus, aut qui in numero maritorum est, præfertur. si vero ambo & mariti & patres totidem liberorum sunt tum ille pristinus honos instauratur: & qui major natu est, prior fasces sumit.*

3, 18, 3. *Valerius Messallinus*] Hic alter hujus anni Cos. de quo jam actum 3, 2, 5. Sed hoc ibi prætermissum, cur cum pater, avus & majores reliqui *Messalla*, hic *Messallinus* cognominatus. Immo in Indice Coss. hujus pater scribitur M. Οὐαλέριος M. υ. Μεσσαλὸς ἢ Μεσσαλῖνος, qui idem modo *Messalla*, modo

modo *Messallinus* appellatur apud Auctores : & hic ipse qui *Valerius Messallinus* hoc loco, *Messalla Valerius* appellatur 1, 8, 5. item hujus filius *Valerius Messalla* 13, 34, 1. Nec aliam putem dari posse caussam hujus mutationis quam consuetudinem, qua Romani ὑποκοριστικῶς subinde efferebant cognomina. Quemadmodum igitur Romanos diminutivis gavisos certum faciunt *Aviolæ*, *Barbulæ*, *Caligulæ*, *Capellæ*, *Catulli*, *Columellæ*, *Corniculæ*, *Dolabellæ*: sic eandem formam alia terminatione placuisse reor in *Albinis*, *Balbillis*, *Agrippinis*, *Aquilinis*, *Censorinis*, *Drusillis*, *Faustinis*, *Marcellinis*, *Messallinis* similibusque. Cum igitur *Messalla*, Corvini Oratoris filius per suorum & populi blanditias puer appellatus esset *Messallinus*, cognomentum istud ὑποκοριστικὸν non modo ipsi hæsit verum etiam ad filium translatum est. Ab hoc prisco linguæ Latinæ usu non abludit hodie, quæ ex illa pullulavit, Italica; qua nescio an ulla, ne Græca quidem excepta, in diminutivorum formationibus fæcundior. In hac autem frequentissima adhuc terminatio *ino*: unde *Franceschino*, *Gasparino*, *Tomasino*, *Vittorino* & sexcenta talia.

3, 19, 1. *Fulcinio* suffragium ad honores *pollicitus*] Suffragaturum cum Præturam peteret. Hinc *jus honorarium* apud ICtos.

3, 20, 1. *Haud procul Pagida flumine*] Lipsius fluvium hunc alio nomine *Belum* appellari apud Plinium scribit. Sed *Pagida* Plinii est in Phœnice lib. V. cap. 19. *Juxta Getta, Jebba, rivus Pagida sive Belus vitri fertiles arenas parvo littori miscens. Ipse e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit.* & est idem *Belus* qui a nostro H. 5, 7, 4. Iudaico mari inlabi dicitur. *Pagida* cujus hic mentio, fluvius Africæ.

3, 22, 2. *Defendente reum Manio Lepido fratre*] Hic *Manius Lepidus* Cos. fuit cum T. Statilio Tauro a. 764. quamquam enim in Dionis Indice & Fragmentis Capitolinis, quæ typis descripta sunt, Lepidi hujus prænomen notetur litera M. qua *Marcus* significatur, & in ipso Dionis contextu Μάρκος scribatur, tamen in Narbonensi tabula apud Gruterum notatur charactere quo *Manius* designatur.

tur. Et ex nostro patet duos *Lepidos* sub Tiberio vixisse, quorum alter *Marcus* prænomine, alter *Manius:* de quibus jam monitum ad 1,13,2. Ceterum hic *Manius*, qui cum Statilio Cos. *Quinti* filius dicitur, *Marci* nepos in Fastis Capitolinis: *Quinti* item filius in Dionis Indice Coss. Unde colligimus *Quintum*, patrem *Manii*, filium fuisse *M. Lepidi Triumviri*. & *Lepidum Triumvirum* non habuisse duntaxat unicum filium, *Marcum*, ut Glandorpius ponit, sed duos *Marcum* & *Quintum*. *Marcus* is est, qui cum res novas contra Augustum moliretur a Mæcenate oppressus: *Quintus*, qui in matrimonio habuit Corneliam, Fausti Sullæ & Pompejæ filiam, ut colligimus hic ex Tacito, a quo *Manius Lepidus* frater dicitur *Lepidæ*, quæ proneptis Sullæ Dictatoris & Pompeji Magni.

3, 23, 2. *destinata quondam uxor L. Cæsari, ac divo Augusto nurus*] Lipsius ad loci hujus illustrationem adducit Inscriptionem Lapidis, quæ Bergomi, in æde D. Agathæ, ut Gruterus refert, visitur:

PVDENS. M LEPIDI. L. GRAMMATICVS
PROCVRATOR ERAM. LEPIDAE. MORESQ. REGEBAM
DVM. VIXI. MANSIT. CAESARIS. ILLA. NVRVS
ATTEIVS. PHILOLOGVS. DISCIPVLVS.

Idemque putat Glandorpius in Onomastico. Sed mihi Inscriptio hæc non uno nomine suspecta est. Primum enim Pudens iste perperam *M. Lepidi libertus* scribitur, cum pater *Lepidæ* appellatus fuerit *Quintus*, ut ostendi paullo ante. Secundo contra historiam *Lepida* hic dicitur fuisse *nurus Augusti*, cum Tacitus hic dicat fuisse tantum *destinatam uxorem L Cæsari*, id est desponsam, pactam: ex quo intelligitur matrimonium non subsecutum. Tertio *Atejus Philologus Pudentis* hujus discipulus fingitur contra temporis rationem. *Atejus* enim *Philologus*, teste Suetonio, audivit M. Antonium Gniphonem, qui magister primo Julii Cæsaris pueri adhuc deinde scholam Romæ habuit, quam Cicero Prætor frequentavit, & tamen quinquagesimum annum non excessit. Ipse vero

Atejus,

Attejus eodem teste Sallustium & Asinium Pollionem in scribenda historia adjutorium præbuit, & citatur ab Asinio tamquam jam mortuus. Unde paret contra temporis rationem in Lapide *Attejum* fingi adhuc vivere post Lepidæ damnationem, quæ hic describitur. A qua ad Præturam Ciceronis retro numerantur anni quatuor & octoginta. Nisi quis alium hunc velit *Attejum Philologum*. Præterea absurdum initium hujus Inscriptionis in prima persona concipi, finiri in tertia. Unde Reinesius legebat, ATTEI. PHILOLOGI. DISCIPVLVS. Verum hujus caussæ Italos facio judices.

3, 23, 3. *itumque in sententiam Rubelli Blandi*] Hic deinceps factus Tiberii progener, ducta Julia, Drusi filia, 6, 27, 1. quo in loco avus hujus *Blandi* eques dicitur Tiburtis. Unde dubitatio utrum patritia an plebeja gens *Rubellia* illustrari potest. Denarius autem, qui adfertur in cujus uno latere, C. RVBELLIVS BLANDVS SC. in altero, III. VIR. A. A. A. F. F, ad hunc pertinera videtur.

3, 24, 4. *si effectis in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero*] Notandus ordo quem Auctor in scribendo tenuit. Primum publicavit *vitam* soceri *Agricolæ*, vivente adhuc Nerva, de eo enim sic loquitur cap. 2. & 3. librum de *Moribus Germanorum* secundo Trajani Consulatu, quo Nerva mortuus. Germ. 37, 4. sub Trajano *Historias*: nam. H. 1, 1, 6. Nervam vocat divum, & 11, 11. 2. *Historias* citat. unde patet res a se visas, primum scripsisse & vocasse *Historias*: postea Tiberii, Caligulæ, Claudii, Neronis, quas non vidisset sub nomine *Annalium*. Ex hoc autem loco patet cogitasse post *Annales* absolutos etiam Augusti Prncipatum describere.

3, 26, 1. *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant*] Ita pariter Seneca antiquos mortales extollit Ep. 90. quæ hausta ex aureo Saturni seculo apud poëtas. Quod sicuti fabulosum, ita perperam ex illo origo civitatum desumitur. Rectius Aristoteles lib. X. ad Nicom. cap. 9. *Plerique non sic facti natura sunt, ut pudori pareant, sed timori: neque ut abstineant a rebus improbis ob dedecus, sed ob supplicia.*

3, 26, 5. *Nobis Romulus ut libitum, imperitaverat*] Si verba hæc simpliciter & extra contextum accipiuntur sine respectu ad præcedentia vel consequentia, illis significatur, Romulum ex animi sui sententia potestatem exercuisse, sive Regem fuisse absolutum. Idque multi ex recentioribus, qui de forma Romanæ Reipub. scripserunt, magna cum adseveratione statuunt. Nihil tamen statui hac sententia falsius potest, uti largientur facile qui plus Dionysii Halicarnassensis historicis narrationibus quam recentiorum politicis disputationibus tribuunt. Intelligendus igitur hic locus tantum de jure, quod Romulus reddidit privatis, non de aliis majestatis juribus. Illud autem in civitate legibus destituta plane penes Romulum, ipsiusque arbitrium pro legibus erat, *omniaque manu a regibus gubernabantur*, ut Pomponius l. 2. §. 1. D. de O. I.

3, 28, 2. *non mos, non jus*] *Mos* pro jure non scripto. Virgilius lib. VII. Æn. v. 601.

Mos erat Hesperio in Latio.

& lib. VIII. v. 316.

Queis neque mos neque cultus erat.

14, 43, 1. *nimio amore antiqui moris.* Vide Macrobium lib. III. Saturn. cap. 8.

3, 28, 4. *& lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret*] In MS. Mediceo pro *ut si* legitur *visi*, unde Lipsius fecit *ut si* sensu optimo & quam minimo ab archetypo recessu. Nihilominus ultimi Editores, asteriscum post hæc verba posuerunt quasi defectus indicem, quem removendum curavi. Sensui enim nihil plane deficit, qui hic: lege Papia Poppæa præmiis inducti, scilicet accusatores vel custodes, sed multo minore cum invidia quam reliquis legibus, quoniam populus in prædæ partem hac lege vocabatur cum accusatoribus. Lege enim Papia constitutum erat, ut cœlibes nihil capere possent ex testamento extranei, orbi vero non amplius quam dimidium. Jam ne quis tacite aliquid capere posset præmia constituta erant in delatores & ne hoc videretur nimis durum, pars quam capere cœlebs vel orbus debuerat pro caduca habita atque ærario adsigna-

adsignata est. Et hoc est quod adulter marito imputat apud Juvenalem Sat. IX. v. 88.

Jura parentis habes: propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

3,29,1. *per idem tempus Neronem e liberis Germanici jam ingressum juventam commendavit Patribus*] Ex Suetonio colligimus hoc factum ipso tirocinii Neronis die, Tib. cap. 54. *Maximos natu de Germanici filiis Neronem & Drusum P. C. commendavit: diemque utriusque tirocinii congiario plebi dato celebravit.* Sumebatur autem toga virilis temporibus Cæsarum principio anni quinti decimi ætatis: unde liquet *Neronem* hunc natum a. 759.

3,29,2. *qui ejusmodi preces occulti inluderent*] Amicus malebat: *occulte inluderent.*

ac tamen initia fastigii Cæsaribus erant] Nihil mutandum. *Ac tamen* sic 6,30,1.

3,29,3. *Additur Pontificatus*] Quamquam non fuisset petitus adjectus tamen *Pontificatus*; nimirum ut primus locus, qui in collegio Pontificum vacaret, Neroni concederetur. Cum autem accideret, ut nemo Pontificum statim post hoc SCtum moreretur, factus est interea Flamen Augustalis. Sic enim præstat conciliare cum Lapidibus Tacitum; quam cum Lipsio errasse eum in cognato honore suspicari. Nam in Lapp. Flamen Augustalis dicitur non Pontifex: quorum unus apud Gruterum habet:

OSSA
NERONIS. CAESARIS
GERMANICI. CAESARIS. F
DIVI. AVG. PRON. FLAMIN
AVGVSTALIS. QVAESTORIS.

alter:

NERONI. CAESARI
GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG.
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODAL. AVGVSTALI
&c.

3,30,1.

3,30,1. *L. Volusius*] Hujus filius ut videtur *L. Volusius* qui in ætate XCIII annorum mortuus a. 809. 13,30,4. qui in indice Freinshemiano cum hoc confunditur.

3,30,3. *C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit*] Ergo *Sallustius* Historicus major avunculus hujus *Crispi*. Uti Julius major avunculus Octaviæ, quam similiter Suetonius sororis ejus neptem vocat Jul. cap. 27. *Octaviam sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit.* item trium illorum quos testamento instituit apud eundem ibidem cap. 83. *novissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & C. Pedium ex quadrante.* Non audiendus igitur vir doctus, qui lib. I. cap. 15. de Histor. Latinis *Crispum* hunc Historici sororis facit filium: nec Freinshemianus index, in quo minus Latine, *Historici nepos ex sorore.*

3,30,5. *copiaque & affluentia luxu propior*] Ad τὸ *luxu* potius notandum tertium *quartæ* declinationis casum in *u* & *ui* terminari, quam cum Pichena sextum hic pro tertio poni. Vide Gerardum Vossium lib. II. de Anal. cap. 18.

3,31,5. *& satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullæ*] Consequitur ergo *Mamercum Scaurum* in matrimonio habuisse post Lepidæ damnationem fratris sui uterini viduam, & has nuptias tunc temporis non fuisse incestas: ut postea a Christianis Imperatoribus factæ, l. 5. l. penult. & ult. C. de incest. & inutil. nupt. infra 6,29, 5. ejus uxor Sextia dicitur.

3,32,2. *quod initium Sex. Pompejus agitandi adversus M'. Lepidum odii nactus*] Ita edi curavi, pro *M. Lepidum*, quomodo hactenus. Vide 1,13,2. & 3,22,1.

3,33,1. *ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur*] Obrogabat hæc sententia Senatusconsulto superiore anno facto, cujus mentio apud Ulpianum l. 4. §. 2. D. de off. Procos. *Proficisci Proconsulem melius quidem est sine uxore: sed & cum uxore potest, dum modo sciat Senatum Cotta & Messalla Consulibus, censuisse futurum, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur.* Concor-

Concordem sibi conjugem, & sex partus enixam] 1,10,7, *an concepto nec dum edito partu rite nuberet.*

3,34,1. *mox Valerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternæ facundiæ, respondit*] Idem de quo jam actum 3,18,3. Ceterum Freinshemius *Messallam* hujus *Messallini* parentem putat *Corvinum* Oratorem, de quo Cicero ad Brutum Ep. 15. quo confundit hunc *Messallinum*, qui Cos. a. 773. cum ejus patre, qui Cos. a. 751. non enim unum eundemque vel ex eo patet, quod Tacito, ubi Consulatus hujus meminit 3,2,5. *Consules M. Valerius & M. Aurelius.* nulla secundi Consulatus mentio. Et jam ante ostensum *Messallam Corvinum* Oratorem, hujus Messallini fuisse avum, patrem *Messallam* vel *Messallinum*, qui Cos. a. 751. & pariter oratoria laude insignis. Unde huic *imago paternæ facundiæ infuisse* dicitur, id est species aliqua.

3,35,1. *M. Lepidum*] Reposui primitivam lectionem, pro qua Lipsius scripserat, *Manium Lepidum.*

3,36,1. *Incedebat enim deterrimo cuique licentia*] id est usurpabatur. 3,26,3.

3,36,3. *Igitur C. Cestius Senator disseruit*] Lipsius ambigit an pro *Senator* non legendum *senior*, quoniam vix Tacito mos adjicere titulos, & in Senatu nisi Senatori disserere jus, in quo ultimo Pichenam habet ὁμόψηφον. Sed *Pius Aurelius Senator* 1, 75,2. & *Firmius Catus Senator* 2, 27, 2. *Granius Martianus Senator* 6,38,5. *Junius Lupus Senator* 12,42,4. apud Suetonium *Gallus Terrinius Senator* Aug. cap. 53. probant nihil addi insolens. Altera ratio æque invalida, ut patet ex formula, qua Senatus convocabatur apud Festum v. *Senatores. Cum Senatus vocatur Senatores adesse jubentur, quibusque in Senatu sententiam dicere licet, quia ii qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum ceperunt & in Senatu sententiam dicunt & non vocantur Senatores antequam in senioribus sunt censi.* Quæ indubitata facit Livius lib. XXIII. cap. 22. M. Fabius Buteo Dictator *recitato vetere Senatu inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium & C. Flaminium Censores curulem magistratum cepissent, nec dum in Senatu lecti essent, ut quisque eorum primus creatus erat: tum legit qui Ædiles, Tribuni plebeji, Quæstores fuerant: tum ex*

iis

iis, qui magistratus non cepissent, qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ceterum C. *Cestius* Cos. deinceps fuit cum M. Servilio a. 788. 6,31,1. ad quem locum de sepulchro *Cestii*, quod Ursinus & Lipsius ad hunc referunt, anquiremus.

3,36,5. *donec accitum convictumque attineri publica custodia jussit*] Freinshemius pro *convictum*, malebat, *vinctum*: quod nulla iterum cognitione opus, quoniam scilicet fraudis jam ante convicta fuerat. Sed non convicta hic iterum fraudis, sed novi delicti perpetrati, probrorum scilicet & minarum quas Cestio intenderat; & illius maleficii ergo non addicta Cestio, ut alias factum fuisset, juxta nimirum leges, sed publico carceri adjudicata.

3,38,2. *qua tempestate Cotye fratre interfecto, bellum adversus nos volverat*] Adsentior Mureto pro *fratre* legenti *fratris filio*: quod cum per notas, FR. F. scriptum esset, a librariis in τὸ *fratre* mutatum. Nisi enim hoc sequamur, statuendum Tacitum sibi contra dicere, Supra enim 2, 64, 3. Rhescuporidem Rhoemetalcis fratrem, *Cotyn* Rhoemetalcis filium facit.

3,38,5. *Calaletæ*] Livio lib. XXXVIII. cap. 40. dicuntur *Cæletæ*. Plinio lib. IV. cap. II. *Celetæ, majores Hæmo, minores Rhodopæ subditi.* Ptolemæo lib. III. Geogr. cap. II. Κοιλητικὴ στρατηγία. Unde hoc loco *Cæletæ* scribendum videtur.

O drusæque, & alii validæ nationes arma cepere] Juxta Græcos scribendum, *Odrysæque*: deinde minus convenit τὸ *alii* cum eo, quod sequitur. Hinc Lipsii sententia pro *alii* scribentis *Dii* probabilis: *Dii* enim Rhodopen maxime incoluere teste Thucydide lib. II.

3, 39, 1. *Quæ ubi cognita P. Vellejo*] Sunt qui opinentur hunc *P. Vellejum* esse historicum: cujus prænomen incertum, aliis *Quintum* aliis *Marcum* appellantibus. Sed his adsentire vix possum, quoniam Vellejus historicus diligentissimus suarum rerum narrator de hac expeditione tacet, cum tamen compendium Historiæ suæ ad annum Tiberii sextum decimum perduxerit, & quod hic narratur acciderit anno ejusdem septimo. Nec est quod aliquis suspicetur hujusce expeditionis mentionem periisse apud Velle-

Velleji historici nihil legitur. Ipse dicit se designatum Prætorem cum fratre Magio Celere Vellejano, anno quo Augustus diem obiit supremum lib. II. cap. 124.

3,40,2. *Nobilitas ambobus & majorum bona facta*] Rhenanus conjiciebat *bene facta*. Quod haud contemnendum. Sic *recte facta* 3, 53, 4. *malefacta* 4, 33, 7.

3,42,4. *Postremo visis militibus qui effugia insederant*] Amicus: *obvius militibus*.

3, 41, 3. *Visellius Varro*] Videtur idem, qui C. VISELLIVS C. F. C. N. VARRO in Fragmentis Capitolinis Consul suffectus ex Kal. Juliis a. 765. pater L. Visellii Varronis,qui Cos. ordinarius a. 777. 4, 17, 1. filius forte illius, de quo Valerius Maximus 8, 2, 2.

3,43,2. *Augustodunum caput gentis , armatis cohortibus Sacrovir occupaverat nobilissimam Galliarum subolem*] In MS. Mediceo est, *nobilissimarum*. Unde Pichena fecit, *nobilissimamque*: Lipsius, *& nobilissimam*. quod sequor.

3,43,3. *Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis*] Lutetiæ Parisiorum vixisse aliquando triginta millia studiosorum Joannes Filesacus scribit. Quo tempore, Montispessulana schola in eodem regno pariter frequentabatur. Nec hoc tempore Augustoduni unica Gallorum schola, sed Massiliensis etiam civitas studiorum nomine petebatur. 4, 44, 4. Agr. 4, 4. Burdigalenses , Tholosani & Narbonenses Professores prædicantur ab Ausonio.

3,44,1. *Sed quatuor & sexaginta Galliarum civitates descivisse*] Locum hunc fusius explicat Lipsius lib. II. Ep. Quæst. Ep. 21.

3, 46, 4. *& fugientibus consilite*] Tò *consilire* cum vix Latinum, aut si sit, analogia dictet significare , *simul salire* , convenire huic loco nullo modo potest. Hinc in hujus vocabuli explicatione torserunt se Interpretes. Sed Nicolaus Heinsius , cujus memoria ita me nunc recreat , ut fovebat olim amicitia, docuit me scribendum *consulite* , idque explicandum ex Cæsaris jussu in acie Pharsalica,quo suos manus abstinere a fugientibus voluit, apud Lucanum lib. VII. v. 318.

Ne cadere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.

Alius vir doctus pariter vidit *consulite* legendum, sed explicat, Trepidos & tantum non jam fugientes exuite detractisque armis & insignibus militaribus leviores & fugæ paratiores reddite.

3, 47, 2. *Neque decorum Principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen*] Subintellige ex sequenti periodo *duci*, id est trahi, evocari. Similes suppressiones subinde nostro placent, ut 2, 60, 2. 3, 16, 3. quod qui non observarunt, divinationibus supervacaneis se tradiderunt.

3, 49, 1. *ægro Druso composuisse, quod si extinctus foret majore præmio vulgaretur*] Freinshemius existimat carmen Lutorii in Drusum compositum esse idem quod mutata solummodo inscriptione, cum Drusi mors secuta non esset, velut in Germanici mortem ab eo conscriptum, evulgatum. Reddit enim: *objectumque est ei versus illos non propter Germanicum, sed ægrotante Druso compositos fuisse, sperante auctore, siquidem iste moreretur, qui proprius Tiberii sanguis esset, majus se præmium publicatione carminis istius adepturum: quum autem convaluisset Drusus, id ne omnino periret, mutato tantum nomine, ut in Germanici honorem factum videretur, edidisse.* Putavit scilicet verba, *objectans ægro Druso composuisse*, respicere *carmen celebre*, de quo paullo ante Tacitus egerat, sed non hoc subintelligi, sed scriptum aut aliquid, *quod si extinctus foret majore præmio vulgaretur*, & per consequens carmen in Drusum ægrotantem compositum fuisse diversum ab eo *quo Germanici suprema defleverat* ex Dione patet lib. LXVII. Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος, ἱππεὺς, ἄλλως τε μέγα ἐπὶ ποιήσει φρονῶν καὶ ἐπιτάφιον ἐπὶ τῷ Γερμανικῷ ἐπιφανῆ συγγράψας, ὥστε καὶ χρήματα δι' αὐτὸν πολλὰ λαβεῖν, αἰτίαν ἔσχεν ὡς καὶ ἐπὶ τῷ Δρούσῳ ποίημα παρὰ τὴν νόσον αὐτοῦ συντεθεικὼς καὶ ἐκρίθη τε διὰ τοῦτο ἐν τῇ βουλῇ καὶ κατεδικάσθη καὶ ἀπέθανεν. *C. Lutorius Priscus, eques, magni alioquin nominis poëta, qui in Germanici mortem insigne carmen composuerat, ac magnam pro eo pecuniam acceperat, accusatus est, quod in Drusum pariter, tempore morbi ejus, carmen scripsisset,*

ejusque rei caussa a Senatu condemnatus obiit. Quod enim in Germanicum compositum erat appellat ἐπιτάφιον ἐπιφανῆ, quod in Drusum ποίημα. Immo res ipsa refellit hanc interpretationem. Quomodo enim quæ in Germanicum scripta, quadrare in Drusum, Tiberii filium poterant? Non magis, quam Elegia incerti Auctoris ad Liviam Augustam de morte Drusi, Germanici patris, quæ adhuc exstat. Præterea parum verisimile, rem, si ita se habuisset, ut vir doctus putat, tam diu a fœminis silentio suppressam. Nam tertius jam currebat annus, ex quo Germanicus mortuus & hujus mortem præcesserat adhuc Drusi morbus, qui Lutorio infelicis meditationis caussam præbuit.

3, 50, 1. *Contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est*] Et hic Lipsius: *M'. Lepidus.*

3, 51, 3. *Ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur*] Dio lib. LVII. refert occasione damnati a Senatu C. Lutorii Prisci hoc Senatusconsultum factum, non quod Tiberius ægre ferret Priscum supplicio adfectum, sed quod Senatum nollet absque suo consensu potestatem hanc usurpare. Quam SCti caussam Auctor non obscure pariter hic indicat. Meminit hujus & Suetonius Tib. cap. 75. *Nam cum Senatus consulto cautum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit, ut quorundam supplicii dies is esset, quo nunciatum de Tiberio erat.* Sed cum his pugnare videtur Sidonius Apollonaris, qui de Aruando a Senatu Romæ ad mortem damnato sub Anthemio lib. I. ep. 7. *Sed & judicio vix per hebdomadam duplicem comperendinato, capite multatus, in insulam conjectus est serpentis Epidaurii, ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus & a rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauseantis exsputus, nunc ex vetere Senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit, uncum & gemonias & laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens.* Cujacius lib. V. Observ. cap. 9. putat Sidonium tribuere SCto Tiberiano, quod ei per Theodosii constitutionem l. 20. C. de Pœnis, (qua differri pœna a Principe imperata par XXX dies ju-

 betur)

betur) adjectum est: quod sequitur Jacobus Gothofredus ad hanc legem. Sed duo sunt, quæ non admittunt hanc reconciliationem. Primum quod Sidonius, Tacitus item Suetonius & Dio, agant de sententiis Senatus, d. l. 20. C. de Pœnis, de sententiis Principis. Alterum quod Quintilianus & Calpurnius Flaccus, qui diu ante Theodosii tempora vixerunt, horum XXX. dierum meminerint. Iste Declam. 313. in argumento; *Damnatorum supplicia in diem tricesimum differantur. Accusavit quidam & damnavit: in diem tricesimum dilata damnatio est: intervenit is, qui occisus dicebatur, petit reus pœnam accusatoris.* In Declam. *Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit: quoniam videbat legumlator posse fieri, ut deciperetur accusator.* Hic Declam. 25. in argumento: *Raptorum lex: pœna raptoris in diem trigesimum differatur.* Lipsius hic hæret. Jacobus Sirmondus existimat ad dies X veteris SCti accessisse postea (quo tempore incertum) dies alios XX. & tamen eidem SCto tributos fuisse, quomodo legibus Juliis, aliisque multa quæ illis postea adjecta, tribui solent: distinguendum autem inter SCtum Tiberianum quo Senatus judicia, & Theodosii legem, qua solius Principis sententiæ coërcitæ sunt. Quæ sententia vero maxime consentanea videtur, etsi Gothofredus hanc secutus non fuerit: qui Taciti locum non ut oportet cepisse videtur: ait enim SCto Tiberiano cautum, ut pœna damnatorum a Senatu in decimum diem differretur; idque hac de caussa, ut vel Senatui libertas ad pœnitendum, vel Princeps ipse interjectu temporis mitigaretur. Sed Tacitus ut ostenderet finem hujus legis prætextum fuisse inanem, clementiam scilicet, ait: *sed non Senatui libertas ad pœnitendum erat: neque Tiberius interjectu temporis mitigabatur.* Id est Senatus non poterat delicti, post damnationem, gratiam facere, & Tiberius nolebat. Fateor sententiæ Sirmondi obstare in speciem Senecam, qui in quadam Caligulæ damnatione pariter decem dies damnato concessos indicat de Tranquill. animi cap. 14. *Canus Julius, vir inprimis magnus, cujus admirationi ne hic quidem obstat, quod nostro seculo natus est, cum Cajo diu altercatus,*

catus, postquam abeunti Falaris ille dixit, Ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te jussi: Gratias, inquit, ago optime Princeps. & paullo post: *Dicet aliquis: potuit post hæc jubere illum Cajus vivere. Non timuit hoc Canus. nota erat Caji in talibus imperiis fides: Credisne illum decem medios usque ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse?* Sed cum hæc dilatatio pœnæ non appareat in aliis Principis judiciis, & absurdum sit credere Senatum aut voluisse frenum Principis jussibus imponere aut Principem, si Senatus tentasset, id passum esse, plusquam verisimile, Julium Canum a Senatu jussu Caji interfectum.

3,52,1. *C. Sulpicius D. Haterius Consules sequuntur*] In Dionis Indice: Δέκιμος Α᾽τέριος Κ. ὑός, Α᾽γρίππας, Γ. Σουλπίκιος Γάλβας. Ex his *C. Sulpicius Galba* Imperatoris *Galbæ* frater. Suetonius Galb. cap. 3, noster 6,40,3. *D. Haterius Agrippa* filius *Quinti*, ut videtur, de quo 1, 13, 4. Tribunus plebis a. 768. 1, 77, 2. postea Prætor. 2, 51, 2. 3. ubi cum *propinquus Germanici* dicatur, verisimile matrem habuisse Vispaniam M. Vispanio Agrippa & Marcella genitam. Hanc enim Agrippam ante Juliam habuisse uxorem & ex ea liberos Suetonius prodit Aug. cap. 63. Firmat non mediocriter hanc conjecturam *Agrippæ* cognomentum *Haterio* ex materno avo impositum.

3,52,3. *Nam incipiente C. Bibulo, ceteri quoque Ædiles disseruerant*] Videtur intelligi *C. Poblicius Bibulus*, cujus meminit Inscriptio vetus adducta 2, 32, 3,

3,54,10. *sin accusare vitia volunt, dein cum gloriam ejus rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, Credite P. C. me quoque non esse offensionum avidum*] Locus corruptus sed quem egregie duarum duntaxat literarum mutatione sanavit in secundis curis Mercerus pro *faciunt ac m. r.* legendo *faciundas m r.* Taxat Tiberius Ædiles quod generali oratione incusaverant luxum & ex eo laudem captaverant singulorum vero correctionem, id est *simultates faciundas*, in qua tamen remedium hujus mali positum erat, tamquam opus invidiæ plenum non fuerant aggressi, sed per Senatum ad Principem deferri curaverant.

3,55,1. *A fine Actiaci belli ad ea arma quis Ser. Galba rerum adeptus est*] Mirum in Berneggerana Editione legi, *rem R. adeptus est.* cum ipse Lipsius, qui ita primus correxerat, retractaverit deinceps sententiam agnoscendo archaismo, qui occurrit etiam 6, 45, 7.

3,55,5. *Verum hæc nobis* * *majores certamina ex honesto maneant*] Sensus postulat ut legatur cum Vertranio: *Verum hac nobis in majores c. e. h. m.* id est sed his non tam gloriandum nobis est quam optandum ut longum duret hæc pulchra æmulatio & semper cum majoribus de virtute certemus.

3,57,2. *ut publicis privatisve monimentis*] Muretus, Acidalius & Pichena malunt, *privatisque.* Si tamen subintelligatur, *vel* ante *τὸ publicis,* non videtur mutatione opus.

3,58,1. *Servius Maluginensis Flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet postulavit*] Non dubito quin recte docuerit I. F. Gronovius legendum, *Asiæ sortem.* Erant enim duæ tantum ex constitutione Augusti provinciæ consulares, Africa & Asia. Ex his Africa prorogata Blæso, restabat sola Asia: de hac sortiri non poterat *Maluginensis*, quia de una non sortiebantur duo, sed de duabus; tum quia quotiescumque accideret, ut una tantum consularis esset, moris erat, ut hæc extra ordinem daretur consularium vetustissimo 3, 71, 6. Præterea incongrue aliquis peteret ut *sorte haberet* aliquid, sors enim dubia & antequam ducta, fortuna illius in occulto est. Potest quis postulare, ut liceat sibi cum alio sortiri, sed ut *sorte habeat* postulare non potest. Similiter autem noster 3,71,6. *Ita sors Asiæ in eum qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.* Ex eo enim quod provinciam, de qua sors ducta esset temporibus Reipub. appellarent *provinciæ sortem*; deinceps factum, ut obventio vel delatio provinciæ, in qua nulla sors intervenerat, pariter *sors* appellaretur. Livius lib. XLII. cap. 31. *Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, ut centuriones militesque veteres scriberent, quos vellet Consul usque ad quinquaginta annos.*

3,62,2. *Aphrodisienses posthac & Stratonicenses*] Vide ad 12,62,2.

3,62,3.

3,62,3. *Delubrum rege Cyro dicatum*] Freinshemius malebat, *regi*. Quod cum validius jus aſyli adſtruat vulgatæ lectioni præponendum videtur.

Perpernæ] Beroaldus: *Perpennæ*. utroque modo in Lapidibus ſcribitur.

3,62,4. *Paphiæ Veneri auctor Aërias*] Vide H.2, 2, 4.

3,66,1. *C. Silanum Proconſulem Aſiæ repetundarum a ſociis poſtulatum*] Videtur hic *C. Silanus* non alius, quam C. JVNIVS C. F. M. N. SILANVS. FLAM. MART. in Fragmentis Capitolinis, Conſul cum P. Cornelio Dolabella a. 763. etſi enim Tiberius ubi ſententias adverſus *Silanum* prolatas mitigat Conſulatus non meminerit, cum Senatorii ordinis faciat mentionem 3, 69, 4. inde Conſulem non fuiſſe, ut putabat Rupertus *, parum ſequitur. Caji enim filium fuiſſe patet ex Inſcriptionibus ad Torquatam ſororem ejus pertinentibus, quæ adducuntur 3,69,5.

* Reineſ. Ep. 27. ſec.

3,67,4. *Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat*] 2, 30, 4. *adgnoſcentes ſervos per tormenta interrogari placuit.* 3,22,5. *neque per tormenta interrogari paſſus eſt.*

3,67,5. *Auſis ad Cæſarem codillicis*] Gruterus ſe exputare non poſſe pronunciat cur Faërnus *auſis* mutare voluerit in *miſſis*, cum nihil uſitatius altero etiam Scriptori noſtro cujus exempla cumularit Rhenanus. Sed nullum plane exemplum apud hunc occurrit, immo ne quidem apud Tacitum, in quo *auſus* paſſive, ut in hoc loco ponitur. Unde inducor ut credam ab Auctore ſcriptum, *auſus ad Cæſarem codicillos*, quomodo eum ſæpius loqui verum eſt. 12, 28, 1. *obvio hoſti & aciem auſo.* 12, 32, 1. *non auſis aciem hoſtibus.* H. 1, 48, 4. *in ipſis principiis ſtuprum auſa.*

3,68,1. *de Voleſo Meſſalla ejuſdem Aſiæ Proconſule*] Hic non eſt alius quam qui Λ. Οὐαλέριος Ποτίτου υἱ. Μεσσάλλας Οὐάλαισος in Indice Coss. apud Dionem, Conſul cum Cn. Corn. Cinna Magno a. 757. Notanda autem διπλογραφία in hoc Valeriorum cognomine. VOLVSVS enim in Fragmentis Capitolinis ſcribitur. VOLESVS in Lapidibus apud Gruterum, item apud Livium, Tacitum, Senecam: Οὐαλεσσὸς apud Dionyſium, Οὐάλαισος in dicto Indice: quamquam

 duo

duo posteriores ad Lapidum fidem reformandi videntur.

3,68,2. *Tum L. Pisonem sententiam rogat*] Duo *Lucii Pisones* notandi in Tiberii historia: unus Pontifex & Præfectus Urbi, de quo 6, 10 & 11. quo cum simul & Pomponio Flacco Tiberium Imperatorem noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsisse Suetonius scribit Tib. cap. 42. Seneca Ep. 83. Quod Jacobus Gutherius pro tanto crimine putavit, ut ex uno *L. Pisone*, qui simul Pontifex & Præfectus Urbi per oscitantiam fecerit duos lib. II. de jure Manium cap. 1. alter qui Urgulaniam in jus rapuit 2, 34. & accusatus postea majestatis damnationem morte prævenit, vir nobilis & ferox 4. 21. Præter hos occurrit adhuc tertius, qui in citeriore Hispania Prætor interfectus 4, 45, 2.

3,68,3. *separanda Silani materna bona (quippe alia parente geniti) reddendaque filio*] In vulgata lectione manifestum insidet mendum: nulla enim ratio cur Cn. Lentulus *separanda Silani materna bona reddendaque filio* voluerit, in eo, quod is *alia parente genitus*. Grotius magna quidem sagacia conjecit *Mallia* vel *Manlia* legendum putans matrem *Silani* ex *Manlia* gente fuisse, quoniam ejus soror *Torquata* mox dicitur, quod cognomen, *Manliæ* gentis. Sed cum in hac pariter cesset ratio sententiæ a Cn. Lentulo dictæ apparet adhuc aliud ulcus latere. Freinshemius subjecit *Juliæ*, sed dubitanter, quod avide primo arripuit Rupertus ad Reinesium Ep. XLVIII. sed admonitus a Reinesio temporis rationem, ut multa alia, non pati ut hic *C. Silanus* filius *Juliæ* neptis esse potuerit, retractans demisit Ep. LX. Hic vero existimat pro *alia* scriptum olim fuisse *Cornelia* conjectura perquam verisimili. Primo enim constat ratio cur Cn. Lentulus bona *Corneliæ* hujus fisco exemerit, quippe quæ ipsius gentilis & forte amita magna, ut Reinesius ponit. Nec videri debet adeo mira omissio vel præcisio prioris syllabæ in *Cornelia*, cum in versu proxime subsequenti iterum legatur *Cornelius*. Vide hæc pluribus apud ipsum Reinesium Epist. L.

3, 69, 5. *Id sororem quoque Silani Torquatam, prisca*

scæ sanctimoniæ virginem expetere] Recte Lipsius hic adducit duas Inscriptiones veteres memoriam *Torquatæ* hujus conservantes, sed alteram mutilam, alteram corruptam. Quare actum agere non videbimur, si utramque ut in Lapide legitur subjiciamus: in viridario Pontificio collis Vaticani:

IVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE
SACERDOTI. VESTALI
ANNIS. LXIIII
CAELESTI. PATRONAE
ACCIVS. L

infra Capitolium:

IVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE
VIR. VEST. MAXIMAE
IUVENIO. L

3,71,1. *Equestri Fortunæ*] Mirum quod hic dicatur nullum Romæ templum *Fortunæ* cognomento *Equestris* fuisse, cum Auctores ante & post Tacitum illius meminerint Livius, Valerius Maximus, Julius Obsequens, Victor, Lactantius. Respondet quidem aliquid ad hanc difficultatem Freinshemius, potuisse scilicet antiquitus fuisse tali cognomento ædem, mox incendio periisse, demum post Tiberii tempora restitutam esse: sed non plane solvit nodum hæc responsio. Parum enim verisimile, si tale quid accidisset, summum historicum id dissimulaturum fuisse. Et propterea omnino accedo Grutero pro *Equestri* subiicienti *Sequestri*, etsi eum deseram in hujus cognomenti explicatione, quam pro sua felicitate facit admirabiliter I. F. Gronovius, docens τὸ *sequester* duas significare personas, unam arbitri, medii, interpretis, alteram custodis, penes quem res controversa deponitur. Pro custode autem explicandum vocabulum in adulatorio hoc equitum

voto, quippe qui ſalutem Auguſtæ apud Fortunam quaſi depoſuerant & huic illam cuſtodiendam mandaverant.

3, 72, 2. *manente tamen nomine Pompeji*] Notatis ad 1, 7, 2. addendus Vellеji locus lib. II. cap. 21. *Seu duæ ſeu tres Pompejorum fuere familiæ, primus ejus nominis, ante annos fere* CLXVIII, *Q. Pompejus cum Cn. Servilio Conſul fuit.* Unde patet Vellejum ſcripſiſſe a. 781.

3, 74, 3. *quæ prædatio in Leptinos*] Videtur ſcripſiſſe, *Leptitanos.* ita enim hos vocat H. 4, 50, 6. & Salluſtius bello Jugurth. cap. 77. & 79. nemo, quod ſciam, *Leptinos.*

AD

AD ANNALIVM LIBRVM IV.

4, 1, 1. *C. Asinio C. Antistio Coss.*] De *C. Asinio* jam diximus ad 3, 75, 1. *C. Antistius* cognomento *Vetus C. F.* dicitur in Indice Coss. apud Dionem. Unde apparet filium fuisse C. *Antistii Veteris* qui Consul cum D. Lælio Balbo, a. 748. & Legatus Augusti bello Cantabrico. De hoc enim Vellejus lib. II. cap. 43. agens de Cæsare: *& Prætura Quæsturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania cum esset Quæstor sub Vetere Antistio, avo hujus Veteris consularis atque Pontificis, duorum Consularium & sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest, quo notiora sunt minus egent stilo.* Duos ergo Consules *Antistios Veteres* vidit Vellejus *C. Antistii Veteris* Augusti Legati filios; *Cajum* scilicet hunc & *Lucium*, ad quem pertinet Inscriptio Fulvio Præneste visa:

L. ANTISTIVS
C. F. AEMILIA VETVS
AVGVR
FORTVNAE PRIMIG.
EX VOTO SVSCEPTO.

Hic autem cum non compareat in Fastis inter Coss. ordinarios necesse suffectum fuisse, & quidem inter annum 776. quo Consul fuit frater, & 781. quo Vellejus scripsit. Uterque filium reliquit Consulem *Cajus Cajum* a. 803. sub Claudio: *Lucius Lucium* a. 808. sub Nerone: quos Glandorpius fratres opinatur; sed patrueles fuisse verisimile, ex singulorum prænominibus. *Lucius* socer fuit Rubellii Plauti, ejusque ruina involutus est, 16, 10, 1.

4, 1, 2. *initium & caussa penes Ælium Sejanum*] In prænomine *Ælii Sejani* Lipsio imposuit Occo

deceptus ipſe ab interpolato nummo, ſed genuinus apud eumdem ἐκ δευτέρας ἐκδόσεως· MV. BILBILIS TI. CAESARE V.L. AELIO SEIANO. circum lauream, in qua COS.

4, 1, 3. *non ſine rumore Apicio diviti & prodigo ſtuprum venum dediſſe*] Lipſius ad hunc locum tres *Apicios*, ejuſdem notæ & luxus in Hiſtoria Romana reperiri notat: primum temporibus Reipub. auctorem fuiſſe cur Rutilius exulare coactus fuerit: ſecundum, de quo hic: tertium vixiſſe ſub Trajano. Tiberiani meminit Juvenalis Sat. IV. v. 23.

multa videmus

Quæ miſer & frugi non fecit Apicius.

ad quem locum Scholiaſtes: *Apicius auctor præcipiendarum cœnarum, qui ſcripſit de juſcellis. Fuit enim exemplum gulæ.* Unde videmus lurconem hunc ſcripſiſſe modo grammaticus deceptus non fuerit. Exſtat enim adhuc libellus *Cœlii Apicii de re culinaria.* Tiberiani enim temporis *Apicius*, *M. Gavius* eſt dictus Dione teſte lib. LVII. ut taceam titulum libelli diverſum eſſe. Videtur potius opuſculum iſtud excerptum ex majori opere, cujus particula *de juſculis* vel *juſcellis*: excerptori autem nomen fuiſſe *Cœlio*: & forte titulus fuit *Cœlii Apicius* ſive de re culinaria, ut Dionyſii Cato, ſive de moribus.

4, 2, 1. *ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in ceteros metus crederetur*] Ita edidit Beroaldus, quamquam in Corb. Cod. Pichena teſte: *credetur*. Unde Henricus Savilius Mercero & Freinshemio probantibus faciebat *crearetur*: alii alias lectiones inde extruſere. Scopus tamen Sejani tale quid poſtulare videtur, quale a Savilio ſuggeſtum eſt. Neque enim tam videndum arbitror, quem ſenſum vox aliqua utcumqne habere poſſit, quam quem ex deſtinatione illius, qui ea uſus eſt, habere debeat. Certum autem inter rationes, quibus Sejanus Tiberio perſuaſit, prætorianas cohortes una in caſtra eſſe conducendas, duas fuiſſe præcipuas; unam, quod ipſi milites aſſiduo conſpectu ſuæ multitudinis audaciores eſſent futuri, alteram quod nemo poſthac auſurus eſſet ſeditionem Romæ movere aut res novas tentare, cum tantus exercitus

pro

pro ſalute Imperatoris ad portas Urbis excubaret.

4,4,5. *quæ tum Romana copia in armis*] 2, 52, 3. *Mazippa levi cum copia.* 4, 27, 3. *Is diſpoſita claſſiariorum copia* &c. Varro apud Valerium Probum ad Eclog. VI. Virgilii: *In tres partes diviſa copia, in populos duodecim: Salentini dicti, quod in ſalo amicitiam fecerint.*

4,7,5. *precandam poſt hæc modeſtiam ut contentus eſſet*] Lipſius niſi fallor, primus *Modeſtiam* per majuſculam literam ſcribi curavit, quaſi dea eſſet, ſimulque cavet, ne quis immutet, quod ſimile illi 15, 17,2. *ſic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes* &c. *equitem adſequeretur.* Freinshemius poſt Pichenam & Gruterum ad 15, 52, 4. Lipſianam doctrinam ſecutus eſt: verum I. F. Gronovius lib. III. Obſerv. cap. 10. tum in Notis ad hunc locum docet nullam talem deam apud Romanos cultam, novam autem θεοποιίαν cum gravitati Taciti tum materiæ indignam. Unde minuſculam reponendam curavi. Similiter 3, 56, 3. *Simul modeſtia Neronis & ſuæ magnitudini fidebat.*

4,8,1. *ut octo poſt annos cognitum eſt*] Vide Dionem lib. LVIII.

4,8,3. *Conſuleſque ſede vulgari per ſpeciem mæſtitiæ ſedentes honoris locique admonuit*] Lipſius τὸ *ſede vulgari* exponendum putat in ſedibus Prætorum aut Tribunorum, ex Dione, qui in morte Auguſti alterum Conſulem loco Prætorum, alterum Tribunorum mœſtitiæ teſtificandæ cauſſa ſediſſe ſcribit lib. LVI. Ἐκαθέζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ, ὡς που ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν Στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν Δημάρχων. *Conſederunt vero Senatores, ſuo quiſque loco, Conſules autem loco inferiori, alter in Prætorum, alter in Tribunorum plebis ſedibus.* Ita puto potius vertendum ἐν τοῖς βάθροις quam *in ſubſelliis.* Etſi enim τὰ βάθρα Græcis proprie *ſubſellia*, tamen hoc loco latius hæc vox explicanda, quoniam *ſubſellia* de curulibus magiſtratibus qualis Prætura non dicuntur. Aſconius in Milon. *Sunt enim ſubſellia Tribunorum, Quæſtorum, Triumvirorum, & hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in ſellis curulibus & tribunalibus conſi-*

debant, sed in subselliis. Verum ex hoc Dionis loco non sequitur, quoniam mortis Augusti tempore sic sedere Consules, nunc eodem modo eos sedisse. Immo sic non sedisse clare ex ipsis Taciti verbis elicitur. Dicuntur enim sedisse *sede vulgari* quæ competere non potest Prætoribus, quippe quibus debita sella curulis; dicuntur *admoniti honoris*, quoniam in subselliis sedebant, cum deberent in sella curuli; *locique*, quoniam loco inferiori cum deberent altiori, in tribunali sive solio. Hinc *Sella curulis* Υ'ψηλὸς θρόνος in Glossis redditur.

4,9,4. *cum origo Juliæ gentis Æneas*] Æneæ in Italiam adventum contra virum doctum adstruere conatus sum in Differt. de Primis Italiæ colonis & Æneæ adventu cap. X. & seqq. quo obtento *Æneas* origo Juliæ gentis minimum possibilis.

4,11,2. *idque sua manu & nullo ad pœnitendum regressu*] Id est idque propria manu & tam præcipitanter, ut si mox facti pœnituisset, nullus emendationi locus, nulla facultas relinqueretur. Trajanus Bocalinus verba *nullo ad pœnitendum regressu* explicat de Druso. Nam ut hunc locum illustret exemplo, adducit Philippi II. judicium, in quo filium unicum Carolum quasi affectati regni reum ad mortem condemnasse dicitur. In hoc autem desideratam ait ab omnibus Philippi clementiam, quippe qui considerare debuisset crimen a filio commissum impatientia quadam & regnandi cupiditate, quam ipse in illo accenderat nimia austeritate & quod ab omni prorsus Reipub. tractatione eum arcuerat, imprimis quod abduxerat desponsatam ipsi feminam. Unde putat debuisse crimen hoc a patre filio condonari & expectari a præclara ejus indole pœnitentiam. Quod utcumque se ea res habeat, tamen loco huic quadrare nullo modo potest. Nam nec Auctoris scopus nec linguæ genius patiuntur ut alterius pœnitentia quam Tiberii intelligatur. Melius igitur ad loci hujus illustrationem adduxisset alium Philippum, non Hispanum, sed Macedonem, qui cum ex falsa Persei accusatione Demetrium filium quasi affectati regni reum insontem damnavisset ad mortem, mox interempti cognita innocentia, ex ægritudine animi ipse diem obiit

suum,

ſuum, quod *nullus ſibi ad pœnitendum regreſſus* eſſet. uti narrat Livius lib. XL. cap 6. & ſeqq. Iuſtinus lib. XXXII. cap. 3.

4,12,6. *Atque hæc callidis criminatoribus*] Scilicet Livia, nam de illa nunc loquitur, non de Sejano, uti putavit Freinshemius in Paraphraſi, qui cum Acidalio legiſſe videtur, *Adque hæc.* De Livia enim Sejani adultera ſermonem eſſe patet ex eo quod Auguſta mox appellatur ejus avia.

Mutiliæ Priſcæ] Freinshemius exiſtimat hanc *Mutiliam* eſſe C. Geminii Rufi uxorem, quæ apud Dionem lib. LVIII. vocatur Πέυπλία Πρίσκα. ubi pro Πουπλία legendum putat Μουτιλία. Sed diverſas *Priſcas* fuiſſe mores diverſiſſimi produnt. Taciti enim, adultera; Dionis, ita mariti amans, ut ei ſupervivere noluerit. Felicius Reineſius Dionis *Priſcam* Ποπτλίαν vocatam exiſtimat.

4, 14, 5. *Oſcum quondam ludicrum*] De lingua *Opica* vel *Oſca* notavi quædam, ubi de Auſonibus, in Diſſert. de Primis Italiæ colonis.

4, 15, 3. *Ita quamquam novo homini, cenſorium funus; effigiem apud forum Auguſti publica pecunia Patres decrevere*] Varie de *cenſorio funere*, cujus prima mentio apud Tacitum, ſentiunt docti. Mihi maxime probatur Gutherii ſententia ſtatuentis, non aliud fuiſſe quam publicum: ſic vero id appellatum, quod ex edicto Cenſorum de funeribus, quod Ædiles habuerunt, a Conſule vel Prætore locaretur. Videturque hoc poſſe colligi ex Cicerone, Philipp. IX. cap. 7. *Senatum cenſere atque e Repub. exiſtimare Ædileis curuleis edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri mittere.* Certe undecumque etiam hæc appellatio fluxerit *cenſorium funus* a publico non diverſum patet ex eo quod Tacitus promiſcue utatur his vocibus. Nam quod *cenſorium funus* hic & 6, 27, 2. 13, 2, 5. H. 4, 47, 2. *publicas exſequias* vocat 3, 48, 1. *publicum funus* 6, 11, 5. & ſic pariter Suetonius Vitell. cap. 3. Dio lib. LX. ταφὴν δημοσίαν. Si enim *cenſorium funus* fuiſſet aliud quam *publicum*, reddi ratio non poterit, cur Sulpicio Quirino, L. Piſoni, L. Vitellio, M. Vinicio publicum potius quam *cenſorium* a Senatu decretum fuerit.

4, 17, 1

4,17,1. *Cornelio Cethego Visellio Varrone Coss.*] Coss. hi apud Frontinum lib. II. de Aquæ ductibus appellantur *Sergius Cornelius Cethegus*, *L. Visellius Varro.* Apud Dionem in Indice Coss. Σέργ. Κορνήλιος Σεργ. ὑ. Κέθηγος, Λ. Οὐισέλλιος Λ. ὑ. Οὐάῤῥων. Prior videtur *Servius* appellatus: nisi putemus promiscue *Servii* & *Sergii* prænomen usurpatum. Suspicionem præbet nummus Galbæ Croyiacus, in quo: IMP. SERG. GALBA. AVG. TR. P. P. P. item alius Occoni nuper additus, in quo: SERG. SVLP. GALBA. IMP. CAES. AVG. TR. P. P. P. Glandorpius & Xylander *Sextum* faciunt *Sex. F.* nescio qua auctoritate. Onuphrius & Pighius *Servium.* Alter *L. Visellius Varro* C. F fuit, qui Consul suffectus a. 765. Certe in Inscriptione apud Onuphrium ad hunc annum: L. VISELLIVS C. F. VARRO. idque ex Tacito clare potest colligi 4,19,1. *Immissusque Varro Consul*, *qui* paternas inimicitias *obtendens*, *odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur.* Ortæ hæ inimicitiæ fuerant inter hujus patrem & Silium occasione belli Sacroviriani gerendi 3,43,5. Provecta præterea ætas, quæ eidem illic tribuitur hoc clamat. Igitur in Dionis Indice Coss. pro Λ. ὑ. corrigendum. Κ. ὑ. qui error in caussa fuit, ut nec Pighius pervidere potuerit quis hic *L. Visellius*, nec Onuphrius, qui fratrem putat *C. Visellii Consulis* suffecti a. 765. Ab hoc *L. Visellio Varrone* lex *Visellia*, de qua titulus in Cod. denominata.

4,20,1. *Sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim quæ fisco petebantur*] Hic locus mire excercuit Interpretes. Nonnulli corruptum eum pronunciant: alii explicant, ereptum Silio, quidquid Augusti liberalitate unquam accepisset, & donec ea summa conficeretur optima & pretiosissima e bonis ejus æstimata ac Procuratori fisci adjudicata. Fatentur tamen hi rem futuram clariorem, si de insigni aliqua Augusti in Silium collata liberalitate constaret, & cum de ea non constet, se quasi in tenebris micare. Quod nihil aliud quam fateri se locum non intelligere. Mihi scopum Auctoris consideranti non videtur dubium, quin is dicere voluerit Tiberium in hac Silii condemnatione recessisse primum ab imitatione abstinentiæ & liberalitatis Augusti,

gusti, qui non sustinuerat aliquid nec ex bonis illorum qui damnati erant capere si hi liberos habe-rent, nec ex testamentis amicorum, qui parentes essent. Ultimum totidem verbis apud Suetonium Aug. cap. 66. exstat. Prius ex imitatione Tiberii evincitur, quippe qui omnia facta dictaque Augusti vice legis observare fuerit solitus, 4,37,4. quamdiu saltem Drusus vixit. Hic vero in Pisonis damnatione 5,18,2. *M. Pisonem ignominiæ exemit, concessitque ei paterna bona, satis firmus ut sæpe memoravi, adversum pecuniam.* Posterius pariter eumdem æmulatum ostendit Tacitus 2, 48, 1. 2. Existimo igitur SCto omnia bona Silii confiscata. Cum vero quarta illorum pars ex lege Julia Majestatis accusatoribus deberetur, hinc in duodecim quasi uncias hæc dividi debebant, ut illis quadrans seu tres unciæ darentur, dodrans vero seu novem unciæ redigerentur in fiscum. Quod cum nunc primum fuerit exsecutioni mandatum in casu quo damnatus liberos relinqueret, exclamat Tacitus, *Sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim quæ fisco petebantur.*

4,20,2. *Contra M. Lepidus* quartam accusatoribus &c.] Ita clare Beroaldus, eumque secutus Rhenanus. Lipsius ex falsa hypothesi, *M'. Lepidus.* Vide ad 1, 13, 2. & 3, 22, 2.

4,22,1. *Plautius Silvanus Prætor*] Lipsius male ad hunc *Plautium* trahit uti notavit dudum Mercerus, Inscriptionem Tiburtinam, quam integram subjicio ad H. 4, 53, 4.

4,25,1. *apud castellum semirutum*] Supra: *dirutis pagis.* infra *dirutis vicis.*

4,25,2. *cœptus dies*] *Cœpta luce* 1,65,3. 3,15, 6. 15, 55, 1.

4,25,6. *At ille delectis circum stipatoribus*] Ita habet MS. unicus nullo sensu. Unde Pichena fecit *deletis.* quod sensus admitit & a Berneggero receptum. I. F. Gronovius mavult *dejectis*, id est prostratis: quomodo Phœdrus Fab. XXXII. *super juvencum stabat dejectum leo.*

4,26,3. *Sequebantur & Garamantum legati raro in Urbe visi, quos Tacfarinate cœso, perculsa gens & culpæ nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat*] Hæc

Hæc lectio haud tolerabilis. Supra enim 4, 23, 3. regem Garamantum *prædarum receptorem ac socium populandi* dixit: ergo gens Garamantum non potuit fuisse nescia culpæ. Quod cum animadvertisset Lipsius, legit, *& culpæ conscia.* Levior erit mutatio: *nec culpæ nescia.* Sic 4, 32, 1. *non nescius sum.*

4,27,3. *cui provincia vetere ex more calles evenerat*] *Calles* edendum curavi secutus Beroaldi & Rhenani Editiones: nam Lipsius, Pichena & hos secuti dederunt *Cales*, nescio qua auctoritate. Pichena enim tacet, Lipsius *Cales* tolerari posse existimat, quod scilicet hæc vetusta Campaniæ urbs provinciæ Quæstoriæ circa eam nomen dare potuerit: sed non alio tibicine quam hoc loco opinionem hanc fulciri fatetur. Hic vero juxta Beroaldinam lectionem, quam scripti Codicis reor, eamdem destruit. Nec de errore librariorum suspicari licet cum extra omnem controversiam ponatur ejus sinceritas a Suetonio, Iul.cap.19. *Eandem ob caussam opera optimatibus data est, ut provinciæ futuris Coss. minimi negotii, id est silvæ callesque decernerentur.* Immo ipse Tacitus, non obscure subindicat talem provinciam intelligi, quando Curtisium ad libertatem vocasse ait *agrestia per longinquos saltus & ferocia servitia.* Unde patet *silvas & calles, provinciam*, fuisse procurationem ad loca latrociniis exercendis accommodata repurganda. Scilicet ut nunc ita olim latronibus vexata Italia. Caussæ mali hodierni & veteris partim eædem partim diversæ: eædem, regionis situs montibus silvisque abundans: diversæ, apud veteres multitudo servitiorum; hodiernis temporibus Principum & Rerumpublicarum illic copia, unde fit ut qui proscribantur ab his, recipiantur ab illis, & mox latrocinia exerceant in confiniis. Ne de aliis morbis dicam.

4,28,1.2. *& tum catena vinctus perorante filio. * Præparatur adolescens multis munditiis*] Lego: *perorante filio pater: paratus* &c. Τὸ *pater* Lipsius Errico Memmio imputat, quod per abbreviationem scriptum, *ptr*, peperit *præ*. *Paratus* vero structura poscit, sequitur enim *dicebat*, est autem ornatus, excultus. Cicero pro Cæcina cap. 21. *Armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus?*

opinor

opinor eos, qui scutis telisque parati, ornatique sunt.

4,28,3. *Cæcilium Cornutum prætorium*] Si M. *Cornutus*, qui Prætor urbanus a. 711. ut ex Ciceronis lib.X. Ep. 12. ad Fam. & Philipp. XIV. constat, *Cæcilius*, ut Fulvius ponit auctoritate nescio cujus Inscriptionis, ad hujus domum referendus hic *Cæcilius Cornutus*.

4,29,1. *Tum accusator* Cn. Lentulum & Sejum Tuberonem *nominat*; *magno pudore Cæsaris*] Pudorem hunc explicat Dio lib. LVII.

4,30,2. *Gallus Asinius*, Gyaro aut Donusa claudendum *censeret, id quoque adspernatus est*] Aut excidit hic vocabula *cum*, a qua pendet τὸ *censeret*: aut legendum *Gallo Asinio* &c. *censente*. Nam quod Freinshemius subjicit: *Gallus Asinius Gyaro, Cotta Donusa claudendum censuere*: ideo non placet, quod hæc non sit atrox sententia huic reo, cum qua Cotta promptissimus perhibetur 5,3,5. Fuisset autem supplicium more majorum, quod si pro ingenio censuit, imposuisse videtur. Lipsius pro *censeret* legit *censere*. Sed neque sic cohæret oratio. Quare Muretum sequor *cum* in membri hujus principio addentem.

4,31,4. *At P. Suilium Quæstorem quondam Germanici*] Vide ad 13,42,1.

Convictus pecuniam ob rem judicatam cepisse] Quod idem ac si dixisset, ob rem judicandam. Sed ita loquebantur. Unde *judicatum solvi stipulatio* apud JCtos quæ fiebat, antequam res adhuc judicata, de qua titulus in D. Nihil igitur mutandum.

4,32,1. *Sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit*] Hinc patet Tacitum inscripsisse hoc suum opus *Annales* non *Acta Diurna*, aut *Actiones Diurnales*, prout inscribitur in Editionibus antiquissimis, ut Veneta a. 1497.

qui veteres populi Romani res composuere] Adsentior Freinshemio legendum monenti *veteris*. ut 1,1, 4. *Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.*

4,33,3. *sic converso statu, neque alia rerum quam si unus imperitet*] Lipsius legit, *neque alia re Rom. quam* &c. Acidalius: *sic converso neque alio rerum statu, quam* &c. Freinshemius Lipsianam lectionem non

non spernit, & tamen non improbat vulgatam cujus sensum pluribus subjicit, verba non attingit. Mihi cui minimæ placent mutationes, videtur locus sanari posse, dummodo pro *alia* rescribatur *alio*. Studiose autem Tacitus turbasse structuram hoc modo videtur, *sic converso statu neque alio rerum quam* &c. pro sic converso neque alio rerum statu, ut paullo obscurius loqueretur. Quoniam scilicet primi Imperatores videri volebant Rempub. veterem adhuc durare.

4,34,1. *Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss.*] Prior filius *Cossi* juxta Dionis Indicem, qui *Cn. Cornelius Lentulus Cossus Gatulicus* Cos. a. 752. Posterior in eodem *M. Asinius M.F. Agrippa.* cujus lectio si sincera, consequens *Agrippam* hunc non C. Asinii Galli filium, quod cognomentum *Agrippæ* subindicare videtur, sed alicujus *Marci*, qui Galli frater. Vide stemma *Asiniorum* ad 6,23,2.

4,35,2. *Quas nec victor quidem abolevit*] *Nec* non modo *&* *non* significat, verum etiam *non*, sine copulandi vi: uti docet & exemplis probat Festus. Posteriore modo hic sumitur.

4,36,1. *Præfectum Urbis*] Ita Beroaldus & Pichena ediderunt dubio procul quod in archetypo sic invenerint. Promiscue tamen dixerunt, *Præfectus Urbis & Urbi.* Unde modo hoc modo illud apud nostrum occurrit: & in Lapidibus antiquis. Varro apud Gellium lib XIV. cap. 7. *Præfectum Urbi* vocat.

Adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium] Freinshemius reddit παρενθετικῶς: *& coram eo Sex. Marium majestatis postulaverit.* Sed nulla de tali crimine suspicio injicitur a Tacito. Probabilius, de incesto postulatum, ex 6, 19, 1.

4,36,2. *Objecta publice Cyzicenis* incuria cærimoniarum divi Augusti] Lipsius & hunc secutus Freinshemius in Paraphrasi incuriam hanc Cyzicenorum in eo putant positam, quod templum quod ei struendum susceperant, absolvere curæ non habuissent. Sed apud nullum e veteribus hoc reperi & puto id suspicatum potius Lipsium ex 1,78,1. quam alibi legisse: & propterea simpliciter interpretandum reor Cyzicenis objectum quod intermitterent colere divum Augustum, summum suum benefactorem &

cujus

cujus cultus religiosos semel susceperant. Dio enim ad annum 734. refert Cyzicenis ab Augusto libertatem ereptam, quod flagris in seditione quadam cecidissent cives Romanos ad necem. & deinde ad a.740. ait hanc illis redditam. In cujus beneficii memoriam dubio procul templum aut aram aut ludos ipsi constituerunt. Suetonius Aug. cap. 59. *Provinciarum pleræque super templa & aras ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt.* Jam si tum templum a Cyzicenis est erectum, uti verisimile, non dubitandum, quin id statim absolutum, & Augustus quamdiu vixit, vixit autem exinde XXV annos, religiose ab iis cultus fuerit. Augusto vero mortuo cum intermitteretur ejus cultus, tota Cyzicenorum communitas eo nomine accusata est. Lipsius ad hunc locum observat Strabonem ante hunc annum desiisse vivere aut scribere, quoniam Cyzicum liberam vocat lib. XII. Immo desiisse eum scribere ante mortem Germanici & Drusi ex libri VI. fine notari potest.

4,36,3. *At Fontejus Capito, qui Proconsul Asiam curaverat, absolvitur*] *C. Fontejus Capito,* qui Consul cum Germanico a. 765. Nam in Fastis Capitolinis C. F. C. N. dicitur, & Suetonius Calig. cap. 8. *C. Cæsar natus est pridie Kal. Septembres patre suo & C. Fontejo Capitone Coss.* Sub hujus Consulatu natus Calvinus, ad quem Scripta Satira XIII. Juvenalis, ipso teste v. 17.

Stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fontejo Consule natus.

anno nimirum Vespasiani tertio, quo Satira ista scripta est. Lipsio enim, qui lib. IV. Epist. Quæst Ep. 20. hæc refert ad *Fontejum,* qui Consul a. 812. cum C. Vipstano, de quo ad 14, 1, 1. accedere non possum, quoniam ætas Juvenalis ita protruditur in Hadriani tempora, contra manifestam Suidæ, Auctoris veteris, qui vitam ejus conscripsit, & Sidonii Apollinaris auctoritatem. Magis verisimile plerasque Satiras ante aut sub Domitiano scriptas, nonnullas vero statim post ejus cædem, ut secundam, uti ex v. 29. & seqq. quartam uti ex v. 37. & seqq. patet.

4,36.4,

4,36,4. *Nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat*] Id est quo quis frequentius accusaret & sævitiæ Principis per plures accusationes adreperet, ut loquitur 1, 74, 1. eo potentior apud Principem & respectu istius potentiæ inviolabilior erat & quasi sacrosanctus. Ita potius interpretor τὸ *districtior* quam acrem, atrocem, rigidam, ut facit Freinshemius. Nam nec propria vocis significatio nec oppositio *levium* & *ignobilium*, id est raro accusantium, nullamque ex accusando famam habentium, aliam admittit explicationem.

4,38,6. *deum numero additos*] Virgilius lib. VIII. v. 301. *Salve, vera Iovis proles, decus addite divis.*

4,39,2. *Benevolentia patris Augusti & mox plurimis Tiberii judiciis ita insuevisse*] *Insuescere* alibi construit Auctor cum tertio casu. Beroaldus tamen & Pichena: *Benevolentia.*

4,41,4. *Sublatisque inanibus vera potentia augere*] Pichena tolerabilem putat vulgatam lectionem modo τὸ *augere* passive sumatur. Sed mihi vel sic minus Latina videtur, quartum enim casum structura flagitat. Quare quam minima mutatione lego, *vera potentiæ.* quod dictum ut *inania famæ, bonorum* & similia apud Tacitum frequentia. id est remota vana pompa potentiæque specie, ipsam potentiam in veritate & re ipsa augere majoremque facere. In quo imitatus Sejanus herum, qui contentus *vim Principatus sibi firmare imaginem antiquitatis Senatui præbebat.* 3, 59,6.

4,43,2. *suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse*] Interpretes quasi de compacto locum hunc corruptum pronuntiarunt. Nemo autem lenius eum tentat, quam Joannnes Meursius, qui duabus duntaxat literis mutatis legit: *Deltheniatem agrum*: idque probat ex Stephano, apud quem Δελθάνιοι πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. *Delthanii, urbs una ex iis, de quibus inter se pugnabant Messenii & Lacedæmonii.* qui locus egregie hunc illustrat. Sed cur non æque Stephanus ex Tacito quam Tacitus ex Stephano corrigendus? Nulla enim alia, præter hæc duo, exstant loca, in quibus urbis aut agri hujus mentio.

tio. Immo Holſtenius ex literarum ordine apud Stephanum turbato contendit Δενθάλιοι apud hunc legendum pro Δελθάνιοι, idque hoc Taciti loco firmat.

4, 43, 4. *montem apud Erycum*] *Eryx* mons & urbs in Sicilia, cujus gentilitium *Erycinus*, unde in nummis ΕΡΥΚΕΙΝΩΝ. & *Venus Erycina.* Quare corrigendum videtur: *Erycem.* Vulgatum tamen tuetur Cicero lib. II. in Verr. cap. 8. *Non enim Quæſtor petit (ut eſt conſuetudo) is, qui Erycum montem obtinebat.* & iterum eodem libro *Eryco monte.* Sed Cluverius iſtuc quoque mendum irrepſiſſe exiſtimat. Quod ne ſequamur obſtat Inſcriptio vetus: in qua memini id legiſſe, ni fallor, ex Georgio Gualthero.

ſuſcepit curam libens, ut conſanguineus] Videtur cura hujus reſtaurationis per Tiberium commiſſa C. Conſidio Noniano ex nummiſmate apud Fulvium, in cujus uno latere circum caput Veneris: C. CONSIDI. NONIANI S. C. in altero ſub templo monti inædificato, qui inſtar arcis munitus viſitur: ERVC. Fulvius nummum trahit ad Conſidium Nonianum, qui Ciſalpinam Galliam ex S. C. & lege Pompeja ſortitus paullo ante bellum civile Cæſaris & Pompeji: item ad Veneris Erycinæ templum quod Romæ erat prope portam Collinam. Quod utrumque eſt aliter: nam Conſidius iſte non *Cajus* ſed *Marcus* fuit appellatus teſte Cicerone lib. VIII. ad Att. ep. 2. poſt. 11. & templum monti impoſitum Erycinam Venerem in Eryce monte cultam clamat. Errat & tertium ibidem Urſinus, dum Conſidium putat Nonianum dictum ex eo quod a Nonio quodam adoptatus fuerit. Cognomenti enim terminatio potius gentem prodit, e qua adoptatus eſt. Niſi a matre adſumptum ſit Nonia; ad heredes enim tranſmiſſum videtur. *Conſidii* enim Prætura functi meminit Tacitus 5, 8, 2. qui videtur is cujus in denario mentio. quamquam enim hic videatur idem, qui deinceps *Conſidius Proculus* 6, 18, 1. ideo non pro diverſis habendi. Similiter autem Valerius Naſo e prætoriis in Aſiam ſorte miſſus anno inſequenti, ut templi apud Smyrnæos exſtruendi curam gereret, 4, 56, 4. Suetonius

nius Claudio tribuit in ejus vita cap. 35. quod Tacitus hic Tiberio.

4, 44, 2. *Ipse delectus cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur*] Suetonius *majorem* Antoniam ait fuisse in matrimonio Domitii, Ner. cap. 5. *minorem* in Drusi, Calig. cap. 1. idemque Plutarchus testari videtur in fine Antonii. Hinc Vertranius & Muretus hic legunt, *cui major A.* Infra tamen 12, 64, 4. iterum *minor*, quæ Domitio nupta, dicitur.

4, 46, 1. *Lentulo Getulico C. Calvisio Coss.*] In Dionis Indice Γν. Λεντοῦλος Γαιτούλικος καὶ Γ. Καουΐσιος Σαβῖνος. *Getulicum* filium fuisse Cn. Cornelii Lentuli Cossi Getulici, qui Cos. a. 753. cognomen *Getulici* prodit: 4, 44, 2. *C. Calvisius Sabinus* pariter patri cognominis, qui Cos. a. 750.

4, 47, 1. *At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, dum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium qui fidem non mutaverant, veniret; addita præsenti copia, ad hostem pergit*] Vir doctus legit: *cum Pomponius* &c. *venissent.* quoniam alias Tacitum putat prorsus supervacaneum idemque omnino inepta garrulitate dicturum. Videri tamen possunt enuntiationes, ut cum dialecticis loquar, diversæ; *Sabinus exercitus in unum conducit. Pomponius Labeo e Mœsia cum legione venit: Rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium:* prior quidem generalis & sub se duas sequentes continens, non tamen tota ex illis consistens. Nam præter legionem e Mœsia & auxilia Rhœmetalcis exercitus Sabini alios habuit milites, quos per *præsentem copiam* Auctor deinceps designat. Quare generali primum enuntiatione utitur, *donec exercitus in unum conduceret*, dein partitim hanc explicat, *dum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, Rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium veniret, addita præsenti copia.* Hoc Suetonius facit passim, noster sæpius, ut 4, 49, 5.

4, 53, 3. *Esse in civitate .... Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur*] Excidit vocula post τὸ *civitate* in MS. Ex sensu autem clare colligitur desiderari *qui. Esse in civitate* scilicet viros primarios,

rios, *qui Germanici c. a. l. e. r. dignarentur.* Ita enim omnino legendum cum MS. non *dignaretur* ut nonnulli corrigunt. Petebat enim Agrippina maritum a Tiberio & sic dabat ipsi liberam ex pluribus eligendi facultatem. Quod si *dignaretur* legas, tunc nulla electio conceditur, sed electi tantum approbatio. Quod est contra scopum superiorum verborum.

4, 57, 2. quia tamen cæde ejus patrata, sex postea annos pari secreto conjunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit, sævitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem] In caussis hujus abscessus adsignandis Auctor, Bocalino judice, minus satisfacit: qui etiam alias subjicit, probabiliores. Videlicet ideo relictam videri a Tiberio Urbem, quod crederet facilius eam toleraturam tyrannidem ejus, si e longinquo eam exerceret, quam præsens & coram: deinde & quidem præcipue, quod se magis tutum adversus conspirationes crederet in insula commorantem quam in Urbe & Senatu quotidie obversantem. Nam cum quotidie interficeret tot illustres Senatores sub specie quidem juris, revera quod sibi ab illis metueret non modo hac crudelitate reddebat sibi inimicos propinquos consanguineosque interfectorum, sed omnes qui tyrannicum hoc ipsius sophisma intelligebant. Qui cum singuli exitium suum pariter metuerent, non modo illum oderant sed de illo etiam tollendo cogitabant. Quod cum Tiberius usu comperisset in Montani Votieni accusatione, in qua primo *audivit probra, quis per occultum lacerabatur.* 4, 42, 2. impulsus est, *ut vitandos crederet Patrum cœtus.* 4, 42, 1. Cognovit enim tum sophisma suum a civitate intelligi, sibique adversus id munimentum quærendum. Cum vero alia se via salvum esse non posse crederet quam crudelitatis continuatione, qua inimici ejus in perpetuo metu continerentur, sic tamen ut nulla conjuratio cum aliqua successus spe adversus se iniri posset, Urbe sibi discedendum & in aliqua insula commorandum consultissimum putavit.

4, 58, 1. *quorum sermonibus levaretur*] Amicus malebat: *oblectaretur.*

4, 58, 3. *neque enim tam incredibilem caussam providebant*] Freinshemius pro *caussam* legit *casum* non sine caussa.

4, 62, 1. *M. Licinio L. Calpurnio Coss.*] *M. Licinius Crassus Frugi* videtur filius M. Licinii Crassi, qui Consul cum Cn. Cornelio Lentulo a. 740. pater Pisonis, qui a Galba adoptatus, H. 1, 14, 4. *L. Calpurnius Piso* filius Cn. Pisonis & Plancinæ. Hic enim deinceps sub Cajo Africæ præfuit, teste Dione lib. LIX. Unde dubio procul is, qui ante *Cnæus* dictus, 3, 17, 8. Certe id probabilius, quam cum Glandorpio hunc *Lucium* tertium Cn. Pisonis & Plancinæ facere filium.

4, 62, 6. *virile ac muliebre sexus*] Sic testatur esse in MS. unico Pichena: & sic iterum H. 5, 13, 5. Priscianus lib. V. *Plautus hoc sexus, hujus sexi, neutro genere protulit in Rudente: Virile sexus nunquam ullum habui.* & ita locum Plauti in MSS. Pall. legi testantur docti. *Sexu* quoque *virile* dici Scaliger & alii putavere: de quo videndus Ger. Vossius lib. I. de Anal. cap. 31. & lib. II. cap. 17. Nihilominus I. F. Gronovius non dubitat, quin utrobique apud Tacitum scribendum, *virile ac muliebre secus.* tum sæpe apud alios corruptum hoc vocabulum putat. Vide eum ad Livii lib. XXVI. cap. 47.

4, 65, 2. *qui dux gentis Etruscæ cum auxilium appellatum tauisset*] Ita ex MS. edidit Beroaldus. Rhenanus eumque secuti ex ingenio: *cum auxilium appellatum ductavisset.* Sed vix verisimile cum in superiore versu Auctor scripserit *appellitatum*, in hoc repetere vocem voluisse; ut taceam *auxilium appellatum* non convenire Taciti stylo: *tauisset* autem manifeste corruptum. Mihi proxime ad vulgatam lectionem & tolerabiliter legi posse videtur: *ad bella tum tulisset.*

4, 67, 4. *Telebois*] Ante *Thelebois.* male. Græci enim & Latini reliqui scribunt absque adspiratione.

4, 68, 1. *Junio Silano & Silio Nerva Coss.*] In Dionis Indice: Ἄππι⊙ Ἰȣ́νι⊙ Σιλανὸς, Πόπλι⊙ Σίλι⊙ Νερȣ́ας. Sed duplici prænomine *Silanus* usus juxta Dionem lib. LX. ἤρξατο δὲ τῶν φόνων τȣ́των ἀπὸ Γαΐȣ Ἀππίȣ Σιλανȣ͂. *Earum cædium a C.* Ap-

Appio Silano initium sumptum est. Similiter L. SERVIVS RVFVS, in nummo gentis Sulpiciæ apud Ursinum. *M. Servius Sulpicius* apud Cornelium Nepotem: *Q. Servius Sulpicius* apud Ciceronem, notata aliis. Filius videtur C. Junii Silani, qui Consul a. 763. Hic C. *Appius* vivente adhuc Augusto, Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem, duxit uxorem. Plinius lib. VII. cap. 13. *D. Augustus in reliqua exemplorum raritate neptis suæ nepotem vidit genitum, quo excessit anno M. Silanum.* E quo matrimonio M. & L. Silani, D. Iunius Torquatus & Iunia Calvina procreati. Hic est qui *Silani filius* appellatur *homo* Claudio *adfinis* in Fragmento epistolæ Augusti apud Suetonium Claud. cap. 4. Et ad hunc scriptam existimo epistolam V. lib. II. ex Ponto Ovidii, quæ in ultimis Editionibus inscribitur, SALANO. & incipit:

Condita disparibus numeris ego Naso Salano
Præposita misi verba salute meo.

in antiquioribus *Solano*: in aliquot scriptis *Salino*. Sed scribendum *Silano*. In ipsa enim epistola *Silanus* hic in commilitium studiorum adsumptus dicitur a Cæsare Germanico, Claudii fratre: quod imprimis *Silano* huic quadrat. Postea consocer Claudii Imperatoris factus. *P. Silius Nerva* videtur filius P. Silii Nervæ, qui Consul anno 733. quod si verum, frater fuit C. Silii, qui Consul a. 765. hic enim P. F. dicitur in Fastis Capitolinis, fraterque pariter A. Licinii Nervæ Siliani, qui Consul a. 760. & adoptione transiit in gentem Liciniam: de quo Vellejus lib. II. cap. 116. Vide ad 15, 48, 1.

4, 70, 2. *& trahebatur damnatus, quantum obducta veste & adstrictis faucibus niti poteat, clamitans*] Tractus igitur laqueo cervicibus injecto, statu tali, quali Vitellius apud Suetonium cap. 17. *Dein agnitus rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere: donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est.* & propterea in sequentibus *vincula & laqueus* occurrunt.

4, 70, 5. *non imprudentem Tiberium tantam in-*

vidiam adiisse] MS. *non prudentem.* Sensus tamen postulat, *non imprudentem.* id est non temere aut incogitanter facinus tam invisum pepetrasse Cæsarem, sed certo meditatoque consilio, quo simul & ultioni suæ consuleret & antiquum morem non violaret. Moris enim erat magistratibus Kalendis Ianuariis carceres recludere. Si hoc Tiberius impediisset, magnam sibi apud omnes invidiam conflasset. Ergo Sabinum non in carcerem duci jussit eo die, quo inde mox juxta morem emittendus erat, verum ad supplicium: ad securitatem quidem astute; de jure si quæramus, improbe & tyrannice.

4,71,4. *Sed mitigavit Sejanus, non Galli amore, verum ut cunctationes Principis aperirentur*] Julius Salinerius hæc explicat ideo Sejanum mitigasse Tiberium in Gallum, ut simultates ejus in domum Germanici, quas ad id tempus clausas continuisset, detegerentur. Verum satis constabat Tiberium odisse Germanici domum: præterea sequentia verba huic sententiæ responsant: denique res ipsa secuta non est; sive Tiberius non explicuit se super suis inimicis. Unde sequor eos, qui *operirentur* scribendum putavere, pro *aperirentur*: id est odium illud quod Tiberius conceperat in Gallum, tegeretur, non publicaretur; idque ideo, quoniam sciebat hanc illius esse naturam, ut offensas in animo foveret, neque prius verbis aperiret, quam omnia ad opprimendum, quem odisset, parata haberet. Nonnulli malunt *opperiretur*, ut ad Sejanum referatur. Quod & ipsum haud spernendum videtur.

4, 72, 5. *receptus castello cui nomen Flevum:*] Mela lib. III. cap. 2. *Rhenus ad dextram primo angustus & sui similis, post ripis longe & late recedentibus jam non amnis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur; ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior. Iterumque fluvius emittitur.* Nomen fluvii vetus adhuc durat in canali sive freto, accolis t'oude Vlie/ *Flevo vetus*, quod pulvinos duos arenacios, Vreesand & Schieringshals intersecat. Rhenus autem sive Isala, *Flevo* dictus, Vidri scilicet seu *Vechtæ* aquis auctus, postquam *campos* implevit, id est æstuaria, nunc bre-

via

via & syrtes ad occidentem æstivum duarum urbium *Enchusæ* atque *Staveræ* occurrentia. Ad hunc autem ex adverso insulæ in Frisiæ solo castellum olim positum probabile est. Insula adhuc Vlieland dicitur.

4, 73, 6. *apud lucum, quem Baduhennæ vocant,*] Ex Aponiani exercitus ad Frisiam adventu, qui Rheno, id est Isala devectus, per eum tractum, quo Transisulania Frisiæ jungitur, Frisiam ingressus est, colligi potest *lucum Baduhennæ* esse Sevenwolden/ & *Cruptoricis* villam non longe inde dissitam. Non audiendi igitur, qui in Cisrhenanis Frisiis hæc quærunt, & *Cruptoricis* nomen durare putant in austrini maris vado ad septemtrionem Enchusanæ urbis, per milliare circiter Germanicum a continente sito, cui vocabulum Creupelzand.

4, 74, 3. *cujus durior congressus, atque eo per ambitum & societate consiliorum parabatur*] Freinshemius *societatem consiliorum* putat intelligendam de iis consiliis, quæ inter se plures inibant ut Sejani congressum sibi procurarent, existimatque male Interpretes *societatem* hanc *consiliorum* cum Sejano initam credere, quoniam hæc ante congressum iniri non potuerit. Alius vir doctus chimæram πολυπικλοῦ vocat hanc explicationem, putatque *per ambitum & societate consiliorum* esse familiares ejus prensando & conscientia atque opera ad illa, quæ identidem machinabatur, & exemplo Firmii Cati Tiberiique citra congressum per pararios & proxenetas ad perdendum Scribonium conspirantium 2, 28. docet quomodo consiliorum societas ante & citra congressum iniri possit. Nihilominus tempus atque locus minus favere huic postremæ interpretationi videntur. Tiberius & Sejanus ex insula Caprearum venerant in proximum Campaniæ continentem, ut admitterent Senatum, equestrem ordinem & de plebe aliquos ad se videndos. Quodnam ibi fuit tempus aut locus jungendorum consiliorum cum Sejano vel per pararios ad promovendas ipsius machinationes, ut hoc remedio admissionem ad illum impetrarent? Unde prior explicatio probabilior videtur.

AD ANNALIVM

LIBRVM V.

5, 1, 1. *Rubellio & Fufio Coss. quorum utrique Geminus cognomentum erat*] Videndum an hic *Rubellius Geminus* frater fuerit Rubellii Blandi, qui consularis dicitur 3, 51, 1. & qui deinceps uxorem duxit Iuliam Drusi filiam, quondam Neronis uxorem 6, 27, 1. Apud Cassiodorum nomina horum Coss. scribuntur, *C. Rubellius & C. Fusius*, corrupte pro *Fufius*: nam Dionis Index cum scriptura apud Tacitum convenit, in quo Γν. Ῥϐέλλιος Γέμινος, Γ. Φέφιος Γέμινος. *Rubellii* autem prænomen hic *Cnæus* non *Cajus*. *Fufius* paullo post interfectus, 6, 10, 1. Dio lib. LVIII.

5, 4, 2. *brevibus momentis summa verti posse, * quandoque Germanicis Titium pœnitentiæ senis*] Retuli lectionem archetypi codicis, simul cum lacuna prout a Beroaldo expressa est: quam interpolavit primum Rhenanus edendo: *dandumque interstitium pœnitentiæ senis*: dissimulata lacuna: quod insequentes Editores secuti sunt. Ego satius duxi sinceram Codicis scripti lectionem reducere quamvis corruptam, quam conjecturam manifestissime falsam pro Taciti verbis venditare.

5, 6, 1. * Hic incipit lacuna deploranda hujus libri, in qua perierunt acta anni hujus reliqua, quo Rubellius & Fufius Gemini Coss. omnia anni 783. quo Coss. M. Vinucius Quartinus, L. Cassius Longinus; pleraque anni 784. quo Coss. Tiberius V. & L. Ælius Sejanus ex Kal. Ian. C. Memmius Regulus, Fulcinius Trio ex Idib. Majis. Lacunas ex Beroaldina Editione fideliter hic exprimi curavi.

Quatuor & quadraginta orationes super ea re habitæ] Dolendum quod nesciamus super qua re, propter lacunam quæ præcedit. Nec Dio hic juvat, qui notabilem hanc historiam nimis contraxit. Debuit autem res fuisse summi momenti super qua tot

tot orationes in Senatu habitæ: & suspicor fuisse super eo, an pro hostibus habendi essent omnes, qui suffragatione Sejani ad honores pervenerant. Videturque dicere Auctor in his paucas fuisse, in quibus cum libertate, quid Reipub. tristi hoc casu conduceret, prolatum fuerit.

5, 6, 2. *versa est fortuna & ille quidem qui collegam & generum adsciverat, sibi ignoscit*] Intelligitur Tiberius, qui Sejanum collegam adsciverat in quinto Consulatu, præterea destinaverat generum. Quod non explicandum, *pro eo, qui filii viduam ducit*, ut fit in Freinshemiano indice, quasi Tiberius matrimonium cum Livia primo negatum, 4, 40, 10. postea adhuc concessisset. Nam ut taceam Tiberio haudquaquam in more positum concedere quod semel negaverat, *gener* nunquam sic, quod sciam, ponitur: sed vel filiæ maritum notat vel sororis: neutra significatio convenire Liviæ potest, quæ respectu mariti nurus Tiberii, respectu patris, fratris ejus filia, nullo filia aut soror. Etsi enim Germanicus, ejus frater, adoptione Tiberii filius factus sit; propterea non turbabatur gradus consanguinitatis, quo ipsa eum contingebat. Ergo hæc *generi adscißio* de spe matrimonii cum aliqua ex neptibus ineundi intelligenda, qua Sejanum perpetuo a Tiberio lactatum, ex quo ipsi negatæ Liviæ nuptiæ, tum infra 6, 8, 4. tum ex Suetonio Tib. cap. 65. videre est: immo ex ipsa Tiberii epistola, qua negavit Liviæ nuptias, 4, 40, 10. Nec obstat quod ne sic quidem proprie *gener*: cum *progeneros* etiam *generos* dici ICti notent l. 136. D. de V. S.

5, 9, 1. *ut in reliquos Sejani liberos adverteretur*] Ex hoc loco patet bis sumptum de Sejani liberis supplicium. Cum autem is tres tantum liberos ex Apicata habuerit, 4, 3, 6. hic vero duo dicantur supplicio adfecti, sequitur necessario unum ante morte adfectum, & dubio procul filium natu maximum, quasi paternæ conspirationis socium, statim post patrem. Dio lib. LVIII. nullum notat intervallum temporis in pœna de Sejani liberis sumpta: sed oscitanter Sejani historiam in plerisque exsecutus est.

5, 9, 2. *Puella adeo nescia, ut crebro interrogaret,*

 quod

quod ob delictum & quo traheretur? neque facturam ultra; & posse se puerili verbere moneri] Mirum si fuerit *adeo nescia*: nam ante undecim annos jam desponsata Claudii filio Druso, ex Urgulanilla suscepto fuerat, 3, 29, 4. Suetonius Claud. cap. 27. & propterea minimum egit annum ætatis duodecimum. Nam ne aliam ab hac suspicemur, Dio cavet d. l. Sequentia pariter hanc ætatem adstruunt. Petrus Matthæus fingit duas Sejani filias unam puellam immaturæ ætatis, alteram virginem nubilem & hanc tantum a carnifice vult compressam. Quod e directo pugnat cum Tacito, qui Sejano tantum tres liberos tribuit 4, 3, 6. duos mares, puellam unam, uti ex Dionis cum Tacito collatione manifestum. Sed Matthæus putavit de duabus Sejani filiabus hic verba fieri, quoniam primo *puellæ*, postea *virginis* mentio: tamquam *puellæ* sub *virginum* vocabulo comprehendi non possent. Quod aliter se habere patet 14, 64, 1. ubi Octavia, vicesimo ætatis anno, *puella* dicitur.

5, 9, 3. *Tradunt temporis ejus auctores*] Idem habet Dio sine ulla dubitatione d. l.

id ætatis corpora in Gemonias abjecta. *] Posui asteriscum post hæc verba. Quoniam Apicatæ historia hic videtur periisse, quam refert Dio d. l. & in quam Auctor innuit 4, 11, 5.

AD

AD ANNALIVM

LIBRVM VI.

6, 1, 1. *Cn. Domitius & Camillus Scribonianus Consulatum inierant*] *Cn. Domitius* pater fuit Neronis Imperatoris 4, 75, 1. *Camillus Scribonianus*, qui Dalmatiæ præfectus contra Claudium vano successu conspiravit. Suetonius Claud. cap. 13. infra 12, 52, 2. Hinc nomen ejus deletum cernitur in Inscriptione antiqua Interamnæ, quam Pighius refert.

6, 1, 2. *saxa rursum & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum & libidinum*] Acerbior videri potest Auctor in Tiberium, dum conjecturam vix probabilem abscessus hujus facit caussam. Nemo enim mortalium præter Tiberium cum veritate dicere poterat, hunc pudorem in caussa fuisse cur Capreas repeteret. Ut taceam rationes reditus hujus probabiliores dari posse, de quibus 4, 57, 2.

6, 1, 3. *quibus adeo indomitis exarserat*] Mirum Tiberium tam provecta ætate juvenili morbo tam vehementer obnoxium. Agebat enim tum annum ætatis LXXII. Nisi putemus morbo correptum, quali Herodem extrema ætate laborasse Iosephus scribit lib. XVII. Antiq. cap. 8.

6, 3, 1. *Iunium Gallionem*] Dio, lib. LVIII. Ι'ούνιον Γαλλίωον Γαλλίωνα vocat; modo emendate ibi vulgati codices.

6, 3, 2. *quos neque dicta Imperatoris, neque præmia nisi ab Imperatore accipere par esset*] Rhenanus: *quos neque dicta nisi Imperatoris.* quod sequor.

6, 4, 2. *metum prorsus & noxiam conscientiæ pro fœdere haberi*] Ita Cod. Med. Unde Rhenanus fecit, *noxam conscientiæ.* quod plerique deinceps secuti sunt.

6, 4, 3. *manere tempus ultionis*] Nil muta. Ovidius:

Lacrymarum longa manere
Tempora vos poterant.

 6, 5, 1. at-

6, 5, 1. *arguitur pleraque*] Pro in nonnullis. 11, 24, 7.

C. Cæsarem, quasi incestæ virilitatis] In hoc loco sensus bonus non apparet. Nam verbis, *quasi incestæ v.* ratio redditur, cur aliquo Messallini dicto *Cajus Cæsar* atroci injuria affectus esset. Et propterea adquiesco penitus optimi & doctissimi Freinshemii conjecturæ, qua *Cajam Cæsarem*, legendum putat pro *Cajum*. *Cajæ* enim mulieres appellabantur ut *Caji* viri, teste Quintiliano l. 1. Inst. c. 7. Solebant autem viros molles, imprimis pathicos & muliebria passos scommate hoc excipere. Cicero lib. II. de Orat. cap. 68. *Cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset: quid tu Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu & lana? Non pol inquit audeo: nam me ad famosas vetuit mater accedere.* In *Cajum* autem hoc quadrasse mirifice Suetonius facit fidem in ejus vita cap. 36. Quod autem a Lipsio aliisque doctis pro *incestæ* hic supponitur *incertæ*, contra rationem fit. *Incerta* enim *virilitas* est dubia, qualis in spadonibus, quæ Cajo non convenit. *Incestæ*, est pollutæ, commaculatæ. 5, 4, 1. *rursum concessa apud illos, quæ apud nos incesta.* Sic *incestare*. Virgilius lib. VI. v. 150.

totamque incestat funere classem.

6, 5, 2. *de potentia M. Lepidi*] Sic reposui ex MS. remoto τῷ *Manii*, quod a Lipsio insederat hic & alibi.

neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur] Lego cum Pichena, *eaque cuncta.* & est idem Græcismus, qui occurrit ante: *arguitur pleraque.*

6, 7, 4. *admonuit C. Cestium patrem*] Lipsius levi motus ratione, quod filius *Cestius* non occurrat, legit *C. Cestium Prætorem.* eumdemque existimat, cujus sepulcrum adhuc Romæ durat. Sed refutatur Lipsii conjectura eo, quod hic *C. Cestius* cognomentum *Galli* habuerit, uti ex Dione patet & cum M. Servilio Consul fuerit. Neutrum enim C. Cestio, cujus pyramis sepulchralis in Urbe exstat in ejus Inscriptione tribuitur. Vide 6, 31, 1.

6, 8, 4. *cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus*] Ex hoc loco item ex sequentibus hujus orationis

tionis verbis: *ne Patres Conscripti, ultimum Sejani diem* &c. præterea: *insidiæ in Rempub. consilia cædis adversum Imperatorem, puniantur*: clare patet in Sejani historia duo distinguenda consilia: unum, quo a longo tempore, videlicet statim post Germanici mortem cogitare cœpit de invadendo Imperio, eumque in finem multa commisit facinora ipse, aut ut Tiberius committeret ignarus quorsum ea tenderent, auctor fuit: alterum, quod hic appellatur novissimum, est ipsa conspiratio, qua decreverat Tiberium de medio tollere, atque ita finem imponere clandestinis machinationibus scelere manifesto. Dolendum quod apud Tacitum novissimi hujus consilii historia perdita sit in quinto Annali. Quoniam autem Dio novissimum hoc Sejani consilium confundit cum primo, hinc Matthæus aliique recentes auctores pariter id faciunt, atque ita Sejani historiam mirifice confundunt. Nam Tiberius non interfecit Sejanum propter primum consilium, sed propter novissimum. Hoc autem Antonia Tiberio primum revelavit per literas, Cænidis manu, quæ postea Vespasiani concubina, exaratas, teste Dione aut Xiphilino lib. LXVI. per Pallantem servorum fidissimum ad eum missas, ut scribit Iosephus lib. XVIII. Antiq. cap. 8. Unde autem Antonia penetravit in horribile hoc arcanum? Suspicor Satrium Secundum, cum esset ex conjurationis consciis hoc Antoniæ revelasse, cum ipse aut non posset adire Principem, aut potius nollet. idque colligo ex 6, 47, 3. ubi *conjurationis index* dicitur. Prius consilium, sive *sceleris ordinem* demum post Sejani necem ex Apicatæ epistola tormentisque Eudemi & Lygdi didicit. 4, 11, 5. Verum hæc & alia ad Sejani historiam pertinentia collecta nobis in Dissertatione, de vita & morte ejus edita.

6, 9, 4. *Appius Silanus, Scauro Mamerco simul*] Id est cum Scauro Mamerco. Sic 3, 64, 3. 4, 55, 4. Ovidius:

simul nobis habitat.

6, 10, 2. *Vescularius Atticus*] Pichena edi curavit *Vescularius Flaccus.* idque alii post Pichenam secuti sunt: quoniam 2, 28, 1. & 2. bis *Flaccus*

dicitur. Sed cum in Cod. MS. unico exstet *Vescularius Atticus*; & duplicis immo triplicis & quadruplicis cognominis usus apud Romanos obvius, mutatio rite facta non videtur. Revocavi igitur priorem lectionem.

6, 15, 1. *Ser. Galba L. Sulla Coss.*] Hic est *Servius Galba*, qui Neroni successit in Imperio. Notatuque dignum, quod sicuti ipse successit Cn. Domitio, Neronis Patri, in Consulatu, ipsi vero Salvius Otho Imperatoris Othonis pater, sic ipse Neroni successoris Domitii filio in Imperio, ipsi vero Salvii istius filius. Suetonius Galb. cap. 6. Editio autem Beroaldi habet *Ser. Galba.* atque ita etiam Cod. Flor. in libris Hist. aliquoties; quo notatur *Servius*, non *Sergius*. Hinc H. 2, 48, 5. *post Iulios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam Imperium intulisse.* Ubi vide. *L. Sulla* videtur is, cujus mentio 3, 31, 3. filius L. Cornelii Sullæ, qui Consul a. 749. qui cum *Felix* appelletur in Lapide apud Gruterum, hoc ipso proditur inter posteros Sullæ Dictatoris. Ceterum his Coss. a.786. passus Dominus & Servator noster IESVS CHRISTVS.

Postquam instabat virginum ætas, L. Cassium, M. Vinicium legit] Qui hic affines facti ductis duabus sororibus collegæ ante fuerant in Consulatu a. 783. *L. Cassius Longinus*, Proconsul deinceps Asiæ, a Cajo est interfectus, Suetonio teste in ejus vita cap. 17. Pomponius ex hoc *Lucio* facit *Cajum*, qui eodem tempore principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus. l. 2. §. 47. D. de O. I. *Huic* (Massurio Sabino) *successit Gajus Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii: & ideo proavum suum Servium Sulpicium appellat. Hic Consul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii; sed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eousque donec eum Cæsar civitate pelleret: expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano, diem suum obiit.* Lipsius & Gerardus Vossius ad Vellejum monuerunt Pomponium confudisse C. Cassium Longinum JCtum cum *L. Cassio Longino* Tiberii progenero, Asiæ Proconsule, qui a Caligula occisus: quoniam C. Cassio Longino collegam in Consulatu dat *Quartinum*,

tinum, qui M. *Vinicius Quartinus*, & fuit collega *L. Caßii Longini.* Rupertus M. Vinicium cognomento *Quartini* fuisse negat idque gratis affirmasse contendit Onuphrium, Goltzium, Pighium. Ut vero Pomponium a culpa liberet pro *Quartino* apud eum legit *Surdino*, probatque ex sequenti Inscriptione, quæ apud Gruterum exstat, hanc emendationem:

L. CASSIVS LONGINVS M. VINVCIVS
COS.
SVF. C. CASSIVS LONGINVS
L. NAEVIVS SVRDINVS

persuasitque hanc sententiam doctissimo Reinesio. Nihilominus accedere huic conjecturæ non possum propter Dionis Indicem Consulum, in quo totidem literis: M. ΟΥΙΝΙΚΙΟΣ ΚΟΥΑΡΤΙΝΟΣ Γ. ΚΑΣΣΙΟΣ ΛΟΓΓΙΝΟΣ Coss. ponuntur a. 783. Ubi Γ. mutandum censerem in Λ. quoniam Cassius iste *Lucius* & a nostro & a Suetonio dicitur; nisi in ipso Dionis contextu lib. LIX. viderem Γάϊον Κάσσιον, τὸν τῆς Ἀσίας ἄρχοντα vocari. Unde potius castigandum Pomponium censeo quam verba ejus corrigenda, quod Cassium JCtum Consulem putaverit ordinarium, cum *Vinicio Quartino*, cum fuerit suffectus cum Nævio Surdino. Item quod eumdem a *Cæsare* (Tiberio) *civitate pulsum* scribat, cum a Nerone scribere debuerit: uti patet ex nostro 16,9,1. Nam Reinesius † qui Zasium frustra hoc arguisse in Pomponio putat, quod per *Cæsarem* æque *Nero* quam *Tiberius* intelligi possit, haud audiendus est. *Tiberii* enim mentio paullo ante facta non admittit hanc excusationem. Nec Dionem quis absolverit ab eodem errore qui scripsisse eum pro ut in vulgatis codicibus nunc legitur, contenderit. Cajum enim Cassium Longinum JCtum Syriæ non Asiæ præfuisse noster narrat 12, 11. & 12. † Ep. 31.

6, 16, 3. *dein rogatione tribunitia ad semuncias redacta, postremo vetita usura*] Sic distinguendum locum hunc Salmasius docet de Modo Usur. cap. 7.

6, 17, 5. *si debitor populo in duplum prædiis cavisset*] Pichena hic ambigit an non potius *prædibus* legendum. Sed utrisque cavebant, *prædibus* & *præ-*

diis: id est fidejussoribus & pignoribus sive hypothecis: uti Salmasius docet de Mod. Usur. cap. 16.

6, 18, 3. *Pater quoque inlustris eques Romanus, ac frater prætorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere*] Pater *Pompejæ Macrinæ* fuit Pompejus Macer, cui ab Augusto ordinandæ bibliothecæ delegatæ, ut Suetonius Jul. cap. 56. item Asiæ Procuratio data, ut Strabo lib. XIII. Frater Pompejus Macer, qui in Prætura Tiberium offendit 1, 72, 5.

6, 18, 4. *quod Theophanem Mitylenæum proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset*] Juxta Strabonem videtur legendum *avum*, idque jam Freinshemio visum ad 1, 72, 5. Strabo enim *Theophanem* habuisse ait filium Μάκερον (vulgo male, Μάρκον) Πομπήϊον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησε ποτὲ Καῖσαρ ὁ Σεβαστός. Καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. Si enim *Theophanis* filius *Pompejus Macer* qui Asiæ Procurator sub Augusto in præcipuis Tiberii amicis fuit Principatus Tiberiani initio (eo enim tempore opus suum scripsisse aut potius publicasse Strabonem alibi ostensum) plus quam verisimile hunc patrem esse *Pompejæ Macrinæ* & *Pompeji Macri* prætorii, appellatur enim *eques inlustris Romanus*, *Theophanem* vero *avum*, non *proavum*. Hic jus civitatis Romanæ a Pompejo adeptus, Cicerone teste pro Archia cap. 10. *Noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit?* (quæ verba excerpsit Valerius Maximus lib. VIII. cap. 14.) adsumpsit *Pompeji* nomen, atque ad heredes transmisit. Lipsius *M. Pompejum Theophanem* horum facit avum. Quod ut concedi possit veteris scriptoris auctoritate probandum est.

6, 20, 2. *Unde mox scitum Paßieni oratoris dictum percrebuit*] *C. Paßienus Crispus* Consul II. a. 797. cum T. Statilio Tauro, teste Dione lib. LX. hic enim bis Consul dicitur Plinio lib. XVI. cap. 44. item Iuvenalis Scholiastæ ad Sat. IV. v. 81. Pighius hunc *Paßienum Crispum* cum *Vibio Crispo*, cujus mentio infra 14, 28, 3. & H. 2, 10, 2. & Or. 8, 1. perperam confundit. *Paßienus* enim mortuus temporibus Claudii, uti ex Suetonio, Claud. cap. 6.

clarum:

clarum: *Vibius Crispus* Domitiani Principatum vidit, octogenarius scilicet, uti Iuvenalis docet. Sed errorem hunc erravit olim etiam Iuvenalis Scholiastes; cujus ultima verba corrupta sic reformanda videntur: *Hic nullo audiente ab eodem interrogatus, haberetne sicut ipse, cum sorore Germana consuetudinem. Nondum, inquit, quantumvis decenter & caute: Ne aut negans eum argueret aut adsentiens semet mendacio dehonestaret.* Ceterum error Scholiastæ subindicare videtur *Paßienum* etiam *Vibium* fuisse, ut totum ei nomen fuerit *C. Vibius Crispus Paßienus.* Suspicionem hanc auget *Vibius Paßienus* Africæ Proconsul sub Gallieno apud Trebellium in Celso. Quare in Fastis restituendum hoc nomen.

6, 20, 4. *cujus apiscendæ, otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit*] Ioannes Ionsius lib. III. de Script. Hist. Philos. cap. 3. *Thrasyllum* a Tiberio scribit interemptum, Statilio Tauro & L. Libone Coss. auctoritate Dionis lib. LVII. In quibus verbis bis peccatum: nam Thrasyllus non est interfectus a Tiberio, sed fato suo functus anno uno prius quam Tiberius; nec illis Coss. sive anno 769. sed Sex. Papinio Q. Plautio anno 789. uti testatur Dio lib. LVII. Ceterum de hac *Thrasylli* historia & mathematicorum prædictionibus vide Gerardum Vossium lib. II. de Idolol. cap. 47.

6, 23, 2. *consulari seni, tot consularium parenti*] Subjicio hic stemma Asiniorum:

He-

- [a] Herius Asinius, Prætor Marrucinorum.
  - [b] Cn. Asinius.
    - C. Asinius Pollio Cos. a. 714.
      - [d] Asinia, mater Marcelli Æsernini.
      - Herius Asinius.
      - [e] Asinius Saloninus.
      - [f] M. Asinius.
        - M. Asinius Agrippa Cos. a. 778
          - Q. Asinius Marcellus Cos. a. 807
      - C. Asinius Gallus Cos. 746 — Vipsania, Tiberii quondam.
        - C. Asinius Pollio, Cos. a. 776.
        - [g] Asinius Celer Consularis.
        - [h] Asinius Saloninus
        - [i] Asinius Gallus.
          - L. Asinius Gallus Cos. a. 815.
        - [k] Cn. Asinius.
    - [c] Asinius Marrucinus.

a Epit. Livii lib. LXXIII. Vellejus lib. II. cap. 16. Appianus lib. I. bell. civ. Hunc *Pollionis* avum fuisse, partim ex temporis ratione, partim ex eo quod *Pollio* filium habuit hoc nomine, teste M. Seneca Præf. lib. IV. Excerpt. Controv. recte collegisse videtur Lucius Camarra lib. de Theate antiquo.

b Fasti Capit. C. ASINIVS. CN. F. POLLIO. PRO. COS. EX. PARTHINEIS. AN. DCCXIV. VII. K. NOVEM.

c Catullus Carm. in Asinium: *Marrucine Asini* &c. *crede Pollioni Fratri*.

d Nepos videtur ex filia, quoniam verisimile M. Claudio Marcello Æsernino natum, qui Cos. cum L. Arruntio a. 732.

e Hic nono ætatis die periit juxta Servium ad Virgilii Ecl. IV.

f Index Coss. apud Dionem.

g Hic a Claudio necatus, teste Seneca in Apocol.

h Destinatus Tiberio progener juxta Tacitum 3, 78, 1.

i Dioni lib. LX. Drusi frater uterinus: meminit & Suetonius Claud. cap. 13.

k *Pollionis & Agrippæ nepos*, in veteri Inscriptione apud Iulium Cæsarem Capacium lib. II. Hist. Neapol. cap. 24.

6, 23, 3. *cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset*] Videtur hoc *tomentum* fuisse ex herba gnaphalio. Plinius lib. XXVII. cap. 10. *Gnaphalion alii chamæzelon vocant, cujus foliis albis mollibusque pro tomento utuntur.* Similiter Dioscorides lib. III. cap. 132. Folia enim facilius avallari possunt quam stramen aut palustres arundines, unde pariter pauperiorum culcitæ farciebantur.

6, 23, 4. *Tradidere quidam, descriptum fuisse Macroni*] Ursinus adfert ex suo Codice, *præscriptum* quod etsi interpolatum credam, sensus tamen postulare videtur: & sic noster 1, 6, 2.

6, 24, 3. *mox ubi exspes vitæ fuit*] Nonius: *Exspes dicitur sine spe. Accius Eurysace:* Ille orbus exspes

ſpes liberum. *Idem Medea:* Exſul, inter hoſtis, exſpes, expers, deſertus, vagus.

6, 25, 2. *Sed Agrippina æqui impatiens*] Acidalius plane non verum credit *æqui impatiens*, putatque *regi* vel *jugi impatiens* legendum. Sed verum patet ex 2, 42, 6. *regibus æqua nedum infima inſolita.*

6, 25, 4. *Actæ ob id grates*] Pichena & Bocalinus putant gratias fuiſſe actas diis tamquam pro ultione hoſtium Principis. Sed perperam: intelliguntur enim grates Principi actæ pro clementia: idque clare Suetonius tradit Tib. cap. 53. uti jam Freinshemius monuit.

decretumque, ut quintodecimo Kalendas Novembris utriuſque necis die, per omnes annos, donum Iovi ſacraretur] In Calendario Romano; Imperatoris Conſtantii temporibus exarato, cujus octo menſes Ægidius Bucherius, totum Petrus Lambecius nuper publicavit, ad xv Kal. Nov. legitur: *Iovi liberatori* CM xxIV. quod Lambecius & ante hunc Bucherius ad donum hoc referunt.

6, 27, 1. *Iulia Druſi filia, quondam Neronis uxor, denupſit in domum Rubellii Blandi*] Exiſtimo eumdem eſſe qui conſularis 3, 51, 1. etſi Lipſius putet ejus filium: quoniam undecim tantum anni elapſi ab eo tempore quo conſularibus annumeratur: unde veriſimile paullo ante ſuffectum Conſulem fuiſſe: præterea poſt contractas haſce nuptias *Rubellius Blandus* inter Conſules non reperitur. Nec novum videri debet conſularem virum deſtinatum Iuliæ, viduæ, maritum, cum paullo ante L. Caſſio & M. Vinicio pariter conſularibus ab eodem Tiberio neptes virgines datæ uxores fuerint. 6, 15, 1. *Iulia* autem hæc a Meſſallina interfecta a. 795. Vide 13, 32, 3.

6, 27, 2. *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere cenſorio celebrata*] Hic eſt *L. Ælius Lamia*, qui Cos. cum M. Servilio a. 756. quem celebrat Horatius lib. I. Od. 26. & lib. III Od. 17. de *cenſorio funere* actum 4, 15, 3.

6, 27, 4. *Obiit eodem anno & M. Lepidus*] Ita Beroaldina editio; quam Lipſius hic & alibi ex *M.* faciens *Manius* interpolavit, uti jam ſæpius monitum.

6, 28, 1. *Paullo Fabio L. Vitellio Coss.*] *L. Vitellius* pater fuit Vitellii Imperatoris, Orienti mox præpositus 6, 32, 6. Suetonius Vitell. cap. 2. *Paullus Fabius* in Indice Coss. apud Dionem Παῦλος Φάβιος Πρίσκος dicitur, & ab ipso Dione Φάβιος Πρίσκος, ubi utrobique corrigendum Περσικός. Sic enim cognominatur a Frontino, Auctore vitæ Persii, qui his Coss. Persium natum scribit, aliisque. Videtur autem filius Paulli Fabii Maximi, qui Cos. cum Q. Ælio Tuberone a. 743. Notandum autem horum prænomen, quod gentis Æmiliæ cognomen fuit: de quo videndus Valerius Maximus libello de nominibus. Impuritatem hujus viri perstringit Seneca lib. IV. de Benef. cap. 30. & Iuvenalis Sat. VIII. v. 13. & seqq. Dictus procul dubio & *Paullus* & *Persicus*, quoniam descendebat ab L. Æmilio Paullo, qui Persen devicerat, e cujus domo in gentem Fabiam majores ejus transierant.

avis phœnix in Ægyptum venit] De Phœnice videnda collecta Samueli Bocharto lib. VI. part. sec. de Animal. cap. 5.

6, 28, 3. *mille quadringentos sexaginta unum interjici*] Locum hunc tuetur contra correctores, qui Berneggero vel Freinshemio mutandi contextus auctores fuerant, Salmasius Plinian. Exercitat.

6, 28, 7. *ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre atque adolere*] Salmasius legit: *neque adolere.* Sed non video, quid hoc ad rem faciat. Nihil enim opus tradere, quod phœnix non facit. Contra apud nullum invenias, Phœnicem *adolere* sive incendere nidum, parentis reliquias continentem, sic in ara positum. Immo vel poëtæ imiginatu difficile reor, quomodo avis hoc facere potuerit. Unde suspicor ab Auctore scriptum: *atque avolare.*

6, 29, 1. *Pomponius Labeo, quem præfuisse Mœsiæ retuli*] Dio lib. LVIII. per octo annos Mœsiæ præfuisse scribit atque ex Prætura provinciam hanc sortitum. Unde patet falsum quod Muretus ad hunc locum adfert simul Macedoniæ præsedisse. Toto enim illo tempore multumque ante & post Macedonia recta a Poppæo Sabino 1, 80, 1. 6, 39, 3.

6, 29, 7. *hortante Sexitia uxore*] Sic Beroaldi Editio. Lipsius in margine: *Sextia.*

6, 30, 2. *dum Lentulo Getulico, sub quo legioni præfuerat, periculum facessit*] Qui Cos. a. 779. vide 4, 46, 1.

6, 31, 1. *C. Cestio M. Servilio Coss.*] In Indice Coss. apud Dionem, item Dionem ipsum hi Coss. Γ. Γάλλ@, M. Σερουίλι@ appellantur. Unde patet *C. Cestium Gallum* diversum esse ab illo *C. Cestio* qui *Epulo* cognominatur in Inscriptione sepulchri pyramidalis, quod Romæ exstat. Lipsius tamen ad 6, 7, 4. secutus ut puto Panvinium lib. II. de Repub. Rom. refert ad hunc *C. Cestium* qui sub Tiberio Consul. Sed Inscriptio quæ in exteriore hujus pyramidis latere a quolibet prætereunte facile detegitur aliud viros doctos docere debuerat. Est autem sequens:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL.
VII. VIR. EPVLONVM

& paullo inferius:

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIE-
(BVS. CCCXXX.
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELAE. HEREDIS. ET. PO-
(THI. L

Id est *C. Cestius Lucii filius Poblilia* (tribu) *Epulo, Prætor, Tribunus plebis, Septemvir Epulonum.* Primum enim diversum cognomen, deinde Consulatus nusquam; cum gesti ab eo honores diligenter recenseantur. Sed & alia Inscriptio, quæ in interiore sepulchri hujus parte ponitur, ostendit hunc C. Cestium Epulonem, jam ante medium Augusti Principatum fato functum, quam pariter subjicio:

M. VALERIVS. MESSALLA. CORVINVS.
P. RVTILIVS. LVPVS. L. IVNIVS. SILANVS
L. PONTIVS. MELA. D. MARIVS
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET
L. CESTIVS. QVAE. EX. PARTE. AD
EVM. FRATRIS. HEREDITAS
M. AGRIPPAE. MVNERE. PER
VENIT. EX. EA. PECVNIA. QVAM
PRO. SVIS. PARTIBVS. RECEPER.

EX.

EX. VENDITIONE. ATTALICOR.
QVAE. EIS. PER. EDICTVM
AEDILIS. IN. SEPVLCRVM
C. CESTI. EX. TESTAMENTO
EIVS. INFERRE. NON. LICVIT.

Nam M. Agrippa, ut de reliquis taceam, mortuus a. 742. teste Dione lib. LIV. Alter hujus anni Consul *M. Servilius Nonianus*, uti vocatur Plinio, (qui Nonium Senatorem propter opalem gemmam ab Antonio proscriptum, ejus facit avum, lib. XXXVII. cap 6.) videtur adoptatus a M. Servilio, qui Consul a. 756. ut putat Pighius: historiam scripsisse tradit Auctor 14, 19, 2. Ceterum his Coss. a. d. v. Kal. Aprilis funus corvi celebribus exsequiis Romæ ductum Plinius prodit lib. X. cap. 43.

6, 33, 3. *Quorum Sceptuchi donis utrimque acceptis*] Beroaldus & Rhenanus edidere *Sceptuchi*: Lipsius, Pichena, Freinshemius *Sceptruchi*. Verior tamen priorum scriptura: Græcis enim σκηπτῦχος placuit a σκῆπτρον, omissa canina.

6,33,4. *Hiberi locorum potentes, Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt*] Infra H. 1, 6, 4. *viam* hanc *Caspiam* appellat *claustra Caspiarum*. & Suetonius Ner. cap. 19. *Caspias portas*. Ad quas Nero bellum Albanis inferre meditabatur, cum Vindex in eum insurgeret. Ammianus Marcellinus pariter hic locorum easdem agnoscit lib. XXIII. cap. 6. *Ab Arctoo cardine adusque Caspias portas Cadusiis conterminat & Scytharum gentibus multis & Arimaspis hominibus luscis & feris: ab occidua plaga contingit Armenios* &c. de Euphrate. Seneca *Caspia juga* vocat in Thyeste v. 374.

Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis.

Plinius lib. VI. cap. 13. per errorem *Caspias portas* appellatas ab iis, qui cum Corbulone res in Armenia gessere, easque *Caucasias* potius dicendas existimat. Quæ opinio in eo nata quod alias *Caspias portas* in Alexandri Magni historia videret occurrere, per quas e *Media* in *Parthiam* transitus. Vide de utrisque Freinshemii Notas ad Curtium 6, 4, 19. quibus addenda, quæ Adamus Olearius, αὐτόπτης, scri-

scribit de munimentis montis *Barmach* & *Derbente.*

6, 33, 4. *cum alios incessus hostis clausisset*] Intelligo *viam Caspiam.*

Unum reliquum mare inter & extremos Albanorum montes, æstas impediret: quia flatibus Etesiarum implentur vada; hibernus Auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto, brevia litorum nudantur] Bocalinus hic non se capere ait Auctoris ratiocinationem, quoniam mare Caspium & sinus Persicus longissime ab Armenia distent, ubi contigisse dicantur hæc quæ de mari referuntur. Et propterea non majore Cosmographiæ infert, quam rerum Iudaicarum, in quibus non leviter cespitavit, cognitione præditum. Verum ut hoc probet ita se gerit, ut si luberet retorquere accusationem in auctorem possem. Primum enim dubitat, de quo *mari* is loquatur, Caspio an Persico: cum de Caspio agere manifestum sit. Dein exundationem maris Caspii non potuisse attingere Armeniæ fines rigide nimis pronuntiat. Nam cum Armenia ab Albania separetur amne Cyro, qui in Caspium mare se exonerat, & Tacitus impleta dicat vada, *mare inter & extremos Albanorum montes*, apparet absque errore dici posse maris Caspii exundationes Armeniæ terminos attigisse. Immo æque hoc de itinere per hæc vada quam de *Via Caspia* dici potest: quoniam hæc æque ad Cyri sinistram descendentibus, & quidem non longe ab his vadis, quam vada ipsa, inveniatur. Sed alia me difficultas hic turbat: quomodo scilicet unus reliquus transitus, *mare inter & extremos Albanorum montes*, dici possit æstate impeditus, quo minus Sarmatas Parthorum auxiliares in Armeniam transmitteret: cum *portæ Caspiæ*, vel *Derbentum*, in ipso maris Caspii littore positæ, sic ut fluctus marini sæpe urbis mœnia rupi inædificata pulsent. Hoc est quod conciliari non potest cum illorum hypothesi, qui *portas Caspias* faciunt *Derbentum.* Quæ si vera, fatendum Tacito horum locorum situm minus fuisse cognitum. Quam suspicionem confirmat, quod vada hæc *mare inter & extremos Albanorum montes*, transitum illum alterum præbentia, impleri per æstatem dicat *flatibus Etesiarum*, *hiberno* contra *au-*

ſtro nudari. Nam cum ex oppoſitione *auſtri* appareat per *Eteſias* aquilonem deſignari, non orientem (ut Lipſius magis ad locorum faciem quam Taciti verba reſpiciens notat:) & ex recentiorum Tabulis manifeſtum ſit maris Caſpii littus ab oſtiis fluminis Rha ad Cyri & Araxis exitum ab ſeptemtrione in meridiem ſe extendere, ratio non apparet quomodo aquilo implere poſſit vada in tali littore ſita occidentem reſpicientia, aut auſter eadem ſiccare repleta.

6, 36, 3. *Igitur Sinnaces, quem ante inſenſum memoravi, patrem Abdageſem, alioſque occultos conſulit & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit*] MS. *conſilit.* quomodo ediderunt Beroaldus & Rhenanus: pro quo Freinshemius putat fuiſſe, *conſilii*, ut mihi videtur ἀςόχως. Sequentia enim, *& tunc continuis cladibus promptiores*, id firmant: & ſic loquitur 4, 7, 3. *non occultus odii.*

6, 37, 6. *gazam & paratus regios adjicit*] In ſuperioribus Editionibus legebatur *adicit*: unde feci *adjicit.* ut alibi ſcribitur, quo Orthographiæ ratio eſſet conſtans.

6, 39, 3. *Fine anni Poppæus Sabinus conceſſit vita*] Dio lib. LVIII. in principio anni 788. Ποππαῖος δὲ Σαβῖνος τῆς τε Μυσίας ἑκατέρας, καὶ προσέτι καὶ τῆς Μακεδονίας ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου παρὰ πᾶσαν (ὡς εἰπεῖν) τὴν τοῦ Τιβερίου ἀρχὴν ἡγεμονεύσας, ἥδιστα προαπηλλάγη, πρὶν τινὰ αἰτίαν λαβεῖν. *Poppæus autem Sabinus, qui utrique Mæſiæ & poſtea etiam Macedoniæ hactenus per omnem ferme Tiberii Principatum præfuerat jucundiſſime vita deceſſit, antequam aliquod ei crimen impingeretur.* Qui locus male verſus impoſuit Lipſio & Glandorpio, ut putaverint *Poppæum Sabinum* ſua ſponte non fato exſtinctum.

6, 40, 1. *Q. Plautius Sex. Papinius Coſſ. ſequuntur*] Ita pariter appellantur hi Coss. in Indice Coss. apud Dionem & Dionem ipſum. *Sex. Papinius Gallienus* cognominatur in antiqua Inſcriptione apud Onuphrium & Pighium. Hunc Plinius Conſulem ſe vidiſſe ait lib. XV. cap. 14. Filii hujus caſus narratur 6, 49, 1.

*Eo anno * neque quod L. Aruſejus morte adfecti forent, adſuetudine malorum ut atrox advertebatur*] Be-

Beroaldus & aliquot eum secuti Editores putarunt hic nomen unius aut alterius periisse, qui simul cum *L. Arusejo* interfecti, & propterea asteriscum appinxerunt. I. F. Gronovius putabat hoc modo sanari posse: *neque quod L. Aruseji morte adfecti forent* &c. *advertebat*: de patre & filio *Arusejis* explicans.

Vibulenus Agrippa] Apud Dionem lib. LVIII. Οὐϊϐίλιος Ἀγρίππας.

6, 40, 3. *& duo Blæsi voluntario exitu cecidere*] Ante hic legebatur *Blæsii*. & mox *Blæsiis*. Nos Freinshemii & aliorum judicium secuti curavimus edi *Blæsi* & *Blæsis*. Primo, quoniam nulla gens *Blæsia* cognita: deinde, & quidem præcipue, quoniam ex *convulsa domo* manifestum de *Iunii Blæsi*, qui Sejani avunculus, filiis agi: quorum alterius mentio 3, 74, 3.

6, 40, 4. *Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam retuli*] Annali quinto procul dubio, ubi nunc lacuna trium ferme annorum. Ex mentione autem mortis quasi nuperæ patris ejus, videtur fuisse filia M. Æmilii Lepidi, sapientissimi viri, cujus obitus narratur ad finem anni 786. 6, 27, 4. Hujus sororem suspicamur *Lepidam*, Valeriæ Messallinæ matrem, 11, 37, 4. Lipsius in domus Augustæ stemmate sine ratione dubitat an eadem, quæ Augusti proneptis. In illam enim minime quadrat, *impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus*.

6, 42, 4. *materna origine Arsaciden, cetera degenerem*] Adsentior Freinshemio *paterna* reponendum censenti pro *materna*. Primo, quia 2, 3, 1. *Arsacidarum e sanguine* dicitur. Secundo quia oppositio non satis constat, quod fuerit per matrem ex gente *Arsacidarum*, sed degener. Tertio quia matres apud Parthos neque dabant neque auferebant nobilitatem, ut patet in Vologese ex pellice Græca nato 12, 44, 2. Quarto quia nemo apud Parthos assumebatur in regnum, nisi *Arsacides*, per patrem, 6, 31, 5.

6, 42, 6. *Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit*] De *Surenis* adi Brissonium lib. I. de Regno Pers.

6, 45, 6. *Consules, Cn. Acerronius C. Pontius*] Hi

Hi Coss. in Indice Coss. apud Dionem Γν. Πρόκλος Ἀκερρώνιος, Γ. Πόντιος Νιγρῖνος. & sic pariter appellantur a Dione ipso. item in Lapide antiquo apud Onuphrium ad hunc annum: CN. ACERRONIO ET PONTIO NIGRINO COSS. Unde patet emendandum alterius nomen apud Suetonium Tib. cap. 73. ubi *C. Portio Nigro* legitur, pro *C. Pontio Nigrino.* ut Torrentio monitum. Simile vitium in *Pontiæ* Caji, forte hujus, filiæ nomine commissum in Inscriptione apud Gruterum notavit Reinesius Ep. XXXV.

6, 45, 8. *Nam etsi commotus ingenio; simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat*] Casaubonus ad Suetonium Calig. cap. 10. pro *avi* scribendum putat *aviæ*, & per *aviam* intelligit Liviam Caji proaviam; quoniam apud hanc primo educatus, & hæc omnium artium istius generis peritissima. Sed cum non minor simulandi magister *avus* ejus Tiberius, & in hujus contubernium translatus sit post tirocinium anno ætatis vicesimo, atque in eo jam quadriennium exegisset, videtur emendatio hæc supervacanea.

6, 47, 2. *Lælius Balbus*] Forte filius *D. Lælii Balbi*, qui Cos. sub Augusto a. 748.

6, 47, 3. *Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo, conjurationis indice fuerat*] *Satrius Secundus* numeratur inter Sejani clientes 4, 34, 2. & cum Pomponio præcipuus auctoritate atque potentia apud eumdem dicitur 6, 8, 7. Hic nihilominus audit *conjurationis index.* Quod de nulla alia conjuratione quam Sejani intelligi potest. Unde locus hic valde notabilis, quoniam nusquam alibi, quod sciam, hoc legitur. Narraverat totam hanc rem Auctor supra libro quinto: sed ibi periit historia judicii & supplicii Sejani. Iosephus lib. XVIII. Antiq. cap. 8. per Antoniam indicium ait primo factum. Sed conciliatio facilis. vide notata 6, 8, 4.

6, 49, 1. Sex. *Papinius consulari familia*] Videtur filius *Sex. Papinii Gallieni*, qui Cos. anno superiore 6, 40, 1.

6, 49, 2. *aliaque in eumdem dolorem mœsta & miseranda diu ferret*] Assentior Lipsio pro *diu ferret*

emendanti *differret.* id est spargeret in omnes, qui illam audiebant.

donec minor filius lubricum juventæ exiret] Qui pariter dictus *Sex. Papinius*, de quo Seneca lib. III. de Ira cap. 18.

6, 50, 2. *in villa, cui L. Lucullus quondam dominus*] Suetonius Tib. cap. 73. *Obiit in villa Lucullana.* Hanc Phœdrus describit lib. II. Fab. 36.

6, 50, 3. *medicus arte insignis, nomine Charicles*] Hujus exstant medicamenta ad ictericos apud Galenum lib. IX. de Compos. Medic. s. l. cap. 2.

6, 50, 6. *Decimo septimo Kalendas Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse*] Ita pariter habet Suetonius Tib. cap. 73. frequentius tamen *septimo decimo* dicebant. Sed Dio lib. LVIII. ait imperasse annos XXII, menses VII, ac dies totidem. Unde patet hunc *septimo Kalendas Aprilis* non *septimo decimo* mortuum tradere.

6, 51, 1. *quamquam mater in Liviam & mox Juliam familiam adoptionibus transierit*] Suetonius discrepare videtur, dum maternum Tiberii avum in *Liviorum* familiam adoptione transiisse scribit, in ejus vita cap. 3. Sed conciliatio facilis. Potuit enim avus adoptari cum jam liberos haberet, & nominatim hanc Tiberii futuram matrem.

CONSVLES ROMANI

Post Cn. *Acerronium Proculum* C. *Pontium Nigrinum* apud Tacitum deperditi.

	Anno
M. Aquilius Iulianus, P. Nonius Asprenas.	V.C. 791. Ch. 38.
C. Cæsar Germanicus Aug. II. L. Apronius Cæsianus.	V.C. 792. Ch. 39.
C. Cæsar Germanicus Aug. III. solus in Id. Ian. *Suff.* L. Gellius Poplicola, M. Coccejus Nerva.	V.C. 793. Ch. 40.
C. Cæsar Germanicus Aug. IV. in VII. Id. Ian. *Suff.* Q. Pomponius Secundus, Cn. Sentius Saturninus.	V.C. 794. Ch. 41.
Ti. Claudius Nero Aug. II. C. Cæcina Largus.	V.C. 795. Ch. 42.
Ti. Claudius Nero Aug. III. L. Vitellius II.	V.C. 796. Ch. 43.
Q. Vibius Priscus II. T. Statilius Taurus.	V.C. 797. Ch. 44.
M. Vinicius Quartinus II. M. Statilius Corvinus.	V.C. 798. Ch. 45.
C. Valerius Asiaticus II. M. Iunius Silanus.	V.C. 799. Ch. 46.
Ti. Claudius Nero Aug. IV. L. Vitellius III.	V.C. 800. Ch. 47.

Ad Breviarium Libri XI.

Hæc gesta annis fere duobus,
Ti. Claudio Cæsare IV, *L. Vitellio* III } *Coss.*
A. Vitellio, L. Vipstano
In Lipsii & quæ hanc secutæ Editionibus editum
C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messalla } *Coss.*
A. Vitellio, L. Vipsanio
non sine oscitantia. Nam inter *C. Valerium Asiaticum, M. Valerium Messallam* Coss. a. 799. & *A. Vitellium, L. Vipstanum* Coss. a. 801. in Fastis interjiciuntur *Ti. Claudius Cæsar* IV. *L. Vitellius* III. Coss. a. 800.

AD ANNALIUM

LIBRUM XI.

XI, I, I. *Nam Valerium Asiaticum bis Consulem, fuisse quondam adulterum ejus credidit*] Ex prima hujus libri vocula patet principium ejus desiderari. Qualia autem id continuerit non admodum difficile conjectu est. Nempe Consules, qui annum aperuerunt ab V. C. 800, qui Principatus Claudii fuit septimus. Fuerunt autem hi *Ti. Claudius Cæsar* IV, *L. Vitellius* III. juxta Dionem lib. LX. Etsi Suetonius Claud. c. 14. affirmet in hoc Consulatu fuisse suffectum in demortui locum novo circa Principem exemplo. Nam cum Dio non meminerit hujus rei nec uspiam demortuus hic nominetur plusquam verisimile eum sive ante Consulatum initum sive in illius principio mortuum, atque ita Principem hujus locum implesse. *Claudius* autem *Cæsar* nusquam *Julius* legitur appellatus, nec ita appellari potuit, quoniam in *Juliam* gentem nunquam adoptatus. Quare *Claudius Iulius* qui a Stephano & Etymologici Auctore adducitur omnino alius est, de quo tamen dubitat Casaubonus ad Suetonium Claud. cap. 42. *L. Vitellius* Consul III, pater

pater fuit Vitellii Imperatoris, qui Consul I. a. 787. supra 6, 28, 1. iterum a. 796. cum Claudio III. Post Consulum mentionem Dio Claudii Censuram describit: deinde quomodo dum in alienorum libertorum scelera graviter animadverteret ipse suis obnoxius fuerit. Tum subjicit Asiatici damnationem. Ergo præter nomina Consulum in hujus libri principio periisse videtur, quomodo Messallina abutens valetudine viri in omne nefas magis magisque ruere cœperit, simul exitium attulerit viro magnis virtutibus prædito & opulentissimo *Valerio Asiatico*. Nam Censuræ mentio sequitur 11, 13, 1. Hic autem Consul II. fuerat superiore anno, & se abdicaverat invidiæ vitandæ caussa statim in principio anni: alter hujus Consulatus non reperitur in Fastis, & propterea dubio procul suffectus fuit.

Fuisse quondam adulterum ejus] Ex sequentibus apparet pronomen *ejus* respicere *Poppæam Sabinam*, filiam Poppæi Sabini, de quo 6, 39, 3. cujus mentio in deperditis facta fuerat.

pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos] Hinc statim sequenti anno *Messallina in Lucullanos hortos* digressa 11, 32, 1. Distinguendi autem hi horti qui ad Urbem, a *villa cui L. Lucullus quondam dominus* apud promontorium Miseni, in qua Tiberius obiit. 6, 50, 2.

11, 1, 2. *auri vim atque opes Principibus infensas*] Hæc lectio est a Lipsio, videturque vera, licet in Florentino Cod. Longobardicis literis exarata, juxta recentissimam collationem: *caveri atque opes.* ut mirer Pichenam testari in hoc MS. legi, *auri vim atque opes.* In Cod. MS. cujus Rodolphus Agricola quondam nunc ipse sum dominus: *caveret vim atque opes.* In Reg. *caveri vim atque opes.*

11, 1, 5. *Crispinum*] *Rufium Crispinum*, de quo ad 12, 42, 1.

11, 2, 2. *ad quod victo Silentio prorupit reus, & Interroga, inquit, Suili, filios tuos virum me esse fatebuntur*] Non explicant Interpretes responsi hujus acrimoniam, sive quid in illo mordax, quo impudens *Suilii* obturatum. Ego non dubito, quin per hanc responsionem, per speciem interrogatio-

 nis

nis propositam, *Asiaticus* dicere voluerit, non quidem se pathicum esse, sed tales esse *Suilii* filios: quoniam autem *magna inter molles concordia*, seu naturalis quædam propter eamdem vitæ turpitudinem amicitia & conspiratio, hinc *Asiaticus* jubet *Suilii* filios de pudicitia sua dicere testimonium, quippe qui cum ipsi essent pathici, congenerum suorum notitiam habere præsumebantur.

11, 2, 4. *maritum ejus Scipionem*] De hoc ad 13, 25, 1.

11, 3, 1. *liberum ei mortis arbitrium* permisit] *Permisit* hic eodem modo ponitur, quo advocati *damnare* vel *absolvere* dicuntur.

11, 4, 1. *pergitque Suilius addere reos equites Romanos inlustres*] De equitibus Romanis *inlustribus*, satis notavimus ad 2, 59, 4. *addere reos* est augere numerum reorum, ut *addito tempore* 12, 6, 4.

at caussa necis ex eo] Videtur scripsisse: *ac caussa necis ex eo.*

quod domum suam Mnesteris & Poppææ congressibus præbuisset] Editiones antiquæ habent: *Valerii & Poppææ*, quod Rhenanus ex Budensi Codice, in quo reperit, *in Nestoris* mutavit in *M. Nestoris & Poppææ.* nec recte. quoniam non ita vocatus celebris iste pantomimus. Unde Lipsius edidit: *Mnesteris & Poppææ.* Sed cum hic tum temporis amaretur a Messallina, haudquaquam verisimile adulterii cum *Poppæa* accusatum. Quare cum Editiones ante Rhenanum, tum MS. meus: *Valerii & Poppææ.* & hanc scripturam postulent præcedentia, vix dubito, quin ab Auctore ita scriptum fuerit.

11, 4, 3. Quidam *pampineam coronam albentibus foliis visam*] Carolus Paschalius lib. IV. de Coronis cap. 1. docet *pampineam coronam* esse symbolum maturitatis ejus, quæ fini proxima, & propterea periculum ex hoc somnio equiti Romano natum putat. Sed non tam *corona pampinea* tracta in nocendi occasionem, quam *folia albentia*, quæ in hac imaginatus Petra fuerat: uti patet ex somnii hujus interpretatione.

11, 4, 5. *cum idem*, inquit, *de admissis Poppææ sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes*: eleganti temperamento &c.] Non explicant Interpre-

terpretes qua in re situm fuerit *temperamentum* Scipionis ab Auctore laudatum. Videtur in eo, quod cum versaretur in negotio ancipiti, quippe quod ab una parte exitium, ab altera minaretur infamiam; ita temperare valuerit, ut utrumque feliciter evaderet. Periculum imminebat, si uxorem a crimine adulterii sententia sua absolveret: infamia, si pro adultera condemnaret. Itaque mediam viam ingreditur, per quam impendentem utrimque scopulum feliciter evaderet, utendo scilicet hujuscemodi verbis, quæ Messallina & Vitellius pro se, ipse & Poppææ amici explicare aliter possent.

11, 5, 3. *consurgunt Patres, legemque Cinciam flagitant*] Legem hanc illustravit nuper Fridericus Brummerus.

11,6,2. *ne fidem quidem integram manere, ubi m. q. s.*] Ita diserte Flor. Reg. & Meus MSS. nisi quod Flor. in ultima voce aberret exhibendo, *spectaretur*. & Reg. qui, *spectatur*. Quare nulla correctione hic opus.

11, 6, 3. *quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore*] Acidalius legit: *Quod si nullius in mercedem negotia tueantur*. eo ordine & sensu: si nullius negotia tueantur in sive ob mercedem. Videtur hic offensus eo quod putarit *mercedem* tantum de accipiente dici, non etiam de dante. Unde etiam alius vir eruditus inductus videtur ut divinaret: *Quod si in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore*. Sed cum MS. meus: *quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore crimina*: non tam de primo membro corrigendo, quam de secundo explendo cogitandum. Nec novum videri debet *mercedem* hic dici de cliente, qui patrono offert honorarium, cum Suetonius Jul. cap. 20. similiter *mercedes* vocet pecuniam quam publicani pro conductis vectigalibus ex contractu pendere cogebantur: & Ulpianus l. 3. §. 2. D. ubi pupillus educ. *mercedes pupillorum* dicat pecuniam, quæ in disciplinam pupillorum impenditur.

11, 6, 4. *meminissent C. Asinii & Messallæ*] Nicolaus Heinsius legebat: *& M. Messallæ*. quod probo. Intelliguntur autem *C. Asinius Pollio*, cujus mentio 1, 12, 6. & *M. Valerius Messalla Corvinus*, qui Consul cum Augusto III. a. 723. de quo ad 3, 2, 5.

& recentiorum Arruntii & Æsernini] Vide ad 1, 13, 1. & 6, 23, 2.

ad summa provectos incorrupta vita & facundia] Sic malui edere, adhibita distinctione post τὸ *Æsernini* quam *provectorum* hac omissa, cum Ed. Ven. Beroaldo & Freinshemio quoniam unanimiter Flor. Reg. Meus & Budensis Rhenano teste: *provectos.* magis e Taciti genio.

11, 6, 5. *Et postquam annuit tacens, incipiunt*] Flor. *& post quam annuit. tacere incipiunt.* Unde Freinshemius: *jacere incipiunt*, id est proloqui non continua oratione, sed velut interjungentes. Quæ lectio ipsissima Taciti videtur; qui sic alibi. 6, 4, 3. *si qua discordes jecissent, melius oblitterari.* MS. meus: *postquam annuit, dicere incipiunt.* Reg. *agere incipiunt.*

11, 7, 1. *Quem illum tanta superbia esse*] Beroaldi aliorumque Edd. veteres, item Freinshemii: *quem ullum.* Sed MSS. Flor. Reg. Bud. Meus, ut edidi.

11, 7, 5. *capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur*] Ulpianus l. 1. §. 12. D. de extraord. cognit. *Licita quantitas intelligitur pro singulis caussis usque ad centum aureos.*

11, 8, 3. *Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri Artabano conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus in ceteros) accivere Bardanem*] Muretus legit *properaverat*, probante I. F. Gronovio: & sic loquitur 2, 31, 4. 13, 17, 2. Sed Iosephus lib. XX. Antiq. cap. 2. ab his dissentanea scribit: videlicet mortuo *Artabano* successisse primo filium *Bardanem*, huic paullo post interfecto, quoniam bellum in Romanos meditabatur Parthis nolentibus, suffectum fratrem *Gotarzem*, hujus itidem brevi per insidias sublati locum occupasse alium fratrem *Vologesem*, qui *Pacoro* fratri grandiori natu Mediam, *Tiridati* minori Armeniam dederit.

11, 9, 3. *fœdus repente faciunt*] MS. meus: *fœdus repente iciunt.* quod confirmatur a corrupta Flor. & Reg. lectione, *jaciunt.* 12, 62, 1. *a fœdere quod nobiscum icerant.*

11, 10, 1. *& reciperare Armeniam ni Vibio Marso Suriæ Legato bellum minitante cohibitus foret*] MS. Flor. *& recuperare Armeniam habeat ni a V.* Meus:

&

& recuperare Armeniam in animo habebat, ni a V. Reg. *& recuperare Armeniam hēbat, nisi a V.* Ed. Beroaldi: *& recuperare Armeniam parabat.* Sed Rhenanus testatur habere Cod. Bud. *& recuperare Armeniam, ni Vibio.* quod positum pro *recuperabat* cum non observassent nonnulli, alii explere aggressi sunt: alii asteriscum adpinxerunt.

II, 10, 3. *& huic contra itum ad amnem Erindem*] Nusquam, quod sciam, exstat fluminis hujus mentio præterquam hoc loco. Unde suspecta mihi scriptura legendumque forte, *ad amnem Charindam.* Nam *Charinda* a Ptolemæo ponitur inter Mediam & Hyrcaniam terminus, ejusque ostia sub longitudine Gr. 93. 40. 30. qui locus satis convenit pro belli sede & prælii loco inter Bardanem & Gotarzem: Gotarzes enim postquam fratri de regno concessit, in Hyrcaniam abierat. Meminit *Charinda* etiam Ammianus lib XXIII. cap. 6. *Amnes has regiones prætereunt multi, quorum maximi sunt Choaspes & Gyndes & Amardus & Charinda & Cambyses & Cyrus.*

prosperisque prœliis medias nationes subegit ad flumen Gyndem quod Dahas Ariosque disterminat] Herodotus lib. I. cap. 189. scribit *Gyndem* in *Mantienis* oriri montibus indeque per *Darneos* in Tigridem se effundere, quem a Cyro in centum & octoginta alveos derivatum memorat, quod aliquis e suis in eo submersus: meminitque iræ hujus etiam Seneca lib. III. de Ira cap. 21. Sed sicut iste *Gyndes* periisse videtur per hanc derivationem, ita hic, qui *Dahas Ariosque disterminat*, plane ab isto diversus. Meminit & Ammianus lib. XXIII cap. 6. *Gyndis* tam ab Herodoti quam a Taciti diversi. MSS. Flor. Meus, Bud. habent: *Sinden.* Covarruvianus: *Sindem.* Reg. *ad flumen Sinden, quod Dacos Arriosque discriminat.*

II, 10, 8. *ad Meherdatem prolem Phrahatis obsidio nobis datum*] Suspicor fere ab Auctore scriptum, *obsidium nobis datum*: per appositionem. ut *obsidium* ponatur pro obses, ut 15, 1, 3. *temeritate obsidii* legitur in MS. meo, ubi in vulgatis, *temeritate obsidis.*

II, II, I. *Iisdem Consulibus ludi seculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo, quam Augustus ediderat spectati sunt*] Censorinus de die Nat. cap. 17. *Sextos fecit Ti. Claudius Cæsar, se*

 IV. &

IV. & *L. Vitellio* III. *Coss. anno* ɪↄccc. Patet autem ex hoc loco Tacitum Varronianam computandi annos V. C. rationem, ut maxime communem, securum.

11, 11, 4. *cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent*] Si Virgilio fides lib. V. Æneid. v. 545. ludicrum hoc ab Ænea in Sicilia institutum ad filii sui & ceterorum puerorum exercitationem: dein ab Ascanio Albanis, ab his traditum Romanis, v. 597. ubi ad

Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.

Servius: *Ut ait Suetonius Tranquillus:* lusus ipse, quem vulgo pyrrhicam appellant, Troja vocatur: *cujus originem expreßit in libro de puerorum lusibus.* At Suetonius ipse hæc distinguit Jul. cap. 39. *Pyrrhicham saltaverunt Asiæ Bithyniaque principum liberi.* paullo post: *Trojam lusit turma duplex majorum minorumque puerorum.* Et sic reliqui Auctores Solino excepto, qui equestrem lusum: cum pedestri saltatione confundit *vulgi* errore deceptus, notante ad eum Salmasio. Ceterum *Trojæ* lusum Romæ antiquissimum etiam Dio notat lib. XLIII. Τήν τε ἱππασίαν τὴν Τροίαν καλουμένην οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιήσαντο. *Etiam Trojam, lusum equestrem, juxta antiquam consuetudinem patriciorum pueri luserunt.*

11, 11, 5. *externis miraculis adsimulata*] Ita MS. meus, non *adsimilata.*

11, 12, 3. *Nam in C. Silium juventutis Romanæ pulcherrimum ita exarserat*] Filius fuit *C. Silii*, de quo 4, 18. & 19. uti patet 11, 35, 1. Formam hujus laudat pariter Iuvenalis Sat. X. v. 332.

optimus hic & formosißimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus
Messallinæ oculis.

ut Iuniam Silanam nobilem feminam, matrimonio ejus exturbaret] De hac vide 13, 19, 2.

vacuoque adultero potiretur] Videtur scribendum: *vacuo quo adultero potiretur.* Hæc enim caussa superioris exturbationis: ut quod Sejanus pepulerit domo Apicatam, *ne pellici suspectaretur*, 4, 3, 6.

11, 13, 2. *Et lege lata, sævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias, filiis familiarum*

rum fœnori darent] Hæc *lex* appellata *Senatusconsultum Macedonianum* a *Macedone* fœneratore l. 1. D. ad SC. Maced. temporibus Claudii non Vespasiani. Ab hoc enim repetita lex non lata primitus. Suetonius Vesp. cap. 11. *Auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur. Neve filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti jus umquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Sic enim cum nostro conciliandum Suetonium ex adjecto Senatusconsulto Claudiano patet, cujus meminit 12, 53, 1. Constitutum autem *Senatusconsulto Macedoniano*, ne filii familias universe, id est nullo ætatis respectu, tenerentur de pecunia credita, post patris mortem. Antea *lex Lætoria* succurrebat quidem, sed minoribus tantum. Unde Plauto *quina vicenaria* Pseud. 1, 3, 69. qui & alibi meminit, non expresso nomine: quod apud Ciceronem primum exstat lib. III. de Off. cap. 15. *Atque iste dolus malus & legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis: circumscriptio adolescentis, lege Lætoria: & sine lege judiciis, in quibus additur, ex fide bona.* Rursus lib. III. de Nat. Deor. cap. 30. Quando autem lata hæc lex quove auctore, frustra consulas.

Fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos, Urbi intulit] Ita scripsi pro *sub Imbruinis*, quod hactenus præferebant Editiones, præter Rhenani, quæ pro nobis stat; primo ut Auctor sibi esset concors: sic enim legitur 14, 22, 4. etiam in MSS. præterea apud Celsum lib. IV. cap. 5. saltem in quibusdam exemplaribus: *Consistere in frigidis medicatisque fontibus, quales Cutiliarum Symbruinarumque sunt, salutare est.* denique secutus auctoritatem Cluverii atque Holstenii. Quorum ultimus *Simbruinos* montes dictos docet, qui *Sublaqueo*, quod opidum fuit in dextra Anienis ripa in Sabinis, a tergo imminent, in quibus nunc *Cervara* vicus: *colles* vero *Simbruinos*, qui ad radices dictorum montium juxta Sublacensem viam porriguntur, in quibus *Augusta* sita est: quoniam ex imis horum collium radicibus aquarum istarum fontes nascuntur, quas Marcius, Augustus & Claudius Romam perduxere.

11, 14, 1. *&* litterarum semet inventores *perhi-*

 bent]

bent] Ægyptii ut mendacissimi in chronologia, sic non magis veridici in eo quod *literarum* semet repertores tulerint. Taautus enim cui hoc beneficium ipsi tribuunt juxta Sanchuniathonem apud Eusebium lib. I. P. E. cap. 10. natione Phœnix: & veterem linguam Ægyptiam ab Hebræa non multum diversam doctis jam probatum.

II, 14, 2. *Linum Thebanum*] De *Lino* quædam notavi Dissert. de Primis Italiæ colonis cap. 7. huc pertinentia.

& temporibus Trojanis Palamedem Argivum *memorant*, sexdecim literarum formas] Lipsius quoniam non recordabatur & *Palamedi* sedecim literarum inventionem a nonnullis tribui locum hunc sollicitabat corrigendo: *Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum sexdecim literarum formas & temporibus Trojanis, Palamedem Argivum quatuor, memorant.* Sed Gerardus Vossius lib. I. de Arte Grammat. cap. 10. docet Gorgiam, Oratione pro Palamede, Γράμματα, μνήμης ὄργανον universe Palamedi tribuere; & præter hunc alios.

II, 14, 3. *At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato*] Græcis Δημάρατος scribitur: sed in Fastis Capitol. *Damaratus*: qua ratione *Nicodamus*, *Damoteles*, *Damocritus* apud Livium, in quibus omnibus est η apud Græcos.

II, 14, 4. *Quo exemplo Claudius tres litteras adjecit*] Idem testatur Suetonius Claud. cap. 41. sed pariter eas non exprimit. Una ex tribus fuit digamma Æolicum, pro V consona hac figura Ⅎ, testibus Quintiliano, Prisciano, Capella, aliis, item Lapidibus, quorum unus apud Pighium ad a. 801. sic habet:

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAⅎIT. TERMINAⅎITQVE.

Alte-

Altera antisigma pro Ψ Græcorum hac figura ɔc. Priscianus lib. I. *Huic s præponitur p & loco Ψ Græcæ fungitur, pro qua Claudius Cæsar antisigma ɔc hac figura scribi voluit, sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare, quamvis non sine ratione hæc quoque duplex a Græcis addita videatur, nam multo meliorem & volubiliorem sonitum habet Ψ quam ps vel bs.* Tertiam Lipsius putat esse Φ Græcorum: Gerardus Vossius X vel Θ lib. I. Art. Gram. cap. 24.

adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo] Cod. meus: *publicandis plebescitis p. f. a. t. fixis.* Flor. *publicodis plebiscitis p. f. a. t. fixo.* Reg. *publico plebiscitis p. f. a. t. fixo.* non succurrunt. Grotius legebat: *publicandis plebi SCtis p. f. a. t. fixo.* quod videtur verum. Vide 12, 53, 4.

11, 15, 1. *ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret*] Extispicinæ auctor apud Etruscos credebatur Tages quidam, de quo Cicero lib. II. de Divin. cap. 23. & alii: sed quisquis ille fuerit non primus excogitavit hanc superstitionem. Nam apud Assyrios in usu fuisse temporibus Nabuchodonosoris testatur Propheta Ezechiel cap. XXI. v. 26. *Nam stabit rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem, terget cultros, consulet imagines, inspiciet jecur.* Abolita teterrima superstitio Theodosii, Gratiani & Valentiniani Constitutione, l. 2. C. de Paganis & Sacrificiis & Templis.

11, 16, 1. *& uno reliquo stirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur, nomine Italus*] Cod. meus a manu secunda habet, *Italicus.* atque ita paullo post bis Cod. Flor. & meus: unde sic scribendum videtur. Pro cognomine enim receptius hoc quam illud, ut patet in Silio *Italico.* tum rege Suevorum hujus nominis, H. 3, 5, 4.

11, 18, 2. *auxiliaris & diu meritus*] Cod. Flor. *auxiliaris ex diu meritis.* Sed illud *ex* est a manu recenti, juxta collationem novissimam. Verum Cod. meus sine ulla mutationis suspicione: *auxiliaris ex diu meritis.* cui Budensis concinit, Rhenano teste: quod confirmat corrupta quamvis Farn. Cod. scriptura: *auxiliare ex drumentis.* qua viri docti, cognito tot Codicum consensu, non fuissent

ſent abuſi ad ſupervacaneas conjecturas. Reg. *auxiliares diu meritis.* Sic 2, 52, 1. *is natione Numida in caſtris Romanis auxiliaris ſtipendia meritus.*

II, 18, 5. *quia vallum non accinctus &c. foderet*] Perperam hic locus ſollicitatur a Freinshemio, quaſi *vallum*, genere neutro pro terra adgeſta & foſſa non æque Latinum, quam *vallus* pro palo vel ſtipite.

II, 19, 2. *ac ne juſſa exſuerent, præſidium immunivit*] I. F. Gronovius locum hunc ab omni vitioſitatis, qua apud pleroſque laborabat Interpretes, ſuſpicione liberavit, docendo *immunivit* eſſe, ibidem munivit, ut apud Suetonium *incœnante eo* Tib. cap. 39. *inſtans in medio triclinio* ib. cap. 72. Ceterum inter Hiſtoricos vernaculos reperiuntur qui exiſtiment *Vernam* intelligi, nobilem quondam in minoribus Friſiis urbem paullo infra Alcmariam ad Rhenum ſitam, quæ diu potens tandem a Ioanne Hannonio juxta Annales exciſa funditus. Verum hæc ſententia ab ipſo Tacito refellitur, qui apud Tranſrhenanos Friſios ſeu majores hæc geſta docet.

II, 20, 2. *inter Moſam Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit*] Dio lib LX. Πιστευθεὶς δὲ πάλιν τὸ στράτευμα, καὶ οὐδὲν ἧττον ἤσκει αὐτὸ, καὶ ἐπειδήγε εἰρήνουν διετάφρευσε δι' αὐτῶν τὸ μεταξὺ τοῦ Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα. *Iterum copiis præpoſitus, nihilominus eas in exercitiis habuit: quumque pax eſſet, eorum opera foſſam a Rheno ad Moſam produxit ad centum ſeptuaginta ſtadia longam.* Abrahamus Ortelius *foſſam* hanc haud dubie Vecht vocari ſcribit, Hollandiæ fluvium, e Rheno paullo ſupra opidum, Wijck dictum, deſcendentem inque Moſam apud pagum, cui vocabulum Krimpen ſe exonerantem, habentemque in longitudine plus minus octo milliaria noſtratia. Et in Belgii veteris Tabula FOSSA CORBULONIS ab eodem dicitur Rheni alveus inter *Batavodurum* & *Merovæi foſſam* interjectus. Huic ſententiæ contradixit acriter Cluverius libello de tribus Rheni alveis cap. 6. & lib. II. Germ. antiq. cap. 31. tribus utrobique ad eam deſtruendam argumentis utens. Primo quod ſic *foſſa* non inter *Moſam Rhenumque* interjecta, ſed foſſam Merovæam inter

inter Rhenumque: secundo quod inter Batavodurum sive Durostadium & Krimpen distantia sit XXX millium passuum, cum *fossa Corbulonis* tantum per XXIII milliaria juxta Tacitum, vel CLXX stadia secundum Dionem producta: tertio quod *Lecca* longius absit, quam ut alveus ejus *incertis Oceani vetandis* inservire potuerit. Tamen haud dubito, quin Ortelii sententia vera sit, etsi neque ipse nec qui postea in eam propendit Isaacius Pontanus recte eam tuiti fuerint. Prima enim Cluverii ratio nullius plane ponderis est. Quid enim vetat quo minus pars, quæ insequentibus temporibus ab adsito castello *Merua* late dicta, totius nomine veniat? aut an Tacitus non sic sæpius loquitur? Tertiam refellunt abunde inundationes terrarum, quæ patria lingua de groote Zuit-Hollandse waart appellantur, supra Mosæ & *Leccæ* confluentes factæ. Sola secunda de intervallo XXX milliarium Ortelii sententiam destruere videtur: qui cum ipse difficultatem hanc animadvertisset, studiose illud contraxit. Sed dissimulando non solvuntur nodi. Quid igitur? Existimo *fossam* hanc e Rheno apud Batavodurum a Corbulone ductam, non usque ad confluentes Mosæ & *Leccæ*, sive pagum Krimpen / sed duntaxat ad vicum *Leccæ* sinistræ ripæ impositum, cui vocabulum Lecks-monde. Ut ita sentiam tribus inducor rationibus. Prima, quod a divortio hujus *fossæ* ad *Lexmondam* sit idem circiter intervallum quod a Tacito aut Dione *fossæ Corbulonis* adscribitur. Secunda nomen ipsum, indubitatum præbens ostii indicium, uti in vicinis locis Aselmonde / Dortmonde Giessen-monde. Tertia, quod apud accolas duret adhuc opinio a majoribus tradita, amnem fuisse infra *Lexmondam*, in quem olim a Batavoduro derivatus Rhenus fuerit. Quæ cum penitus conveniat cum Taciti & Dionis narrationibus, tum natura in his locis Mosæ, qui æstu maris ventisque restagnans plurimos facit ramos, amnium instar, quos nostrates Killen & Kreecken appellant, quales Giessen & Alblas / dubitari non potest, quin talis quoque antequam Rhenus in eum a Corbulone derivaretur, *Lecca* fuerit. Qui cum videret terras Mosæ subjectas crebris inundationibus obnoxias & animadvertisset

a Mo-

a Mosa restagnante ramum productum in quem commode Rhenus a Batavoduro derivari posset ad exemplum Drusi, qui eodem modo Rhenum ducta fossa in *Isalam* apud Dusburgum deduxerat, rem magnitudine Romana dignam exsecutus est. Mihi hæc res adeo videtur clara & omnium oculis exposita, ut satis mirari non possim quomodo cum ab Ortelio agnita esset, licet minus recte adstructa, a Cluverio rejecta, a nemine deinceps eruditorum adserta & vindicata fuerit. Omnes enim quasi de compacto, præcipue vernaculi scriptores, in caducum Cluverii parietem inclinaverunt. Hic enim *fossam Corbulonis* voluit esse alveolum, qui ab hac urbe Delftum defertur, atque inde ad vicum Maaslant / tandem apud propinquum vicum Sluis Mosæ conjungitur, cui nomen Delftum usque de Vliet. Primo, quoniam *inter Mosam Rhenumque* productus: dein quod Oceano proximus & ob id incertis ejus vetandis idoneus: tertio quia spatium XXIII millium passuum seu CLXX stadiorum quam maxime congruit, utique si juxta alvei ductum mensura instituatur: denique (quod vel totius argumentationis caput putat) quia accolis dicitur de Vliet / quo vocabulo *æstuaria* & *maris fluxus* Batavis denotari existimat. Respondeo *Leccam* pariter *inter Mosam Rhenumque* productum. Elicem vero de Vliet *incertis Oceani vetandis* fuisse idoneum, aut, uti Dio ait, quo minus *amnes æstuante Oceano refluentes stagnarent*, impedire valuisse locorum peritum judicaturum reor neminem. Primum enim transversus Mosam Rhenumque interjacet non longe ab horum amnium ostiis; dein in nonnullis locis tres perticas Rhenolandicas & aliquot pedes, in plerisque alterum tantum duntaxat latus est; tertio valde est flexuosus; quarto nullis aggeribus humili in solo cinctus. Quis sani sincipitis hujuscemodi fossam, quominus adfluxus maris in superiorem insulæ partem agris detrimentosi transirent, ut Cluverius loquitur, vetare potuisse crediderit? Tertia ratio etsi blandiatur prima specie, excussa superiorum evadit similis. Quis enim prout hodie porrigitur, Mosæ alveus circa pagum Maaslandsluis / ita & *Corbulonis* temporibus

bus

bus porrectum affirmaverit? Immo aliter porrectum multa indicia sunt. Ut soli circa pagum Maasland humilitas; ipsius hujus loci novitas & appellatio; nomen pagi medio fere itinere *Delftum* inter pagumque Maasland a *nauticis hominibus*, Schipluy/ desumptum, & in hujus vicinia castrum a Romanis quondam conditum, cui nomen Kenenburg; denique quod in vetustis possessionum extra hunc pagum *Mosælandiam* versus sitarum instrumentis terræ *extra aggerem jacentes* appellentur. Quæ omnia non obscure produnt Mosam antiquitus pagum Schipluy præterlapsum. Collabitur igitur sic tertia Cluverii ratio a pari distantia desumpta & cum ea tota ipsius sententia. Quarta a nomine hodierno petita, ipsi ut Germano, condonanda est. Batavi enim non tantum *æstuaria* & *fluxus marinos* sic appellant, verum & aquas dulces fluentes. Ex quibus nisi fallor abunde sententiæ hujus patet absurditas. Nihilominus nuperus Auctor vernaculus magno apparatu hanc recoxit & novo etiam tibicine fulcire conatus est, pertraxitque auctoritate sua virum primarium, cui *Delfti* descriptionem lingua vernacula debet, in hanc sententiam. Hunc igitur non audire culpa videretur. Existimat autem *fossam Corbulonis* esse canalem, qui a *Leida Delftum*, inde ad pagum Schipluy (huc usque cum Cluverio) porro Fladirtingam porrigitur. Quoniam hæc antiquissima ad Mosam urbs, & aquæ apud hanc prius emissæ; intervallum vero idem. Verum eadem hic quæ illic obversatur difficultas, quoniam Mosa apud Fladirtingam orientem, Schipluy & Kenenburg versus, petiisse olim videtur. Quomodo non idem intervallum. Ut taceam fossam de Vliet infra *Delftum* mutare nomen, & quæ *Mosælandiam* versus fertur vocari de Gaag, quæ Fladirtingam de Wede vaart. Quod vero ad fossæ hujus tutamen ædificatas velit a Romanis arces, quarum fundamenta in pagis Schipluy, t Mout Voozburg adhuc supersunt, vereor ut ulli rerum Romanarum perito persuadeat: nullis enim præsidiis fossa hæc indigebat, quippe mediterranea, nisi forte contra ipsos Batavos, qui fratres & amici populi Romani. Castra procul dubio hæc fuere militum Romano-

rum,

rum, qui maritimæ oræ hic præsidebant. Quæ ubi in solo humili & maris fluviorumque inundationibus exposito ædificanda erant temporibus, quibus aggeres hisce in locis nondum structi erant, terra ipsa in tumulum ibi aggerata fuit. Quod non tantum observare licet in locis ubi Romani habuere castra, verum & in antiquissimis hujus regionis pagis. Infeliciter igitur infertur tumulum, in quo fuit castrum Romanorum in pago Voorburg prodere fossam de Vliet a Romanis excavatam, tamquam hic necessario e terra fossæ hujus aggestus fuerit. Prorsus vero amœnum, quod Cluverius in secunda ratione ab hoc Auctore deseritur. Fatetur enim canalem de Vliet & propter angustiam & propter curvitatem *incertis Oceani vetandis* inidoneum. Cum vero videret sic obstare Tacitum & Dionem: in illo quidem cum Vertranio legit: *qua incerta Oceani vitarentur.* pro *vetarentur* (quomodo Codd. omnes habent & Dio legi jubet) vertit autem: om de onseeckerheid van de Noordzee dermaar is buiten om te vermijden. Dionis autem verba: *ne fluvii æstuante Oceano refluentes stagnarent*: reddit infideliter: op dat de Rivieren jegens den opkomende vloet van de Noordzee niet en souden behoeven tijd te stoppen. Sic ex quolibet fieri potest quidlibet. Vide reliqua huc pertinentia ad H. 5, 19, 3.

qua incerta Oceani vetarentur] Sic Codd. Reg. Flor. & Meus: nisi quod in Regio *invecta*, pro *incerta*. corrupte. id est arcerentur, prohiberentur, ne restagnando terris nocerent, ut jam explicavit I. F. Gronovius lib. I. Observ. cap. 5. aut ut Dio d. l. Ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ Ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναρρέοντες πελαγίζωσιν. *ne ii fluvii æstuante Oceano refluentes stagnarent.*

II, 21, 1. *De origine Curtii Rufi &c.*] Non dubito quin *Curtius Rufus*, cujus historiam Tacitus hic tanta cum cura depingit, etsi hoc videri nolit, unde a dubitatione exorditur, esse eumdem, qui historiam scripsit rerum Alexandri Magni. Immo inducor ut credam ideo potissimum hoc ab eo factum, quoniam historiam scripsit: cujus tamen mentionem non fecit, ne aut judicare de illa cogeretur, aut æmulationis suspicio lectori oboriretur.

tur. Primum enim idem huic ac Historico nomen. Etsi enim prænomen hujus hic non occurrat: tamen verisimile eumdem esse, qui in catalogo Clarorum Rhetorum apud Suetonium in MS. Cod. quo Achilles Tatius usus est, vocatur Q. CVRTIVS RVFVS, poniturque inter M. Porcium Latronem, (cujus mortem Eusebius confert in Olympiad. CXCIV. annum primum, V. C. 750.) & L. Valerium Primanum. *Acre* enim *ingenium*, quod hic *Curtio Rufo* tribuitur, & Prætura gesta sub Tiberio, optime quadrant in hunc Rhetorem. Quod si verum, uti credimus, non minus probabile ab eodem memoriam rerum gestarum Alexandri Magni profectam. Nomen enim plane convenit, præterea declamatorius stylus non raro se prodit in hac historia, immo ipsa argumenti electio sapere scholam videtur. Non tamen propterea cum Lipsio putem scripsisse eum hanc historiam sub Claudio, sed plane adquiesco Iani Rutgersii judicio, lib. I. Var. Lect. cap. 19. ex mentione prælii nocturni lib. X. cap. 9. quo Vitellius a Vespasiano apud Cremonam superatus est, quod describitur a Tacito H. 3, 22. & seqq. sub Vespasiano scripsisse colligentis. Etsi enim ab ultimo Tiberii anno ad Vespasiani principium numerentur anni XXXII. tamen quoniam Tacitus *Curtio Rufo* post Præturam tribuit longam senectam, in qua Consulare imperium in Germania sub Claudio & triumphi insignia propter specus in agro Mattiaco quærendis venis argenti reclusos a. V. C. 800. postremo Africam obtinuit sub Vespasiano, atque ibi mortuus est. Quod si demus *Curtium* ad octogesimum annum pervenisse & fato suo functum medio Vespasiani Principatu, perbelle omnia in unum eumdemque *Curtium* quadrabant Rhetorem, Proconsulem, Historicum. Nec contra hanc sententiam facit Freinshemii argumentum, qui ex imperitia rei militaris, quæ in acierum descriptionibus ab historico factis se prodit, colligit in Notis ad Curtium 3, 9, 2. & alibi, ab Africæ Proconsule fuisse diversum: quoniam ex historia notum Claudianis temporibus homines civilium atque militarium artium plane rudes non raro ad provin-

cias

cias administrandas missos suffragatione libertorum aulam tunc tenentium; immo sub Vespasiano cuncta venalia fecisse Cœnidem testatur Dio lib. LXVI. Mirum autem quod hic Taciti locus tam oscitanter ab aliquot doctis viris tractatus sit. Brissonius lib. I. de Regno Persarum Curtium ait Africam obtinuisse Proconsulem sub Claudio: idque Pighius ponit ad a. 807. in Annalibus. Gerardus Vossius eundem facit Consulem: in quo ipsi præivit auctor Editionis Elzevirianæ anno tertio & tricesimo hujus seculi procuratæ. Rhenanus Claudio tribuit ejusdem provectionem ad Præturam: quæ omnia falsa & directa fronte auctorem, unde petita sunt, arietantia animadvertas.

II, 21, 2. *dum in opido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat*] Plinius lib. VII. ep. 27. in eadem narratione: *inclinato die spatiabatur in porticu.*

II, 22, 1. *Interea Romæ nullis palam neque cognitis mox caussis*] Nicolaus Heinsius legebat: *noxæ caussis.* id est criminis. Suetonius Tib. cap. 33. *judices legum & religionis, & noxæ de qua cognoscerent, admonebat.* Confirmat aliquatenus Reg. in quo: *uox causis.*

nam postquam tormentis dilaniabatur, de se novi .... conscios non edidit, incertum an occultans] Ita malui edere locum hunc ex Cod. Farnes. quam: *de se Nouius ...... conscios n. e.* ut editum hactenus. Quoniam illud *Novius* manifeste vitiosum, & in Flor. *de se noni .... conscios.* Cod. meus sine suspicione defectus: *de se confessus conscios non edidit.* Unde sagacissimus Heinsius Florentini Farnesianique Codicum lacunam sic explebat: *de se novissime confessus conscios non edidit.*

II, 22, 5. *creatique primum Valerius Potitus & Æmilius Mamercus LXIII. anno post Tarquinios exactos*] Livius lib. II. cap. 41. scribit Cæsonem Fabium & *L. Valerium* (qui *Potitus* cognominatus) *Quæstores* sub Consulatu Serv. Cornelii & Q. Fabii a. 269. diem dixisse Sp. Cassio eumque damnasse, ac propterea ambos in sequentem annum Consules designatos: idemque tradit Dionysius lib. VIII Hæc autem prima mentio *Quæstorum* apud hos historicos occurrens anno XXIII, non LXIII
post

post Tarquinios exactos. Ut taceam non convenire huic anno alterum *Quæstorem Æmilium Mamercum*. Verum adhuc gravius pugnat Auctor cum Plutarcho. Hic enim P. Valerium Poplicolam in primo Consulatu a. 245. populo concessisse, ut *Quæstores* duos creare possent, creatosque primos P. Veturium, M. Minucium scribit in ejus vita.

II, 23, I. *A. Vitellio L. Vipsanio Consulibus*] *A. Vitellius* idem est, qui postea imperavit. Pro *L. Vipsanio* Cod. Flor. habet *L. Vipsana*. Meus: *L. Vipsano*. Reg. *L. Vespasiano*. ex qua scripturæ diversitate suspicio de mendo in hoc nomine commisso confirmatur. Nam Rupertus * Epistola ad Reinesium putat *L. Vipstano* legendum; quem facit fratrem *C. Vipstani Aproniani*, qui Consul cum C. Fontejo Capitone, a. 812. Vide ad 14, I, I. * Reines. Ep. 48.

II, 23, 4. *Quid si memoria eorum moriretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorumdem * per se satis*] Locus mendosissimus: & in quo nihil mutavi nisi *per se satis* pro *prostratis*, quod erat in prioribus Editionibus, quoniam videbam ita omnes scriptos codices, quorum mentio fit ab Interpretibus habere, tum etiam Meum, qui sic exhibet: *moreretur, qui Capitolio & ara Romana manubiis eorundem per se satis*. Unde Nicolaus Heinsius exsculpebat: *Quid si memoria eorum* (Senonum) *renovaretur, quîs Capitolio & arce Romana manubias deorum pensastis*. Reg. *memoratur* (m. s. *memoretur*) *qui capitolio & ara romana manibus eorundem per se satis*.

II, 24, 3. *Coruncanios Camerio*] Dissentit Cicero, qui *Tusculanos* facit, pro Plancio cap. 8. quem locum Pighius frustra mutilum pronuntiat ex non animadversa prolepsi.

ut non modo singuli viritim sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent] MSS. Flor. & Meus: *terræ gentes*. sine copulativa. Unde Nicolaus Heinsius tentabat: *sed integræ gentes*. Reg. *certæ gentes*.

II, 24, 8. *nunquam adversam nobis aciem struxere*] Flor. & Reg. *aciem instruxere*.

II, 25, 3. *peteretque jus exuendi ordinis*] Ante hic edebatur *exeundi*, quod cum solœcum jam olim Lipsio visum fuerit, non dubitavi transposita tantum literula mutare in *exuendi*. quod Tacito fami-

miliare. H. 2, 86, 6. *Cornelius Fuscus vigens ætate, claris natalibus, prima juventa, quietis cupidine senatorium ordinem exuerat.*

11, 25, 5. *Ob ea Vipsanius Consul retulit*] Cod. meus: *Vipsanus.* Reg. *Vespasianus.* sed videtur scribendum, *Vipstanus*, ut ante monuimus.

11, 25, 6. *condiditque lustrum, quo censa sunt civium* LXIX *centena & XLIV millia*] Flor. *civium* LXVIIII. LXXXIIII. LXXII. *isque illi finis.* Meus: *civium* LVIII. LXXXIIII. LXXII. *isque illi finis.* Eusebius ad vulgatam lectionem accedit propius: *Descriptione Romæ facta sub Claudio, inventa sunt civium Romanorum* LXVIII *centena* XLIV *millia.* Cassiodorus in Chron. ad sextum Claudii annum apud Cuspinianum. *His Coss. descriptio Romæ facta est, & inventa sunt civium Romanorum sexaginta novem centena millia. & Thracia huc usque regnata, in provinciam Romanorum redigitur.* in Ed. Fornerii: *His Coss. descriptio Romæ facta est & inventa sunt civium Romanorum centena millia &* XLIV. *Thracia huc usque* &c. Ex quarum collatione patet Cassiodorum exacte expressisse numerum in vulgatis apud Tacitum occurrentem.

11, 26, 2. *flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum*] Nicolaus Heinsius legebat: *flagitii manifestis.* Sic 2, 85, 3. *delicti manifesta.* 13, 26, 5. *criminum manifesti.* quod valde verisimile, quoniam ante dixit, *insontibus innoxia consilia.*

11, 26, 5. *Ostiam proficisceretur*] Ita scripsimus semper apud nostrum pro *Hostiam.* Quoniam nummi, & Inscriptiones pleræque apud Gruterum sic scribunt, & Dionysius Ὤστιαν vertit.

11, 27, 1. *Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse* &c.] Sæpe sum miratus fugisse Taciti diligentiam præcipuam ad nuptias hasce pertinentem circumstantiam, quæ nobis conservata a Suetonio in Claud. cap. 29. videlicet ipsum Claudium consensisse nuptiis hisce, sic ut tabellas dotis & ipse consignaverit, inductum videlicet a Messallina, quasi de industria simularentur ad avertendum transferendumque periculum; quod imminere Messallinæ marito per quædam ostenta portenderetur. Nam posita

hac

hac circumstantia non tam incredibilis redditur Messallinæ audacia, ut propterea opus fuerit interponere tam gravem fidei & veritatis affirmationem, quæ tamen illa sublata plane requiritur. Quemadmodum autem Claudio persuaderi necessitas potuit harum nuptiarum ex metu injecto, ita Messallinæ in illis abstinentia forte promissa & credita ab eodem est. Quæ non minus impossibilis videri poterat in fictis hisce nuptiis, quam in veris aliquot matrimoniis intervenisse ab historicis proditur: ut Marciani & Pulcheriæ, Henrici II. & Cunegundis, Odoardi Regis Anglorum & Edithæ, Guelfi & Mathildis.

11, 27, 3. *verum audita scriptaque senioribus tradam*] Amicus legebat, *audita adsertaque.*

11, 28, 2. *Dum histrio cubiculum Principis exsultaverit*] Ed. Rom. item Rhenani: *dum industria cubiculum Principis occulit adulteros: dedecus.* MS. meus: *dum inservit cubiculum Principis adulterio, dedecus.* In quibus nihil sani. Flor. & Reg. *Dum histrio* (Reg. *instruo*) *cubiculum Principis exultavero, dedecus.* Quam lectionem Pichena mutato τῷ *exultavero* in *persultaverit*, de conjectura Francisci Medicis primus repræsentavit. Post hunc I. F. Gronovius docuit *exsultare* hic poni pro *infamare*, *inhonestare*, *commaculare*, plane ut ἐξορχεῖσθαι apud Græcos, & propterea leviore a Cod. Flor. lectione recessu scripsit, *exsultaverit.* Quod secutus sum. Utrumque enim verbum de histrionibus proprie dicitur. Festus: *redantuare, dicitur in Saliorum exultationibus.*

sed exscidium procul abfuisse] Cod. Flor. *Sed & scidium.* Unde patet *exscidium* ab Auctore fuisse scriptum, quod cum sit ab *exscindo*, multo fortius quam *exitium*, quod præfert Cod. meus. Reg. *excidium.*

vi mentis] Sic *vi corporis* 12, 44, 3.

11, 29, 1. *Callistus jam circa necem Cæsaris narratus*] Adsentior omnino Faërno, Ursino atque Freinshemio scribentibus *C. Cæsaris. Callistus* vero est *C. Iulius Callistus* cui Scribonius Largus Medicas Compositiones inscripsit.

11, 29, 3. *Perstitit Narcissus, solum id immutans*] Ita edidit Rhenanus, Beroaldus interjecta copula *& solum.* Lipsius & Pichena Rhenanum, Freins-

he-

hemius & I. F. Gronovius Beroaldum secuti sunt. Fatendum tamen supervacaneam esse hic copulantem particulam, nec invenitur in MS. meo, qui habet: *Narcissus, solum id inputans.* Unde amicus faciebat: *solum id evitans.* Quare simul cum Rhenano expunximus. Reg. *ut solum id mutans.*

11, 30, 2. *quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset*] Cod. Flor. *quod ei cis u&clicis plaucio dissimulavisset.* Meus: *quod Cicios, Vectios, Plautios dissimulavisset.* Quæ lectio cum nihil habeat difficultatis, vulgatæ forte & eruditorum in ea conjecturis explicationibusque præferenda est. Nisi quod *Cicii* minus cogniti, unde Nicolaus Heinsius reformabat, *quod Cincios, Vectios* &c. Numero plurium nomina horum adulterorum a Tacito elata verisimile facit ipsius consuetudo. Vide 1, 10, 6. 11, 24, 3. 12, 60, 5. &c.

11, 30, 3. *an discidium tuum nosti*] Sic edidimus pro *dissidium* propter rationes allegatas 2, 86, 3. quibus nunc addimus, quod Cod. meus, sic exhibet.

11, 31, 3. *Satis constat eo pavore offusum Claudium*] Cod. meus: *eo pavoris effusum.* Unde amicus, *eo pavore suffusum.*

11, 31, 4. *& feminæ pellibus accinctæ adsultabant*] Cod. Oxon. pro *pellibus* habet *nebridibus.* & paullo post *crine fuso* pro *fluxo.*

11, 32, 1. *Messallina Lucullanos in hortos*] Beroaldus, Rhenanus, Lipsius Pichena edidere *Lucullianos.* Freinshemius, I. F. Gronovius *Lucillianos.* Cod. Flor. *fucilianos.* Reg. & Meus: *Lucilianos.* Bud. *Fultianos.* Verum decidit controversiam Ioannes Antiochenus docendo Messallinam in Asiatici hortis, (quos a *Lucullo cœptos* noster tradit 11, 1, 1.) tunc commoratam, apud Constantinum Porphyrogennetum: Ἐνταῦθα καταμηνυθεῖσα τῷ Κλαυδίῳ πρὸς Ναρκίσσου τινὸς ἀπελευθέρου τοῦ βασιλέως ἀναιρεῖται, τῶν μὲν βασιλείων ἐξωθεῖσα, περὶ δὲ τοὺς Ἀσιατικοῦ κήπους πλανωμένη, ὧν ἕνεκα τὸν δείχαιον Ἀσιατικὸν μικρῷ πρόσθεν ἀπολώλεκε. *Tum vero delata a Narcisso Claudii liberto pœnas capite dedit, cum ex palatio profuga, circa Asiatici hortos vagaretur, quorum caussa olim ipsa Asiaticum perverterat.* Et hinc Plutarchus *hortos Lucullianos* in patrimonio Principis

pis ponit in Lucullo: Ὅπου καὶ νῦν ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. *Quando vel hac aetate ita gliscente luxu horti Luculliani inter Principis sumptuosissimos habentur.* Sextus Rufus & Aurelius Victor ponunt hos hortos in colle Hortulorum sive Regione IX, quae Circus Flaminius. Utrique *horti Lucullani* dicuntur. Unde potius sic scripsimus, quam *Luculliani.* Haec enim analogia videtur observata temporibus Reipub. ut patet in *Pompejanus*, *Lepidanus*, *Augustanus.* Hinc apud Suetonium Tib. cap. 73. *Villa Lucullana.* in Cod. Salm. apud Frontinum lib. I. de Aquae duct. saepius, *horti Lucullani.* Non videtur tamen constanter aut semper observata haec analogiae ratio, ut patet in *Varianus*, *Drusianus*, *Silanianus*, *Orfitianus*, *Epaphroditianus*, similibusque. Unde forte apud Plutarchum, cui Λουκουλλιανοὶ κῆποι, nihil est corrigendum. Ita qui Tacito 14, 15, 5. *Augustani*, Suetonio Ner. cap. 25. *Augustiani.*

11, 32, 3. *quamquam res adversae consilium adimerent*] Cod. Flor. & Meus: *eximerent.* quod non spernendum.

11, 32, 4. *Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere*] Cod. Meus: *adiret.* &, *expeteret.*

11, 32, 5. *spatium Urbis pedibus emensa*] Totam Urbis longitudinem a colle Hortulorum, in quo horti Lucullani ad portam Ostiensem.

Vehiculo quo purgamenta hortorum eripiuntur] MS. Reg. *expuuntur.* an voluit *exportantur.*

11, 33, 3. *Ac ne, dum in Urbem vehitur, ad poenitentiam a L. Vitellio, P. Largo Caecina mutaretur*] *C. Licinius Caecina Largus* Consul fuit cum Claudio a. 795. tam favorabilis, ut Consulatus ei contra istius temporis consuetudinem prorogatus fuerit. Unde suspicor eum hic intelligi & pro P. scribendum C. Γάϊος enim Λάργος appellatur & in Indice Coss. apud Dionem & a Dione ipso lib. LX. Lipsius existimat hunc *Publium Caji* esse fratrem, *Cajumque* in Consulatu interfectum asseverat. Sed primo frater iste *Caji* nusquam, quod sciam, occurrit, deinde falsum *Cajum* in Consulatu interfectum. Asconius Pae-

dianus in Orat. pro Scauro: *Poßidet eam* (Scauri domum) *nunc Largus* (vulgo *Longus* male) *Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio.* Si enim hanc domum post Consulatum adhuc possidebat *Cæcina*, non fuit in Consulatu interfectus. Deceptus videtur vir doctus eo, quod *Cæcina Pætus* Legatus Camilli Scriboniani hoc anno, aut superioris fine sit interfectus, tamquam conjurationis Camillanæ socius: sed is diversus a Consule. Quare non muto sententiam.

in eodem gestamine sedem poscit, sumitque] Lipsius explicat: in eadem sella gestatoria, quæ diversa a lectica, quod in ea jacerent portati, cum in hac sederent: putatque idem, quod *gestamen sellæ* 14, 4, 4. 15, 57, 2. & *gestatoria sella* Suetonio Ner. cap. 26. Vit. cap. 16. Sed mihi hæc explicatio non satisfacit, existimoque potius per *gestamen* hic intelligendum vehiculum aut carpentum: primo propter quatuor loca, quæ vix in sella ab hominibus portari solita dari possunt; dein propter tempus brevius huic itineri impensum, quam ut ab hominibus portari potuerit sella quatuor hominibus onusta, denique quoniam de hoc *gestamine* usurpatur vox *vehitur*. nam loca parallela non juvant, quoniam in illis ad distinctionem voci *gestamen sellæ* additur. Errat igitur Lipsius. Savilius recte *chariot* vertit.

11, 36, 3. *Ne Trauli quidem Montani*] Apud Senecam Apocol. dicitur *Sex. Trallus.*

11, 37, 1. *Interim Messallina Lucullanis in hortis*] Codd. scripti hic æque corrupti ac 11, 32, 1. emendavimus ut ante.

11, 37, 4. *custos & exactor e libertis Euodus datus*] Forte scribendum *Euhodus.* uti in Inscript. apud Gruterum: EVHODI DIVI AVG. L. & in alia, EVHODIA. Idem enim videtur nomen *Euodus* & *Euodius*: quomodo appellatus Præfectus prætorio Maximi.


aßidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus neceßitatibus ad miserationem evicta erat] Laborant Interpretes in *Lepidæ* hujus domo investiganda. Lipsius se rem acu tetigisse putat, dum eam *Domitiam Lepidam*, L. Domitii & Antoniæ majoris filiam, Neronis Imperatoris facit amitam: hanc vero secundis nuptiis uxorem fa-

ctam

etiam fingit Valerii Messallæ, atque ex hoc matrimonio Valeriam Messallinam proseminatam. Verum hæc sententia haudquaquam verisimilis est: primo propter ætatem, quæ Domitiæ Lepidæ assignatur 11, 64, 5. non multum ab Agrippinæ Neronis matris distans: secundo propter vitæ turpitudinem, quæ ibidem illi tribuitur. Neutra enim huic *Lepidæ*, quæ Messallinæ mater, convenit: quippe quæ multo grandior natu quam Agrippina, cum pepererit Messallinam; nec libidinum suspecta, cum *florenti filiæ*, propter has, *haud concors*. Quare potius existimo *Lepidam* hanc fuisse *Æmiliam*, filiam M. Lepidi, de quo 1, 13, 2. &c. Hic enim habuit filiam nubilem a. 774 cujus nomine inter alias caussas Proconsulatum Africæ excusavit 3, 35, 2. Hanc existimo primo matrimonio uxorem datam M. Valerii Messallæ Barbati, qui Consul cum P. Sulpitio Quirino a. 742, filio, e quo matrimonio nata Valeria Messallina. Hujus soror Æmilia Lepida, quæ juveni Druso nupta, fuisse videtur, uti docemus ad 6, 40, 4. Suetonius Claud. cap. 26. hujus patrem vocat Claudii *consobrinum:* unde sequitur Antoniam majorem, post L. Domitii mortem transivisse ad matrimonium Messallæ Barbati, qui Consul a. 742. atque ex illo peperisse Messallinæ patrem, qui per consequens Claudii, qui ex Druso & altera Antonia natus, fuit consobrinus. Marcellus Donatus ad Taciti 12, 64, 5. dicit se binas *Lepidas* apud Suetonium observare, alteram Germanici sororem, patris Agrippinæ, natam ex Druso & Antonia juniore, Calig. c. 1. alteram ex Cn. Domitio, Neronis avo & Antonia majore genitam, sororemque Domitii, Neronis patris, & Agrippinæ viri, quam incestasse eumdem Domitium tradit Suetonius Ner. cap. 5. In quo mirifice eum fugit ratio: nusquam enim apud Suetonium prior ista *Lepida*, quæ Germanici soror occurrit, immo clare hic contrarium prodit, quando Claud. cap. 1. *Drusus ex Antonia minore complures quidem liberos tulit: verum tres omnino reliquit Germanicum, Livillam, Claudium.* Postea secundis votis *Lepidæ* hæc conciliante nuptias Claudio maritum sortita C. Appium Silanum, quem Messallina adjuta ab

Narcisso interemit propter turpissimam caussam, teste Dione lib. LX. Hunc Appium Silanum *consocerum* Claudii Suetonius vocat Claud. cap. 29. quoniam hujus filius *L. Silanus* Octaviæ, Claudii filiæ, desponsatus aliquantisper fuit. Quam affinitatem Claudius ex instigatione Agrippinæ, in filii ejus gratiam, deinceps diremit. Vide infra 12, 4, 4. Sic igitur stemma Messallinæ constituendum puto:

M. Va-


M. Valerius Messalla Barbatus Cos. a. 742.
Antonia major L. Domitio prius nupta.
Antonia minor
Nero Claudius Drusus.
Germanicus, Claudius, Livilla.
Valerius Messalla Barbatus,
Æmilia Lepida.
C. Appius Silanus Æmiliæ Lepidæ ante maritus. De quorum liberis vide ad 12, 3, 3.
Valeria Messallina
Claudius Imp.
Britannicus, Octavia.

11, 37, 5. *cum impetu venientium pulsæ fores*] Amicus malebat: *irruentium impulsæ fores.*

11, 38, 3. *Invitque oblivionem ejus Senatus, censendo* nomen & effigies privatis & publicis locis demovendas] Testatur Inscriptio sequens Romæ adhuc exstans & a Grutero excepta:

PRO SALVTE
TI. CLAVDI CAESARIS GERMANICI PONT.
(MAX. TR. POT. VII. COS. IIII.
IMP. XV. PP. CENSORIS .... LI-
(BERORVMQVE ....
EX VOTO SVSCEPTO C. IVLIVS SEX. F. COR.
(POSTVMVS PRAEF. AEGYPTI
TI. CLAVDI CAESARIS GERMANICI EXAVRI
(P. XVI.

11, 38, 4. *decreta Narcisso* quæstoria insignia, *levißimum fastigii ejus cum super Pallantem & Callistum ageret*] Omnes Editiones hactenus hic exhibuerunt: *cum secundum Pallantem & Callistum ageret*: nec ulli Interpretum locus hic de mendo suspectus hucusque fuit. Nihilominus *Narcißi* potentia revera nunc major fuit quam *Pallantis* aut *Callisti*, propter susceptam in se solum cædis Messallinæ exsecutionem: unde 11, 29, 2. *desistunt, Pallas per ignaviam; Callistus prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis quam acrioribus consiliis tutius haberi. Perstitit Narcissus.* & 35, 1. de Narcisso: *omnia liberto obediebant.* Non agebat igitur *secundum*, id est post Pallantem & Callistum *Narcissus*, sed hos auctoritate atque potentia aulica tunc temporis præcedebat. Quare non dubitavi cum in MS. Flor. viderem legi, *cum super Pallantem & Callistum a.* hanc verissimam lectionem Tacito restituere. Fugit hæc ut nonnullæ aliæ optimi Pichenæ diligentiam, dubio procul quod vox *super* nota expressa non perscripta hoc modo ſ̃. Hæc autem nota cum sæpius occurrat, ut h. l. 28, 2. in vocabulo *superesset.* 12, 9, 2. H. 1, 51, 5. ibique non fugerit Pichenam hujus intellectus, mirum hic non fuisse attentiorem. Erratum & in hoc ante Rhena-

num

rium H. 4, 53, 4. Idem autem Flor. Cod. pro *fastigii* quomodo MSS. Reg. & Meus tum Edd. habet *fastidii*. Quod etiamsi *Narcisso*, tamquam libertorum potentium vitiis obnoxio quadrare possit videri, a Tacito tamen esse non inducor ut credam. Quoniam hic *Narcissum* laudat propter rem praeclare gestam in punienda Messallinae turpitudine, tum ita totam hinc historiam describit, modosque, quibus hoc negotium tractavit *Narcissus*, sic repraesentat, ut clare appareat eum potius admiratum hujus prudentiam, dexteritatem, & in exsequendo toto hoc negotio constantiam, quam ullo modo sugillare voluisse statum ipsius conditionem. *Levissimum* autem *fastigii ejus* dicuntur *quaestoria insignia* a Senatu ipsi decreta, ut decretus Pomponio triumphalis honos 12, 28, 2. *modica pars famae ejus apud posteros.*

Honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis] Hic locus quoniam male distinctus erat in omnibus Edd. non intellectus est Interpretibus. Putarunt enim fere omnes, *honesta* respicere *quaestoria insignia*, diversimode tamen explicantes: alii, *atque erant illa quidem decora insignia, per quae tamen deterrima faciendi facultatem Narcissus haberet, quia flagitia propter dignitatem vel* inulta *erant vel* multa; pro diversa lectione: alii, honesta *scilicet, ut libertis nihil amplius tribueretur, quam quaestoria insignia, ironice intelligendum* putant, *propter corruptionem temporum, quibus valde liberti pollebant. Sed cum eorum flagitia Princeps inulta relinqueret, deterrima inde orta, cum ii quotidie in majora flagitia prolaberentur.* Sed

Non tali auxilio nec defensoribus istis

sanus sensus ex his verbis exsculpitur. Mihi Tacitus brevi hoc epiphonemate sententiam suam super Messallinae caede a *Narcisso* perpetrata proferre voluisse videtur: cujus sensus, neminem adulterae hujus necem accusare debere, quoniam suo merito poenis adfecta. Interim dissimulari non posse, ex hac caede, tamquam malorum fonte multa & magna scelera profluxisse, quae nunquam punita fuerint. Messallina enim viva, nunquam locum incestis nuptiis factum, nunquam venefi-

cio Britannici, nunquam tot sceleribus, quibus Nero orbem terrarum infestarit. Separanda igitur distinctionis majoris nota hæc verba a præcedenti periodo.

AD

AD ANNALIVM
LIBRVM XII.

12, 1, 1. *quis deligeret uxorem Claudio cælibis vitæ intoleranti*] Edd. antiquæ habent: *cælibi vitæ intonanti.* Quod defendere conantur Lipsius & Salinerius, sed infeliciter. *Intonare* enim est cum ira invehere, quod haudquaquam Claudio convenit, pluribus pellicibus insueto. Præterea scripti Codd. variant: Flor. & Reg. *cælibis vitæ intonanti.* Meus: *cælibis vitæ insolenti.* quod etsi sit optimum, præferre tamen receptæ semel a Pichena lectioni non placuit, qua pro *intonanti* edi curavit *intoleranti.* quod jam olim Mureto arrisit, & Tacito sæpe usurpatur. 1, 31, 4. 2, 75, 1.

12, 1, 3. *inter Lolliam Paullinam, M. Lollii Consularis filiam*] Hæc per breve admodum tempus fuerat in matrimonio C. Caligulæ, ante vero nupta Memmio Regulo, 12, 22, 2. Suetonius Cal. cap. 25. filia M. Lollii Paullini, cujus Consulatus non reperitur, neptis M. Lollii Paullini, qui Consul a. 733. & deinceps rector Cajo Cæsari in Orientem ab Augusto additus. De hujus immensis divitiis Plinius testatur, qui illam vidit, lib. IX. cap. 35. & noster 12, 22, 3.

Ælia Petina e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur] Hanc juveni Claudio uxorem cessisse patet ex Antoniæ ex hac susceptæ ætate, quæ sub Principatus exordium nepotem ipsi peperit. Suetonius Claud. cap. 12.

12, 1, 4. *discordantes in consilium vocat*] Vulgata hactenus lectio habuit *concilium.* Quod Grotius recte monuit privatæ deliberationi non convenire. Cum vero hujus judicium auctoritate MS. mei, in quo, *consilium* exserte exstat, (cui & Regium accedere vidi postea:) fulciri viderem, non dubitavi sic rescribere.

12, 2, 1. *familiam communem* (nam Antonia ex Petina erat)] Muretus legit, *filiam communem.* Quod sequor.

haudquaquam novercalibus odiis usura in Britannicum & Octaviam] Reg. & Meus: *visura Britannicum.* Unde Nicolaus Heinsius faciebat: *ursura Britannicum.* Sic 13, 15, 4. *urgentibus Agrippinæ minis.*

12, 2, 2. *improbatam longo discidio*] Sic dedimus pro *dissidio.* ut jam sæpe. & sic quoque habent MSS. Reg. & Meus.

12, 2, 3. *dignum prorsus imperatoria fortuna, stirpem nobilem & familiæ Claudiæ quæ posteros conjungeret*] Valde sudant in loci hujus constitutione Interpretes. In Cod. meo a prima manu est, *dignam prorsus i. f.* scilicet Agrippinam: quod vehementer placet. Intempestive enim Pallas hoc de Nerone dixisset: neque enim tum vel per somnium cogitabat adhuc Claudius de Domitii adoptione. Reliqua verba ita legebat Nicolaus Heinsius: *stirpe nobilem* (Nerone Agrippinam) *& familiæ Juliæ Claudiæque posteros conjungere.* hoc est conjuncturam. Freinshemius sic ferme praiverat. Sed quominus additio de familia *Julia* placeat Æmiliæ Lepidæ faciunt liberi, Augusti abnepotes, tum adhuc superstites, item Rubellius Plautus Livia Drusi filia prognatus. Unde potius vulgata lectio in posterioribus verbis retinenda, legendusque totus locus: *Dignam prorsus imperatoria fortuna, stirpe nobilem, & familiæ Claudiæ quæ posteros conjungeret.* Cum enim Agrippina per patrem esset naturaliter ex gente Claudia, & ex hac nulla amplius superesset quam Claudii Imperatoris domus, non absurde Agrippinæ matrimonium *familiæ Claudiæ posteros conjuncturum* dicitur.

ne femina expertæ fecunditatis] Edd. hactenus, *experta.* Quod Latinum quidem, ut *expertus belli:* sed respicit proprie experientiam, quam aliquis ipse habet rei alicujus. Hic vero de experientia, quam alii habebant de Agrippinæ fecunditate, sermo est. Unde recte Muretus & Pichena judicarunt scribendum, *expertæ fecunditatis.* quod cum viderem auctoritate Cod. mei approbari, recipere non dubitavi.

claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret] Amicus malebat: *inferret.*

12, 3, 3. *L. Silano desponderat Octaviam Cæsar,* juve-

juvenemque & alia clarum, insigni triumphalium & gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi] Suetonius Claud. cap. 24. *Triumphalia ornamenta Silano filiæ suæ sponso nondum puberi dedit.* & cap. 27. *Octaviam Neroni privigno suo collocavit Silano ante desponsatam.* & cap. 29. *Ap. Silanum consocerum suum, Iuliasque alterum Drusi, alteram Germanici filiam crimine incerto, nec defensione ulla occidit. Item Cn. Pompejum, majoris filiæ virum & L. Silanum minoris sponsum. Ex quibus Pompejus in concubitu dilecti adolescentuli confossus est. Silanus abdicare se Prætura ante quartum Kalendas Ianuarias, morique initio anni coactus est, die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum.* Hunc Tacitus *juvenem & alia clarum* vocat, quoniam Augusti erat abnepos, natus Æmilia Lepida & C. App. Iunio Silano. Seneca in Apocol. ex persona Augusti: *Iste quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame: unum abnepotem L. Silanum.* Quo autem melius hæc conjunctio intelligatur subjicio hic Iuliæ neptis posteros.

Iulia neptis Augusti. — L. Æmilius Paullus.

Æmilia Lepida proneptis Augusti. — C. App. Iunius Silanus Cos. a. 781.

- M. Iunius Silanus abnepos Augusti.
  - L. Iunius Silanus atnepos Augusti.
- L. Iunius Silanus abnepos Augusti.
- D. Iunius Silanus Torquatus abnepos Augusti, Cos. a. 806.
- Iunia Calvina abneptis Augusti.
- Iunia Lepida C. Cassii uxor, abneptis Augusti.

Insigni autem *triumphalium* non debet offendere, quoniam construitur cum *magnificentia*. quod cum Acidalius non observasset, hic molestus est: Boxhornius ad 12, 41, 3. quærit cur minus dicere liceat *triumphalium vestem*, quam *triumphalium insigne*; quasi sic dixisset.

12, 4, 1. *Junia Calvina haud multum ante Vitellii nurus*] Alteri filiorum ejus nupta, L. Vitellio, qui hoc anno Consul suffectus teste Suetonio Vitell. cap. 3. Nam ne Auli, qui postea imperavit, suspicemur facit Suetonii silentium.

12, 4, 2. *fratrumque non incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit*] Cod. meus: *fraternumque*.

12, 4, 5. *& reliquus Præturæ dies in Eprium Marcellum collatus est*] Suetonius Claud. cap. 29. abdicationem dicit factam *ante quartum Kalendas Ianuarias*: juxta quod duo dies erant reliqui.

12, 5, 1. *C. Pompejo Q. Veranio Coss.*] Hic *C. Pompejus* a Frontino de Aquæd. appellatur *Longinus*, a Solino *Gallus*: unde recte a Pighio colligitur ejus nomen, *C. Pompejus Longinus Gallus*. Videtur ex nepotibus *Sex. Pompeji*, qui Consul a. 767. & cognomina habuisse ex Cassia & Asinia gentibus, quoniam ex iis mater & avia. *Q. Veranius* videtur esse idem, qui a. 771. Cappadociæ a Germanico præpositus, 2, 56, 4. & deinceps Britanniæ præfectus, 14, 29, 1. intraque annum ibi exstinctus, A. 14, 4. magna dum viveret severitatis fama. Unde verisimile huic Strategicum ab Onosandro inscriptum: certe Κόϊντ@ Οὐηράνι@ is dicitur. Hujus forte filia *Verania* Pisonis uxor, a Galba adoptati. H. 1, 47, 2. Meminit *Q. Veranii Pharnacis* servi Inscriptio vetus apud Gruterum. Unde videtur *Veranius* scribendum, non *Verannius*.

12, 5, 3. *unum se civium, & consensui imparem*] Cod. meus: *unum se & civium consensui imparem*. Quod magis placet. Etsi enim Princeps sub genere *civium* comprehendatur, non tamen est *unus civium*: nisi forte sic dixit Claudius. Nicolaus Heinsius, *unum se tot civium consensui imparem*. veram scripturam opinabatur.

12, 5, 4. *summamque Rempub. agi obtestans*] Ita edi-

edidi ex Flor. in quo hoc loco: *summamque R̄. P. agi obtestans.* infra vero 16, 28, 1. *summam rēp. agi.* Et ita voluit hic ante Lipsius; & sic loquebantur, uti docet I. F. Gronovius ad Livium lib. XXXVIII. cap. 50.

12, 6, 3. *statueretur immo documentum, quo uxorem Imperator acciperet*] Ita Reg. & Meus: sine ulla lacunæ suspicione, quam quatuor aut quinque literarum post τὸ *Imperator* hærere in Cod. Flor. testatur Pichena. Qui tamen vulgatam utcumque tolerari posse putat, hujusque sententiæ approbatorem habet Freinshemium. Sed cum *documentum* proprie sit exemplum vel præceptum ad imitandum, non videtur vulgata lectio stare posse. neque enim hoc matrimonium ipsi, qui primum illud contraxit exemplo esse potuit, sed aliis post hunc Principibus, uxores quæsituris futurum erat. Unde cum Lipsio pro, *quo*, existimo *quomodo* rescribendum: in quam sententiam jam ante commeavit I. F. Gronovius.

12, 6, 4. *& sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse*] Ita Flor. Reg. & Meus concorditer. Tamen *sobrini* proprie consobrinorum liberi, l. 3. D. de Grad. & Affin. & sic pariter apud alios auctores: qui hic ponuntur pro consobrinis. Quod autem harum conjugia diu ait ignorata, sobrie intelligendum. Dionysius enim Halicarnassensis lib. IV. scribit Servium Tullium duas filias collocasse τοῖς ἀδελφιδοῖς τ̄ μνηστῆρσι. id est *consobrinis suis.* Forte autem exinde prohibitæ hæ nuptiæ, & post iterum concessæ: ut rursus prohibitæ a Theodosio Magno, & post iterum concessæ: & rursus post Iustiniani tempora prohibitæ tam in Oriente per Imperatores quam in Occidente per Pontifices.

12, 7, 3. *T. Alledius Severus*] Edd. ante Pichenam & MS. Reg. *Talledius.* Meus: *Telledius.* Lipsius emendavit *T. Alledius.* quod cum receperit Pichena, nolui rursum ejicere. Forte etiam vera lectio.

12, 8, 2. *sacra ex legibus Tulli Regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda*] Lipsius eadem *sacra* existimat, quæ jussu Tulli Hostilii ad expiandam necem sororiam facta, apud Livium lib. I. cap. 26. & Dionysium lib. III. Sed quemadmodum magna differentia inter necem sororis & incestum,

cestum, ita diversa pariter sacra ad criminum horum expiationem adhibita videntur.

12, 8, 3. *consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur*] Reg. & Meus: *uteretur*.

12, 9, 1. *sed designatum Consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt*] Intellige designatum in hujus anni partem, juxta Inscriptionem apud Pighium:

L. RASIVS. L. L
POLYBIVS
PORTICVM. DEDIC.
X. KAL. IVN.
L. MEMMIO POLLIONE
Q. ALLIO MAXIMO COSS.

Apud Gruterum, ubi eadem refertur, scribitur, MAMMIO. errore sculptoris an librarii, nescio.

12, 10, 2. *sed filium Vononis, nepotem Prahatis, accedere adversus dominationem Gotarzis*] Ante hic edebatur, *accersere adversus d. G.* Sed cum Rhenanus jam olim monuerit in Bud. Cod. rectius legi, *accedere*. quoniam *defectioni* eleganter *accessus* opponitur. atque ita pariter sit in Flor. & Reg. non dubitavi ut genuinam, lectionem hanc auctori suo restituere. Amat enim sic loqui, 2, 58, 1. *daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet*. 12, 31, 2. *quia societatem nostram volentes accesserant*. 12, 33, 3. *si qua clementer accedi poterant*.

12, 10, 3. *bellis infaustus*] MS. meus: *bellique infaustus*. quod Modius hinc ab Agricola enotatum Lipsio laudaverat: cui id placet & ea forma dictum videtur, qua *militiæ clarus*.

12, 11, 2. *quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret*] Pro quanto magis ignara: *toleratiora* egregie explicat I. F. Gronovius lib. I. Observ. cap. 14.

12, 11, 3. extollit laudibus *alumnum Urbis, spectatæ ad id modestiæ*] Amicus malebat, *Urbi*. nescio quare: similiter enim 1, 44, 1. *legionum alumnus*.

12, 12, 1. *Ea tempestate Cassius ceteros præminebat peritia legum*] Vide quæ de hoc notavimus ad 6, 15, 1.

12, 12, 3. *rexque Arabum Abgarus*] Ante hic scri-

scribebatur *Abbarus*. Flor. & Reg. *Acharus*. Meus: *Aebarus*. hic & postea. Et videtur nominis hujus scriptura domestica fuisse *Acbarus*. Græcorum vero Romanorumque *Abgarus*. Ἄϐγαρος enim scribitur in Epitaphio Romæ apud D. Pauli basilicam ante aliquot annos eruto, apud Sirmondum in Notis ad Sidonium: ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑCΙΛΕΥC in veteri nummo apud Tristanum Tom. I. quare sic rescripsi. Scripturam hanc pluribus adstruit Ezechiel Spanhemius V. A.

12, 12, 5. *quia hiems occipiebat*] Reg. & Meus: *occupabat*.

12, 13, 1. *campis propinquabant*] Flor. Reg. & Meus: *campos propinquabant*.

12, 13, 3. *Sed capta in transitu urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ*] In transitu, scilicet Tigridis, in cujus orientali latere *Ninus* jacuit, circa confluentes Tigridis & Lyci. Vide Bochartum lib. IV. Phaleg, cap. 20. Verum hæc a Cyaxare & Nabuchodonosore ita extincta est, ut quo loco posita fuisset, si Straboni & Luciano credimus, non appareret. Idque sic prædictum a propheta Nahumo. Hinc minus accurate, quam solet, Auctorem hic egisse docti aliquot viri pronuntiant. Tamen Ammianus lib. XXIII. cap. 6. *In hac Adiabena Ninus est civitas, quæ olim Persidis regna possederat, nomen Nini potentissimi quondam regis Semiramidis mariti declarans, & Ecbatana & Arbela & Gaugamela, ubi Darium Alexander post discrimina varia præliorum incitato Marte prostravit.* Meminerunt ejusdem idem Ammianus lib. XVIII. Paullus Diaconus, Benjamin Tudelensis, Haiton Armenus, alii. Quando autem hæc resurrexerit, & an eodem, quo prior, loco non invenio traditum. Unde nihil temere de Tacito pronuntiandum.

& Arbela castellum insigne fama, quod postremo &c.] Ante hic legebatur: *Assyriæ, castellum insigne fama*. Lipsius ex historia supplevit: *& Arbela castellum*. quod cum habeat MS. meus & res ipsa postulet, exhibere non dubitavi. Præfert autem Codex, quem dixi: *Assyria & Arbela castellum illustre fama*.

12, 14, 2. *Ex quis Izates Adiabenus, mox Abgarus*

tus Arabum cum exercitu abscedunt] Videtur scribendum *Adiabeno* ut subintelligatur ex proximo *cum exercitu.* quæ sententia I. F. Gronovii. Ante enim h. l. 13, 2. *permeant Adiabenos, quorum rex Izates.*

12, 15, 1. *Cotyn juventa rudem*] Amicus malebat: *juventa.*

12, 15, 2. *Zorsines Siracorum rex*] Ante hic legebatur *Soracorum.* Cod. Flor. habet, *Syracusorum.* & paullo post, *Seracos.* Meus: *Seracosiorum.* & *Seracos.* Reg. & Farn. *Siracusorum.* ex qua inconstantia de mendo constat. Scribendum autem cum Lipsio *Siracorum.* Straboni enim Σίρακες appellantur lib. XI. populi Achardeum fluvium, qui e Caucaso fluens in Mœotim exit, accolentes, ea potentia, ut temporibus Pharnacis viginti millia equitum auxilio ipsi miserint. Ptolemæus vocat Σηρακηνούς.

ad Eunonem, qui Aorsorum genti præcellebat] Ante hic scribebatur *Adorsorum.* Sed cum Strabo d. l. τὰ τῶν Σιράκων καὶ Ἀόρσων φῦλα. atque ita aliis pariter vocentur, & scriptura Codd. calamo exaratorum a vulgata abeat (Reg. enim *Adhorscorum.* Meus: *adorscorum.* Flor. paullo post *Aduorsorum*) nomen hujus gentis apud Tacitum juxta scripturam apud alios occurrentem reformavi.

12, 16, 4. *nisi quod mœnia non saxo sed cratibus & vimentis ac media humo adversum inrumpentes invalida erant*] Ita habent Codd. Flor. Reg. & Meus. Sed cum τὸ *vimentum* apud alium, quod sciam, auctorem, non reperiatur, Rhenanus, *vinctis sarmentis*, hic tentabat; amicus, *fimetis.* Sed cum analogia vocis hujus civitati non repugnet, nihil temere mutandum censeo: uti enim a *stramen stramentum*, a *spiramen spiramentum*, sic a *vimen vimentum.* Vult igitur mœnia facta e cratibus & viminibus interjectam terram habentibus.

12, 17, 5. *& plerisque centurionum interfectis*] Sed sermo tantum de *cohorte*, dein *centurionum* a Rhenano est, qui sic invenisse se testatur in Bud. Cod. a manu secunda. Cod. Flor. *& plerisque consiliarium.* Reg. & Meus: *& plerisque consularium.* Unde Nicolaus Heinsius faciebat, *commanipularium.*

12, 18, 2. *Ad Eunonem convertit, propriis odiis non infensum*] Ita edidi ex MS. meo. Editiones priores, aliæ: *convertit (nullis) propriis odiis infensum.* addito de ingenio τῷ *nullis* ad sensum explendum: aliæ: *convertit propriis odiis infensum.* sensu nullo.

12, 18, 3. *Utere ut voles prole magni Achæmenis*] Herodotus lib. VII. cap. 11. Cyrum facit nepotem Ἀχαιμένεος. unde tribus *Achæmenidarum* appellata domus in Persia imperatrix.

12, 19, 3. *neve pœnas capite expenderet*] Cod. meus: *excipere.* Unde amicus forte, *exigerent.*

12, 21, 1. *Per Iunium Cilonem*] Flor. Reg. & Meus: *Colonem.* & mox, *Coloni.* male. Dioni enim Ἰούνιος Κίλων, qui de hoc lepidam historiam narrat lib. LX. *Cilones* autem dicuntur, quorum capita oblonga & compressa sunt: *Chilones* improbius labrati. de quibus consulendi Grammatici.

Non sum remissus ad te, sed reversus] Ex voce, *reversus*, patet eumdem esse Mithridatem, cui Dio donatum a Claudio scribit Bosporum statim in Principatus initio: quod Lipsius in dubium vocat ad 12, 15, 1.

12, 22, 2. *Memmio quondam Regulo nuptam*] Ita clare Flor. Reg. & Meus. non *Mennio*, ut corrupte ante in omnibus Editionibus, præterquam Gronoviana. Idem cujus elogium legitur, 14, 47, n. 2. cujusque Suetonius meminit Calig. cap. 25.

12, 22, 3. *Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relictum.*] Vide ad 12, 1, 3.

12, 22, 5. *Damnatus & lege repetundarum Cadius Rufus*] MS. meus: *Cælius Rufus.* Infra tamen H. 1, 77, 5. sic iterum appellatur. ubi idem Cod. *Candius.* unde amicus dubitabat an forte *Canius Rufus*, de quo Martialis lib. III. Epigr. 20. & alibi, corrigendum. Reg. *Claudius Rufus.*

12, 23, 1. *ut Senatoribus ejus provinciæ*] Id est aliquam ibi possessionem habentibus. Dio lib. LII. extremo: δέδοται τοῖς γε τι κεκτημένοις αὐτόθι, καὶ ἄνδυ παραχρῆ τῆς Σικελίας, ὁπσάκις ἂν ἐθελήσωσιν, ἀπιέναι.

12, 23, 2. *defunctis regibus Sohemo atque Agrippa*] Sic MSS. Dio Σοαίμῳ. quomodo pariter apud Photium scribitur nomen illius, qui Romæ Senator & Consul ac deinde Rex iterum Majoris Armeniæ

nix sub M. Aurelio, in Excerptis ex Iamblichi Babyl. Cod. XCIV.

12, 23, 3. *Et pomerium Urbis auxit Cæsar more prisco*] Etsi *Pomœrium* videatur dictum ex *post* & *mœrus*: *mœrus* autem & *mœnus* & *mœne* antiquitus pro muro videantur posita, unde *pomœrium* quasi postmurium, atque ita syllaba secunda juxta hanc etymologiam per diphthongum scribenda: tamen quoniam Lapides per e scribunt, horum auctoritatem secutus sum. quos vide apud Manutium de Orthogr. Idem secuti Græci πομήριον scribendo, non πομοίριον.

12, 24, 2. *Igitur a foro Boario* &c.] Egregia descriptio finium antiquæ Romæ, forma quadrata. Unde Ennius apud Festum v. *quadrata Roma*:

Et quis exstiterit Romæ regnare quadratæ.

Cujus prima linea a *foro Boario* ad *Herculis aram*; secunda ab hac ad *aram Consi* & *curias veteres*; tertia inde ad *sacellum larium*; a *sacello larium* ad *forum Romanum* quarta. Male autem hic locus distinctus erat in prioribus Editionibus. Vide Famianum Nardinum lib. I. Rom. antiq. cap. 2.

12, 24, 4. *& publicis actis perscriptum*] Ante hic legebatur, *præscriptum*. Sed cum MS. meus, *perscriptum*, idque res postulet, ut docti dudum monuerunt, recipere non dubitavi. Reg. quoque: *perscriptum*.

12, 25, 1. *C. Antistio M. Suillio Coss.*] In Indice Coss. apud Dionem, Γάϊος Ἀντίστιος καὶ Μ. Ῥοῦφος, appellantur anni hujus Consules: apud Cassiodorum *Vetus* & *Nervilianus*: unde prior dictus *C. Antistius Vetus*, videtur filius *C. Antistii Veteris*, qui Consul cum Asinio Pollione a. 776. de quo diximus ad 4, 1, 1. *M. Suillius Rufus* videtur idem qui alibi *P. Suillius*, Germanici quondam Quæstor, 4, 31, 4. sub Claudio terribilis ac venalis 13, 42, 1. Asiæ proconsul 13, 43, 1. & tandem in Baleares insulas sub Nerone pulsus 13, 43, 6. Idque duorum nummorum auctoritate evicisse videtur nuper Petrus Seguinus: in quorum altero circum caput Bacchi seu Liberæ: M. ΣΥΙΛΛΙ . . . ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. aversa area templum cum Inscriptione mutila. Alter circum caput Claudii Imp. . . . ΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡ.

in

in aversa circum figuram muliebrem stantem: XB ΣΤΙΛΛΙΟΣ ΙΕΡΑΠΟ... De hoc autem intelligendus Plinius lib. VII. cap. 4. *Vestilia C. Herditii ac postea Pomponii atque Orfiti clarissimorum civium conjunx ex his quatuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit, Suillium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque Consulem; postea Cæsoniam Caji Principis conjugem, octavo.* Ex quo loco apud Cassiodorum pro *Nervilianus* corrigendum videtur *Herditianus.*

12, 25, 3. *biennio majorem natu Domitium filio anteponit*] Nero natus fuit fine anni 790. post IX menses quam Tiberius excessit, d. XV Decembris, teste Suetonio Ner. cap. 6. & per consequens in principio hujus anni 803. annum ætatis excesserat duodecimum, tertium decimum agebat. Unde Suetonius corrigendus videtur, uti Lipsius monuit, Ner. cap. 7. & pro, *undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus est*, scribendum, *duodecimo*. Similiter apud eumdem ib. cap. 57. pro *obiit secundo & tricesimo ætatis anno.* videtur legendum *primo & tricesimo.* Nam a die XV Decembris a. 790, quo natus, ad diem VI Iunii a. 821. quo juxta Dionem mortuus, anni numerantur triginta, cum mensibus quinque, diebus tribus & viginti. Etsi ipse Dio corruptus vel in vitæ Neronis tempore vel in mortis. Nec enim conveniunt quæ leguntur lib. LXIII. ἐβίω δὲ ἔτη τριάκοντα καὶ μῆνας ἐννέα. *vixit annos triginta, menses novem.* cum iis quæ lib. LXVI. κἀκ τούτου συμβαίνει ἐνιαυτόν τε καὶ δύο καὶ εἴκοσιν ἡμέρας ἀπὸ τῆς θανάτου τοῦ Νέρωνος μέχρι τῆς τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἀρχῆς διελθεῖν. *Ex quo fit, ut a morte Neronis usque ad Principatum Vespasiani, annus unus intercedat diesque viginti duo.* Si Kalendæ Iulii pro natali Imperii die a Vespasiano observatæ, uti Tacitus H. 2, 79, 3. & Suetonius Vesp. cap. 6. scribunt. Contra *Britannicus* vigesimo imperii die inque secundo Consulatu, sive die vigesimo Ianuarii a. 795. Claudio natus, Suetonio Claud. cap. 27. & Dione lib. LX. testibus. Unde consequens Neronem quatuor annis & diebus triginta sex Britannico natu majorem. Idque patet 13, 6, 2. ubi Nero annos ætatis septemdecim vix egressus dicitur fine

a. 807.

a. 807. principio vero sequentis 13,15, 1. propinquus dicitur dies, *quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat.* quod late accipiendum pro quartum decimum ætatis annum jam ingressus erat. Ex quibus videtur hic pro *biennio* scribendum *quadriennio*, aut dicendum Tacitum sibi contradicere. Freinshemius legit *triennio*, motus locis Taciti paullo ante adductis. Sed dato Neronis atque Britannici natali, pro ut ante dedimus, *quadriennium* exsurgit, non *triennium.* Nisi quod in *Britannici* natali nuper * motus sit scrupulus: tamquam *vigesimus imperii dies* non de secundo Claudii Consulatu sed Principatu accipiendus sit, & propterea Britannici natalis in anteriorem annum retrahendus, quo occiso Cajo IX Kal. Febr. teste Suetonio Cal. cap. 58. Claudius successit: ne vero Suetonius obstet explicatur secundus hujus Consulatus de Consulatu II designato. Sed quominus hæc sententia placeat, Dio facit, qui disertis verbis, ubi res gestas secundi Consulatus narrat lib. LX. Οὕτω τε ὡς ἀληθῶς ἐς πάντα τὰ τοιαῦτα ἐμετρίαζεν, ὥστε γεννηθέντος αὐτῷ υἱοῦ, ὃς τότε μὲν Κλαύδιος Τιβέριος Γερμανικὸς, ὕστερον δὲ καὶ Βρεττανικὸς ἐπωνομάσθη, οὐκ ἄλλό τι ἐπιφανὲς ἔπραξεν. *Utebatur omnino ea moderatione, ut nato quoque sibi filio, qui tum quidem Ti. Claudius Germanicus, post Britannicus, appellatus est, nihil splendide egerit.* & ad a. 796. quo Claudius Cos. III. Τὰ δὲ δὴ γενέθλια τὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ οἱ στρατηγοὶ ἐθελονταὶ θέας τε τινὸς ποιήσει καὶ δείπνων ἑώρτασαν. *Natalem filii ejus Pretores injussi spectaculo & epulo decoraverunt.* Minime autem novum *imperium* de Consulatu dici, cum sit idem quod potestas. Præterea Suetonium duos annos extremos incompletos pro completis numerare solere non probatur hujus loco Tib. cap. 15. *Cajo & Lucio intra triennium defunctis adoptatur ab Augusto.* qui alibi, Aug. cap. 65. *in duo de viginti mensium spatio* mortui dicuntur: quoniam *triennium*, intra quod defuncti, respicit reditum Tiberii in Urbem ex insula Rhodo, de quo ibi sermo.

* Dissert. Hypat.

12, 26, 1. *Rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret*] Lex curiata H. 1, 15, 1. Hinc Agrippina queritur 12, 41, 5. *sperni*

adr-

adoptionem, quæque censuerint Patres, jusserit populus, intra penates abrogari.

12, 26, 3. *sive verum, seu periculis commendatus*] Amicus malebat: *sive e vero, sive periculis commendatus.*

12, 27, 2. *latrocinia agitantium*] *Agitare latrocinia*, ut *agere prædas* 12, 32, 1. apud Livium lib. I. cap. 22. Iustinum lib. XXII. cap. 6.

12, 27, 3. *Deinde L. Pomponius Legatus*] Apparet ex sequentibus illustrem poëtam, *Pomponium Secundum* intelligi, de quo 5, 8, 4. 6, 18, 2. O. 13, 4. Apud Dionem lib. LIX. dicitur Κύϊντ© Πομπώνι©. Unde a Pighio *Quintus* dicitur. Sed major difficultas in sequentibus Dionis verbis: ἑπτὰ ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μεθ' ὑπατείαν κακωθείς. *septem totos annos a Consulatu in carcere misere habitus.* quod cum Tacito conciliari nullo modo potest, qui *Pomponium Secundum* post Sejani casum a. 784. (unde ad Caji initium nondum sex anni) accusatum scribit 5, 8, 1.

12, 29, 2. *Auctores fuere Vibillius Hermundurorum rex*] Ante hic legebatur *Iubillius*. Sed cum Codd. Flor. & Meus habeant *Vibillius* non dubitavi sic rescribere. Plane enim idem, qui 2, 63, 6. *Vibillius, Hermundurorum dux.*

12, 29, 4. *scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam præsidebat*] Cod. meus: *scripsit P. Attelio.* Scribendum *Palpelio.* uti Lipsius observavit ex Inscriptione ad hunc pertinente apud Aldum de Orthogr.

SEX. PALPELIO. P. F. VEL
HISTRO
LEG. TI. CLAVDI. CAESARIS
AVG. PRO. COS.
PR. TR. PL. X. VIR STL. IVDIC.
TR. MIL. LEG. XIIII. GERMANICAE
COMITI TI. CAESARIS. AVG
DATO. SVB. DIVO. AVG. C. PRE
RIVS. FELIX. NEAPOLITANVS
MEMOR BENEFICII.

12, 30, 4. *Regnum Vangio ac Sido inter se partivere*] Sallustius bello Jug. cap. 43. *provincias inter se partiverant.* Vid. Nonius.

dum

dum adipiscerentur dominationes] Amicus legebat, *dominationis.* quod verisimile quoniam *apiscor* sic construitur 6, 45, 7. & *adipiscor* 3, 55, 1.

12, 31, 2. *cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluvios cohibere parat*] Cod. meus: *junctisque castris.* Unde amicus: *junctosque castris.* quod putabat dici, ut *ponte ripas jungere.*

12, 32, 4. *colonia Camalodunum*] Codd. Flor. & Meus: *Camulodunum.* Dio: Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον. In Lapide tamen antiquo apud Gruterum: COLONIAE VICTRICIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI.

12, 33, 2. *Sed tum astu, locorum fraude prior*] Cod. meus: *sed tamen astu locorumque f. p.* Amicus: *sed cum astu, tum locorum f. p.*

12, 33, 3. *Tum montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant*] 13, 38, 4. *colles clementer adsurgentes.*

catervaque majore pro munimentis constiterant] Ante hic edebatur: *catervaque * majorum.* Unde Lipsius faciebat: *catervæque nationum.* quoniam mox sequitur, *ductores gentium:* & Britannis Gallisque solitum inire per nationes prælia. Freinshemius: *catervaque armatorum*, tamquam ad vulgatam accedens propius. Sed cum Cod. meus habeat, *catervaque majore pro m. c.* & hæc videatur vera lectio, præferre corruptæ vulgatæ aut conjecturis incertis non sum veritus. *Majore* enim *caterva* videtur dici pro magna caterva: *pro munimentis* pro in munimentis. Sequitur enim cap. seq. *simul objectus amnis, additum vallum, imminentia juga nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens terrebat.* Vide 2, 81, 1.

12, 35, 2. *ardorem exercitus incendebant*] Nicolaus Heinsius: *intendebant.* ut H. 2, 54, 3. *Intendebat formidinem.* Quomodo vidi postea habere MS. Reg.

12, 35, 4. *Posteaquam facta testudine*] Amicus: *acta.*

decedere barbari in juga montium] Idem: *secedere.*

12, 35, 5. *spathis & hastis auxiliarium sternebantur*] Hesychius: Σπάθη, μάχαιρα, ξίφος. Vegetius lib. I. cap. 15. *gladios majores quos spathas vocant, & alios minores quos semispathas vocant.* Ergo *spathis* scribendum ut in MS. Reg. non *spatiis.* Quoniam autem

ab

ab hoc vocabulo est Italorum *spada*, hinc nonnulli corruptæ Latinitatis dicam Tacito imprudenter scripserunt, cum Euripidi, Menandro, Philemoni illud usurpatum testetur Pollux lib. X. cap. 31.

12, 36, 1. *vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia cœptum*] Dio bellum in Britannia cœptum scribit a. 796. Claudio III Vitellio II Coss. Inde ad hunc a. 803, anni tantum septem integri elapsi erant, currebat octavus. Hinc Lipsius hic suspicatur de mendo. Sed quoniam Romanorum in hanc insulam adventui caussam dedere intestina gentis illius bella, quibus Bericus exturbatus ad Claudium se receperat eique persuaserat, ut cum exercitu in Britanniam trajiceret intestinis discordiis scissam & occupatu facilem, videtur Tacitus de isto bello intestino loqui, quod Romanos in Britanniam protraxit. Deinde altera Lipsii observatio, qua memoriam Taciti accusat in verbis H. 3, 45, 2. *Caractacus instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur.* mihi itidem non probatur. Verum, quod *Claudius* de Britannia triumphavit eodem adhuc anno, quo expeditio in illam facta est: sed non dicit Tacitus in hoc triumpho ductum fuisse *Caractacum*, verum majorem eum visum, postquam *Caractacus* victus est: quoniam tunc demum bona fide victoriæ, de qua ante triumphatum erat, fructus apparebat; idque verba Taciti manifeste produnt: non enim dicit *Caractacus* instruxerat *triumphum Claudii Cæsaris*, sed *instruxisse videbatur.*

12, 37, 2. *Non si vos omnibus imperitare vultis, sequitur, ut omnes servitutem accipiant*] Ante Lipsium hic legebatur: *Nam si vos.* Unde Lipsius fecit, *Num s. v.* addita interrogationis nota in periodi fine: quod Freinshemius expressit. Sed meus Cod. pro *Nam* habet *Non.* Unde jam olim ipse Agricola sic legit teste Salinerio. Grotius non modo sic legendum censet, sed elegans loquendi genus & Jurisconsultis familiare fefellisse exscriptores existimat. Quare Lipsianæ conjecturæ hanc lectionem prætuli. Nam quod de elegantia dicitur apud Jurisconsultos obvia verum est. Alfenus l. 27. D. Locati. *Habitatores non si paullo minus commode*

aliis

aliqua parte cœnaculi uterentur, statim deductionem ex mercede facere oportet. Cicero Top. cap. 3. *Non si uxori vir legavit omne argentum quod suum esset, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt.* Suetonius Octav. cap. 97. *Non si omnia morarentur amplius se post hac Romæ futurum.*

12, 38, 3. *Ac ni cito vicis & castellis proximis subventum foret*] Cod. Flor. *Ac ni cito nunciis & castellis.* Unde videtur scribendum: *ac ni cito nunciis e castellis.* aut ut jam vidit Lipsius: *ac ni citis nunciis e castellis.* Vulgatam tuetur I. F. Gronovius lib. II. Observ. cap. 20.

12, 40, 2. *atque illo augente audita*] I. F. Gronovius suspicabatur: *atque ille augere audita.*

12, 40, 4. *mox orto discidio*] Sic Cod. meus: non *dissidio.* Vide 2, 86, 3.

12, 41, 1. *Ti. Claudio quintum Ser. Cornelio Orfito Coss.*] Hic novissimus Claudii Consulatus, quem gessit per sex menses Suetonio teste in ejus vita cap. 14. Alter Κορνήλιος Σκιπίων dicitur in Dionis Indice Consulum.

Virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reipub. habilis videretur] Nero natus d. XV Decembris a. 790, uti ostendi ad 12, 25, 3. ergo in principio a. 804. commodum ingressus erat annum ætatis quartum decimum: unde *togam virilem* ipsi ait *maturatam*, id est ante tempus legibus definitum concessam. Tempus autem legitimum tyrocinii sub Cæsaribus, & paullo ante, fuit annus quartus decimus completus & quintus decimus inceptus. Uti patet ex multis exemplis; Augusto, teste Nicolao Damasceno in Excerptis apud Constantinum Porphyrogennetum: Κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαρὰν, σύμβολον οὖσαν τοῦ εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς. *Inde annos quatuordecim natus in forum descendit posita prætexta togam puram indutus, quod virilis tyrocinii argumentum est.* Ad quem locum Henricus Valesius docet apud Suetonium Octav. cap. 8. pro *duodecimum agens annum* scribendum *decimum.* Maxime enim probabile Nicolaum Augusti coætaneum & amicum summum in his tradendis fuisse

exactissimum. In Virgilio, teste auctore vitæ ejus: *Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam XV anno, natali suo accepit, iisdem illis Consulibus iterum quibus erat natus.* Dixerat autem prius: *Natus est Cn. Pompejo Magno & M. Licinio Crasso primum Coss. iduum Octobrium die.* Fuerunt enim hi Coss. primum a. 684. iterum a. 699. intermedii anni integri quatuordecim. Vulgo mendose hic locus legitur: sed ut posui, correxit I. F. Gronovius. In Ciceronis filio, qui natus L. Iulio Cæsare C. Marcio Figulo Coss. a. 690, teste patre lib. I. ad Attic. ep. 2. togam accepit virilem C. Marcello L. Lentulo Coss. a. 705. lib. IX. ad Attic. ep. 6. In M. Aurelio, de quo Capitolinus cap. 4. *Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno.* In aliis. Quibus addenda Tertulliani & Scholiastæ veteris Horatii auctoritas, qui ambo quatuordecim annos prætextæ tribuunt. Ex quibus patet errare, qui sedecim annos eidem adscribunt. Ratio procul dubio hujus moris a masculorum pubertate pendet, quæ isto tempore a natura in plerisque definitur. Temporibus tamen Reipublicæ, primis & mediis, & Cicerone adhuc puero, prætexta ante annum septimum decimum completum, & octavum decimum incipientem posita non videtur. Idque egregie collegisse videtur Petrus Servius ex Valerio Maximo lib. V. cap. 4. ex. 4. *M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit: peractumque reum judicio afflixit & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus.* Ex hoc enim Cottæ ulciscendi paternas injurias ardore patet, non licuisse ei prius togam virilem sumere, quam leges accusare permitterent. Prætor autem minorem decem & septem annis postulare non permittebat, l. I. §. 3. D. de postulando. *quia moderatam hanc ætatem ratus est ad procedendum in publicum.* Unde patet neque accusare ante hanc ætatem cuiquam permissum. Idemque patet ex Cicerone pro Cœlio cap. 5. *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum bracchium toga constitutus: & ut exercitatione, ludoque campestri tunica uteremur. Eademque erat, si statim mereri stipendia cœpe-*

cœperamus, castrensis ratio ac militaris. Ex hoc enim loco discimus, primo quid circa hanc rem Ciceronis ætate mutatum; deinde eo puero togam virilem sumptam in principio ejus ætatis, qua militare leges cogebant, id est septimo decimo anno completo juxta Servii Tullii institutum, de quo Gellius lib. X. cap. 28. Ait enim *eademque erat, si statim* (post togam virilem sumptam) *mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio ac militaris.* Scio viro docto nullius ponderis videri argumentum e Valerii loco ductum: quoniam facile legibus annariis aut eximia virtus aut gratia illustris solvitur. Sed ratio hæc parum satisfacit. Verum quidem plures annariis legibus, quibus excludebantur intra certos ætatis terminos constituti a petitione magistratuum candidati, solutos: sed ostendendum aliquem iis legibus solutum, quibus pubertas definiebatur quantum ad effecta juris. Illud enim proprie hic in quæstione positum. Certe militiam, quæ inter onera fuit, nemo temere secutus reperietur ante plenam pubertatem. Nam Florus lib. II. cap. 6. Scipionem a filio *prætextato admodum* protectum scribens, libere loquitur, & hunc paullo ante prætextatum adhuc fuisse significare vult. Polybio enim lib. X. Τότε γὰρ ὡς ἔοικεν ἑπτακαιδέκατον ἔτος ἔχων. *Eo namque tempore plane natus erat septemdecim annos.* Ita enim melius verti videtur ὡς ἔοικεν, quam cum Isaaco Casaubono *circiter.* Primo quoniam contra leges, ut quis ante hanc ætatem militaret: deinde quoniam ita fert Græcismus: tertio quoniam ita e Livio evincitur. Hic enim lib. XXVI. cap. 18. Cn. Fulvio Centumalo P. Sulpicio Galba Coss. a. 543. Scipionem tempore comitiorum, quibus Proconsul in Hispaniam creatus est, ait *quatuor & viginti ferme annos natum.* Comitia autem hæc habita in hujus anni principio partim ex clade, propter quam indicta sunt, superiore anno inflicta patet, partim ex Scipionis in Hispaniam cum exercitu adhuc per æstatem hujus anni appulsu, teste eodem lib. XXVI. cap. 20. Prælium autem ad Ticinum commissum est P. Cornelio Scipione Ti. Sempronio Longo Coss. a. 536. præcipiti jam autumno. Hannibal enim occidente sidere vergiliarum, sive

circa medium Octobris hoc anno alpes transgressus erat teste Polybio. Ergo P. Scipio in principio a. 536. annos natus fuit ferme septemdecim, sub finem quando pugnatum ad Ticinum octavum egit decimum: lucem primo adspexit T. Manlio Torquato C. Atilio Bulbo II. Coss. a. 519.

12, 41, 2. *atque interim designatus Proconsulare imperium extra Urbem haberet*] *Proconsulare imperium* inter titulos Principatus jam statim a temporibus Augusti esse cœpit, teste Dione lib. LIII. non aliter quam Tribunitia potestas. Unde Tiberius hoc Germanico petivit 1, 14, 3. Capitolinus in M. Aurelio cap. 6. *Post hæc Faustinam duxit uxorem & suscepta filia, Tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra Urbem Proconsulari, addito jure quintæ relationis.* Ad quem locum Salmasius vanam esse dicit adjectionem *extra Urbem*: quoniam imperium Proconsulare extra Urbem tantum fuit: intra Urbem nullum Proconsulis imperium. Sed temere hoc notatum, hic locus docet. Præterea alterum quod adducitur, intra Urbem nullum Proconsulis imperium fuisse itidem addubito an veritati consentaneum. Nam qui absentes & in Urbe provincias administrabant, utique Proconsules aut Proprætores erant, & sic aliquod intra Urbem Proconsulis fuit Imperium. Suetonius Tib. cap. 63. *Unum & alterum Consulares oblatis provinciis non ausus a se dimittere, usque adeo detinuit, donec successores post aliquod annos præsentibus daret: cum interim manente officii titulo, etiam delegaret plurima: assidueque illi per Legatos & adjutores suos exsequenda curarent.* Intelliguntur L. Ælius Lamia & L. Arruntius teste Tacito 6, 27, 2. & 3. Similiter H. 2, 65, 4. *Cluvius comitatu Principis adjectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arruntii, eum Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat.* Ceterum hinc in Inscriptionibus antiquis toties inter titulos Imperatorum legitur, PROCOS.

12, 41, 5. *Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt*] Cod. meus: *Nero in triumphalium veste.* Scribe: *Nero triumphali in veste,* uti jam a pluribus monitum. vide ad 12, 3, 3.

12, 41, 6. *Commotus his quasi criminibus Claudius*]

Codd.

Codd. Flor. Reg. & Meus destituuntur voce, *Claudius.*

12, 42, 1. *ni prætoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta & Rufius Crispinus*] Ante hic edebatur *Rufus Crispinus.* Cod. Flor. etsi Pichena tacet, item Reg. *Rufius Crispinus.* Quod quin vulgatæ lectioni præferendum, dubitaturum putem meminem. Tanto autem majoris momenti est hoc vitium, quoniam quinque diversis locis apud Tacitum insedit, 13, 45, 6. 15, 71, 6. 16, 17, 1. & 6. Item apud Suetonium Ner. cap. 35. *Privignum Rufinum Crispinum Poppæa natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.* ubi omnino scribendum, *Rufium.* quomodo in tribus scriptis Codd. se reperisse testatur Torrentius, ad quos accedit Cod. Pithœi propius quam ad vulgatam, *Rufrium* exhibens teste Casaubono: quomodo etiam semel atque iterum habet Cod. Flor. apud Tacitum. Privignus enim iste Neronis cum filius fuerit hujus *Rufii Crispini*, & Poppææ Sabinæ, 13, 45, 6. *Rufinus* appellari haud potuit.

quos Messallinæ memores & liberis eorum devinctos credebat] Quoniam scilicet beneficio illius provecti erant. Sub finem enim Caji præerant his cohortibus duo alii, Clemens, Iosepho teste lib. XIX. pater Clementis Arretini, de quo H. 4, 68, 4. & Rubrius Pollio, uti colligo ex Dione lib. LX. Duos enim præfuisse sub Caligulæ finem etiam ex Suetonio patet Calig. cap. 56.

12, 42, 2. *transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium*] Hactenus *Burri* nomen in omnibus Editionibus scribebatur per adspirationem post caninam alteram, procul dubio mendose. Neque enim hoc soliti Romani nisi in vocibus manifeste Græcis. *Burrus* autem etsi Græcæ originis tantæ antiquitatis vox est, ut pro indigena fuerit habita, non aliter quam *Roma*, & similes, uti ex Festo patet, apud quem: *Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum. Unde rustici burram appellant buculam, quæ rostrum habet rufum. Pari modo rubens cibo ac potione ex prandio, burrus appellatur.* Fragm. de Nominibus: *Antiquarum mulierum in usu frequenti*

prænomina fuerunt, *Rutilla*, *Casella*, *Rodocella*, *Murcula*, *Burra a colore dicta.* Similiter *burranica* & *burranicum* apud Festum sine adspiratione. Item in Lapide apud Gruterum: IMP. COMMODO. III. ET. BVRRO. COS. Quare cum MSS. Reg. & Meus: sine adspiratione ubique scribant *Burrus*, non dubitavi horum auctoritatem sequi.

12, 42, 3: *suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus*] Lipsius per *sacerdotes* hic intelligit Vestales, per sacra deos statuasque, quas pompa circensi traduci in *carpentis* mos fuit. Sed primum verum non videtur. Quoniam juxta Dionem Vestalibus demum ab Augusto indultum omne matronarum jus, in quo & vehendi *carpentis*. Matronæ enim pilento ad sacra ludosque, *carpentis* festo profestoque utebantur antiquitus, ut docet Livius lib. V. cap. 25. Sed Lipsius existimat exolevisse post lecticas repertas apud matronas *carpentorum* ad sacra usum, & mansisse saltem in veneratione sacerdotum deorumque. Præterea Messallinæ ait datum primum honorem ut *carpento* veheretur ad sacra idque se probare ex Dione existimat. Verum nunquam matronæ *carpentis* usæ ad sacra, sed pilentis; *carpentis* vero festis & profestis diebus: deinde non exolevit illorum usus post lecticas receptas, uti probat Ioannes Scefferus lib. II. de Re Vehic. cap. 17. nec Dio Messallinæ *carpentum* ad sacra restringit lib. LX. Καὶ τῇ Μεσαλίνῃ τὴν προεδρίαν ἣν καὶ ἡ Λιουία ἐσχήκει καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. *Et Messallinæ primum in consessu locum, ut Liviæ quondam, utque carpento veheretur decreverunt.* Quod procul dubio ad pompam circensem restringendum, ut deinceps facit, ubi de Agrippina: Καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσαλίνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. *Mox in Messallinam plane commutata est tum præsertim, quum Senatus ei honores quosdam, utque carpento in pompa circensi uteretur, decrevit.* Carpenta autem erant vehicula arcuato tecto, duabus rotis instructa, ut in nummis Iuliæ Augustæ & Agrippinæ conspicitur, aut quatuor ut in Heraclii. Pilenta, quæ Lipsius cum

cum *carpentis* confundit, erant vehicula quatuor rotis instructa, pensilia, tecta supra, sed in lateribus aperta, origine Tusca. De quibus consulendus, quem modo laudavi, vir doctissimus.

12, 43, 2. *donec militum globo infensos perrupit*] Ita Flor. & Meus. Reg. *globos infensos*. Editiones hactenus, *infestos*.

12, 43, 4. *Sed Africam potius & Ægyptum exercemus*] 13, 54, 2. *Iamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant.*

12, 44, 2. *Genti Parthorum Vologeses imperabat, materna origine ex pellice Græca*] Similiter Phrahates temporibus Augusti primum inter concubinas habuit Thermusam, dono ipsi ab Augusto missam, Italici generis, deinde justæ uxoris loco, indeque sustulit Phraatacen, qui post illum regnavit. de quo vid. Iosephus lib. XVIII. Antiq. cap. 3. Quæ exempla eo studiosius colligenda, quoniam lucem affundunt interpretationi imaginis Nebucadnesaro per quietem visæ, apud Danielem cap. 2. ubi de quarto regno agit. Quod cum Parthorum & Romanorum sit, non ut vulgo Romanorum tantum, propter rationes ab Erasmo Vindingio V. A. adductas, pulchre hæc & similia exempla ex historia collecta illustrant verba: *Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.*

12, 45, 2. *prœlianti sibi adversus regem Albanorum*] Hujus belli historia non exstat amplius apud Tacitum, videturque periisse cum rebus Caji aut prioribus Claudii. Certe Tiberii temporibus cum Mithridates Armeniam occuparet, Albani socii Pharasmanis erant, 6, 33, 3. sedecim ante hoc tempus annis.

12, 45, 3. *Ille inruptione subita territum exutumque campis Mithridatem compulit in castellum Gorneas*] Pichena e Cod. Flor. hic edidit primus *eruptione*, idque secutus est Freinshemius. Sed anteriores Editiones habent *inruptione*. Quod cum Reg. & Mei Auctoritate nitatur, non dubitavi reducere. *Erumpunt* enim proprie clausi, *inrumpunt* alium aggressuri.

12, 45, 5. *scelere & pecunia venderentur*] Cod. meus: *verterentur.* quod confirmatur Flor. & Reg. scriptura, vitiosa licet, *uterentur.*

12, 45, 6. *ut nisi Pharasmanem bello absterruisset T. Numidium Quadratum præsidem Suriæ doceret, quo in statu Armeniæ forent*] Ante hic legebatur *T. Vinidium Quadratum*, ut infra sæpius *Vinidius*: perperam. Scripti Codd. in hoc nomine variant. Vaticanus, Lipsio teste, *Tumidum.* Reg. *tū Midium quadratū.* Meus: *Tum Umidium Quadratum.* Sed legendum, ut edidimus, *T. Numidium Quadratum*: Iosephus enim hunc præsidem diserte Νεμίδιον Κεαδρᾶτον vocat lib. XX. Antiq. cap. 5. & lib. II. belli Iud. cap. 11. Præterea *Quadratos* constat cognominatos *Numidios* ex Plinii lib. VII. ep. 23. ubi *Numidia Quadratilla*, & nepos ejus *Quadratus*, ad quem duæ exstant apud eumdem epistolæ lib. VI, 29. & lib. IX, 13. immo ipse ille *Quadratus* exserte *Numidius* dicitur lib. VI. ep. 11. *adhibitus in consilium a præfecto Urbis audivi ex diverso agentes, summæ spei, summæ indolis juvenes duos Fuscum Salinatorum & Numidium Quadratum.* Cujus mentio fieri videtur a Spartiano in Hadriano cap. 15. ubi Editiones habent *Numilium Quadratum.* Sed Casaubonus *Numidium* scribendum docet. Salmasius *Umidium* non ibi modo, sed apud Plinium & Iosephum corrigendum contendit, non alio argumento quam quod *Umidios* & *Ummidios* exhibeant Lapides, *Numidios* non item. Quod ita movit nuper Rupertum ut similiter hic *T. Umidium Quadratum* emendandum contenderet Ep. XXI. ad Reinesium; sed contradicente Reinesio Ep. XXIII. quoniam a Salmasio non probatum *Quadratos* in *Umidiis* fuisse. Quare cum haud verisimile tot loca apud Plinium & Iosephum vitiata, & Cod. Meus hic habeat, *Tum Umidium Quadratum*, maxime probabile *T. Numidium Quadratum* legendum.

12, 46, 2. *Nec aliud subsidii, quam castellum commeatu egenum*] Ita edidi ex Cod. Flor. cum ante hic legeretur *præsidii.* quoniam *subsidium* alias Tacito ultimum refugium. 2, 63, 1. 12, 51, 1. Flor. lectionem confirmat Regius.

& satis cognitam Armeniorum perfidiam] Nicolaus

laus Heinsius legebat : *ei satis cognitam A. p.*

ne dubitaret armis incruentas conditiones malle] Ita edidi ex MS. quem Ursinus laudat, cum ante hic legeretur : *ne dubitaret * armis quam incruentas conditiones malle.* nullo bono sensu. Docet autem ad hunc locum I. F. Gronovius vitium contractum ab his, qui non concoquebant protritum loquendi genus, elegans tamen, *incruentas conditiones armis malle.* quo usus item Appulejus Apologia : *Persuaserat idem Pontianus matri suæ ; ut me aliis omnibus mallet.* Cod. meus : *ne dubiam rem armis quam incruentas conditiones mallet.* Reg. *ne dubitare armis quam meruentes conditiones malle.*

12, 46, 4. *oppugnationem quoquo modo celerare*] Ita reposui pro *accelerare.* quod invenitur in Editionibus post Rhenanum, quoniam sic habent Codd. scripti, Flor. Reg. & Meus : atque ita rursus loquitur 12, 64, 3. Nisi forte scripsit, *celeraret*, ut putabat amicus. Sed vide 13, 13, 5.

12, 46, 5. *seque præsidio abituros*] Cod. Flor. corrupte, *præsidium ammis.* Meus : *præsidium tradituros.* Reg. *seque præsidium cominus minitarentur.*

12, 47, 2. *provisum illic sacrificium imperatum dictitans*] Vox *provisum* non sollicitanda. Agnoscitur enim a MSS. ut puto, omnibus, & Tacito est familiaris. 12, 50, 3. *parum provisi commeatus.* 12, 67, 2. *provisum jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet.* 13, 15, 5. *olim provisum erat.* 13, 50, 3. *reliqua mox ita provisa.* 15, 4, 3. *provisi ante commeatus.* 15, 64, 4. *provisum pridem venenum.* &c. Fatendum tamen *imperatum* sic superfluere. Unde Nicolaus Heinsius legebat : *provisum illic sacrificio imperato.* quod non displicet.

12, 47, 3. *pollicesque inter se vincire*] Hinc Ovidius : *digitisque inter se pectine vinctis.* ut legit Nicolaus Heinsius pro *junctis.*

mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit] Reg. & Meus : *ubi mox sanguis in artus extremos suffuderit.* Unde Nicolaus Heinsius : *mox ubi sanguis artus extremos suffuderit.*

12, 47, 4. *Sed tunc qui ea vincula admovebat decidisse simulans*] Amicus malebat, *cecidisse.*

injiciuntur catenæ, ac compedes, quod dedecorum barbaris, trahebatur] Amicus legebat: *quod indecorum barbaris habebatur*. Sed magis placet Lipsii conjectura, *ac compede, quod indecorum barbaris, trahebatur*. Etsi enim *compes* nusquam, quod sciam, exstet: unde Grammatici *compedes* tantum plurale pronuntiant, sexto tamen casu numero singulari legitur apud Horatium lib. IV. Od. 11. & alibi: apud Iuvenalem Sat. IV. & alios poëtas: apud Columellam lib. VIII. de R. R. cap. 2. *eaque quasi compede cohibentur*. Conjunguntur autem hæc etiam ab Ovidio:

Sed neque compedibus nec me constringe catenis.

12, 47, 5. *Et erant contra, qui tantum*] Flor. Reg. & Meus: *Et erant e contra*. ut Editiones pleræque hactenus, præter Beroaldinam & Rhenani, quæ, *Et erant contra*. Cum vero *e contra* e medii ævi Latinitate Tacito a librariis videatur admissum, Beroaldum & Rhenanum sequendos existimavi.

12, 48, 2. *omne scelus externum, cum lætitia habendum*] Ita correxit Lipsius, cum ante hic legeretur: *omnes scelus*. quod agnoscitur a Codd. calamo exaratis Flor. Reg. & Meo. Nisi quod Regius ab his abeat in duabus sequentibus vocibus, exhibens: *omnes fœdus æternum*. Sed neutra lectio Taciti videtur; non, quam reposuit Lipsius, quoniam *omne* hic non magis congruit quam *quoddam* censente I. F. Gronovio: non, quæ MSS. & ante Lipsium recepta, quoniam implicat contradictionem. Quibus enim *decus publicum curæ*, licet *paucis*, non fuit sententia, *scelus externum cum lætitia habendum*, sed contra hostem judicandum Rhadamistum. Hinc I. F. Gronovius tentabat: *plures tuta disserunt, monentes scelus externum* &c. Nicolaus Heinsius: *Plures tuta disserunt in commune, scelus externum*. ut 15, 63, 1. *ubi hæc atque talia velut in commune disseruit*.

12, 49, 1. *& deridiculo corporis juxta despiciendus*] Ita habent Codd. scripti, Flor. Reg. & Meus: Rhenanus primus sic edidit, cum ante eum Beroaldus, *conspiciendus*. Quod & ipsum haud spernendum: immo sic blanditur I. F. Gronovio ut reduci propemodum jubeat, quem adi in Observ. ad Scriptores Ecclesiast. cap. 19. & Livium lib. IV. cap. 13.
cui

cui & Nicolaus Heinsius suum adjecit calculum, & simul hunc Ovidii sui locum,

Unde sit in neutrum conspiciendus eques.

sed Claudio diu familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret] Hæc lectio a Lipsio est: scripti enim hic vitiati. Flor. & Reg. *cum privatus olim conversationes curaret, iners otium oblectaret.* (Reg. *objectaret.*) Meus: *quin privatus olim comesaties* (m. f *comesatium*) *curas & iners otium objectaret.* Lipsiana emendatio nititur hoc Suetonii loco, Claud. cap. 5. *Tunc demum abjecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis & suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens: atque ex contubernio sordidissimorum hominum super veterem segnitiæ notam, ebrietatis & aleæ quoque infamiam subiit.*

12, 50, 4. *armisque regiam circumveniunt*] Sic Cod. meus. Sed Flor. *circū neunt.* Reg. *circumvenerunt.*

12, 51, 2. *ubi quati uterus & viscera vibrantur*] Nicolaus Heinsius: *ubi quatitur uterus.*

12, 51, 3. *destringit acinacem*] Sic scripsi pro *distringit.* Vide 1, 32, 2. 44, 4.

ripam ad Araxis trahit] Ita Flor. Reg. & Meus: vulgo, *ad ripam A. t.*

ipse præceps Hiberos ad patrium regnum pervadit] Cod. meus: *ad Hiberos.* Unde Nicolaus Heinsius: *ipse præceps ad Hiberos patrium in regnum pervadit.*

12, 51, 4. *placida illuvie*] Videtur scribendum, *eluvie*, ut 13, 57, 2. *non ut alias apud gentes eluvie maris, arescente unda.* docente I. F. Gronovio ad Livii lib. I. cap. 4.

12, 52, 1. *Fausto Sulla, Salvio Othone Coss.*] *Faustus Sulla* fuit filius ut videtur, L. Cornelii Sullæ Felicis, qui Consul cum Ser. Sulpicio Galba a. 786. 6, 15, 1. gener Claudii propter ductam Antoniam, 13, 23, 1. 47, 1. Suetonius Claud. cap. 27. *Antoniam Cn. Pompejo Magno, dein Fausto Sullæ nobilissimis juvenibus, Octaviam Neroni privigno collocavit.* Onuphrio in Fastis *P. Cornelius L. F. L. N. Sulla Faustus* dicitur: sed unde *Publii* prænomen hauserit, non indicat. *Salvius Otho* ab Onuphrio pater Othonis Imperatoris creditur, a Pighio frater: cui videtur accedendum. Cum enim constet Othonis pa-

 trem

trem Consulem fuisse a. 786. ex Suetonio Galb. cap. 6. si pater hic intelligeretur, dicendum fuisset *Salvio Othone* II. aut *iterum*. Præterea Frontinus Coss. hujus anni appellat *Sullam* & *Titianum*: Othonis autem Imperatoris pater *Titiani* cognomento non fuit sed frater, si Suetonio fides Oth. cap. 1. *Ex Albia Terentia splendidissima femina duos tulit filios L. Titianum & minorem Marcum cognominem sibi.* Etsi *Othonis* cognomento *Titianum* quoque usum doceat Fragmentum Fratrum Arvalium apud Gruterum, in quo *L. Salvius Otho Titianus.*

12, 52, 2. *idque ad clementiam trahebat Cæsar, quod stirpem nobilem iterum conservaret*] Ita Flor. & Meus: Beroaldus & Rhenanus, *qui stirpem.* quod I. F. Gronovio magis arridet propter elegantiam. Reg. *quod stirpem hostilem interritum conservare.* corrupte.

Neque tamen exsuli longa posthac vita fuit: morte fortuita an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere] Reg. *extincta esset, ut.* Meus: *extinctum esse, ut.* Unde amicus: *extincto, ut quisque credidit, vulgavere.*

12, 53, 1. *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute, sin consensisset pro liberta haberetur*] Hic locus vitiosissime hactenus editus est: *ut ignaro domino ad id prolapsa inservitutem sui consensisset, & qui nati essent, pro libertis haberentur.* & propterea admodum exercitos habuit Interpretes. Quorum conatus referre nihil attinet. Sufficit dixisse Farnesiani Codicis lectionem, exacte referri a Cod. meo. nisi quod in hoc, pro *si* legatur *sin*. Habet enim, *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute, sin consensisset, pro liberta haberetur.* Quæ scriptura cum probata dudum fuerit Lipsio, & nihil habeat difficultatis, pro sincera a me recepta est, præcipue cum verba, *& qui nati essent*, in Flor. Reg. ut plerisque aliis, non inveniri cernerem. Ceterum hoc Senatusconsultum Suetonius Vespasiano tribuit, in ejus vita cap. 12. scilicet quod hujus auctoritate repetitum, cum temporum superiorum licentia fuisset abolitum. Sustulit postea Iustinianus l. un. Cod. de SCto Claudiano tollendo.

12, 53, 2. Pallanti, *quem repertorem ejus relationis*

nis ediderat Cæsar, *prætoria insignia*] In Lipsii Notis verba in monumento *Pallantis* a Plinio quondam lecta & relata lib. VII. ep. 29. & lib. VIII. ep. 6. *Huic Senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta prætoria decrevit, & sestertium centies quinquagies: cujus honore contentus fuit.* referuntur sub forma Inscriptionis tamquam adhuc exstantis: præpositum autem hoc visitur caput:

TI. CLAVDIVS. AVG. L.
PALLAS.

In quo cum *Pallanti* nomen detur, nusquam, quod sciam, alibi occurrens, vereor ut sic appellatus fuerit. Cum enim is libertus fuerit Antoniæ, matris Claudii, uti ex Iosepho patet lib. XVIII. Antiq. cap. 8. verisimile, *Antonium* eum dictum, pro consuetudine apud Romanos recepta, quemadmodum fratrem ejus *Antonium Felicem* appellatum constat. Reinesius Ep. XXVII. ad Rupertum scribit *Antonium Felicem*, post *Ti. Claudium Felicem* dictum, non alio ut puto quam fictitiæ hujus Inscriptionis fundamento. Nisi ambo forte per adulationem etiam *Claudii* nomen adsumpserint, postquam Antonia mortua liberti ejus facti.

12, 53, 2. *& centies quinquagesies sestertium*] Reg. & Meus: *centies quinquagies.* Atque ita pariter in ipso Senatusconsulto & Inscriptione monumenti Pallantis apud Plinium lib. VIII. ep. 6. & lib. VII. ep. 29.

12, 53, 4. *Et fixum est ære publico Senatusconsultum*] Cod. Flor. *Et fixum est . . . publico S.* sed, *ære* non antiqua sed hesterna manu, juxta collationem Gronovianam, adscriptum. Reg. & Meus sine lacunæ suspicione: *Et fixum est publice senatusconsultum.* quam lectionem vulgatæ præferrem: nisi in ipso Senatusconsulto apud Plinium legerem: *ea quæ quarto Calendas Februarii, quæ proxime fuissent, in amplissimo ordine optimus Princeps recitasset, Senatusque consulta de his rebus facta, in æs inciderentur, idque æs figeretur ad statuam loricatam Divi Iulii.* Et hinc H. 4, 40, 3. *Sorte ducti, qui æra legum vetustate delapsa noscerent, figerentque.*

quo libertinus sestertii ter millies possessor] Tantum-

dum possedit Seneca, 13, 42, 5. Narcissus adhuc amplius, si Dio non fallit lib. LX.

12, 54, 1. *At non frater ejus cognomento* Felix *pari moderatione agebat*] *Antonius Felix*. H. 5, 9, 7. qui satis honorifice a D. Luca describitur in Actis cap. 23 & 24.

12, 54, 2. *postquam cognita cæde Caji haud obtemperatum esset. manebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret*] Nicolaus Heinsius legebat: *haud obtemperatum est, & manebat.*

12, 54, 5. *Hique primo lætari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites*] Reg. *interceccidissent*. Meus: *intercecissent*. quasi ab Auctore esset: *intercessissent*.

12, 56, 1. *sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirin perrupto monte*] Medio loco inter *Avezzanum* & *Lucum*: emissarium vulgo nunc vocatur *la Grotta di Nerone*; ejus ostium *la rotta di Santo Padre*; exitus vero prope *Capistrellum* vicum visitur, ubi publica via supra ingentem fornicem lateritii operis ducit ad ipsam ripam *Liris*, & visuntur spiracula seu putei profundissimi, per quos terra effossa in vertice egesta est, juxta viam publicam, qua ab emissario *Capistrellum* itur. Hæc Holstenii fide.

12, 56, 2. *cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent*] Amicus: *ne qua effugia forent*. id est clauso & arctato inter se trabibus loco, intra quem pugnarent.

attamen spatium amplexus, ad vim remigii &c.] Amicus: *sat tamen spatii amplexus.*

12, 56, 4. *Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere*] De hac chlamyde testis oculatus Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis edente eo navalis prælii spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento aurotextili sine alia materie.* Et ipse memini me vidisse Mediolani in museo Septaliano frustum panni ex auro textili sine alia materie, ex sepulchro, si non fallor, Flacillæ aut Placidiæ detracti: notabatque illius dominus artem hanc hodie periisse.

12, 57, 1. *& incuria operis manifesta fuit, haud*

satis

satis depreßi ad lacus ima vel media] Nicolaus Heinsius legebat: *ad lacunæ media.* ut *lacuna* ponatur pro ipsa fossa vel emissario, quam conjecturam aliquantisper juvat MS. Reg. in quo: *ad lacus una vel media.*

12, 57, 2. *gladiatorum spectaculum*] Amicus malebat: *gladiatorium.*

12, 57, 3. *Quin & convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos adfecit* &c.] Suetonius Claud. cap. 32. *Convivatus & super emissarium Fucini lacus ac pœne submersus, cum emissa impetu aqua redundasset.* Noster non quidem redundasse aquam ait in secunda emissione, sed emissam traxisse proxima atque inde periculum. Unde videtur Suetonius confundere primam emissionem cum secunda: in prima fuit redundatio propter non depressam satis circa media emissarii fossam, in secunda tractio proximorum, nulla vero redundatio. *Convivium* hic est cœnatio vel locus ad convivandum exstructus, ut 15, 37, 1. H. 1, 82, 1.

12, 57, 4. *Simul Agrippina trepidatione Principis usa*] Amicus malebat, *visa.* sed vulgata haud sollicitanda. *Uti* enim hic ponitur pro in usum & emolumendum suum convertere. ut 1, 28, 5. *Utendum inclinatione ea Cæsar & quæ casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria jubet.* & apud Statium lib. XI. Thebaid. v. 26.

Instat Agenoreus miles cœlique tumultu
Utitur.

ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac prædarum] Excerpta e lib. LX. Dionis apud Constantinum Porphyr. Ὁ Νάρκισσος τῆς λίμνης τῆς Φουκίνης συμπεσούσης, αἰτίαν ἐπ' αὐτῇ μεγάλην ἔλαβεν. ἐπεστάτει γὰρ τοῦ ἔργου, καὶ ἐδόξε πολὺ ἐλάττω ὧν ἤλπιζε δαπανήσας, εἶτα ἐξεπίτηδες τὸ σύμπτωμα, ὅπως ἂν ἀνεξέλεγκτον τὸ κακούργημα αὐτοῦ γένηται, μηχανήσασθαι. *Cum opus quod in Fucino lacu exstructum fuerat, corruisset, ea res Narcisso crimini vertit. Namque ille curator operis cum longe minus quam speraverat, impendisset, eam ruinam de industria machinatus esse credebatur, ne fraus ipsius detegi posset.*

12, 58, 1. *D. Junio Q. Haterio Coss.*] *D. Iunius Silanus* videtur *Torquatus Silanus*, frater Marci & Lucii

Lucii ab Agrippina peremptorum, qui a Nerone interfectus, 15, 35, 1. Quæ ſententia Henrici Valeſii Adnotationibus in Dionis Excerpta. *Q. Haterius Antoninus* videtur filius *D. Haterii Agrippæ*, qui Conſul cum C. Sulpicio Galba a. 775. *Haterius Antoninus* dicitur 13, 34, 3.

ſedecim annos natus Nero Octaviam Cæſaris filiam in matrimonium accepit] Natus fuerat in fine anni 790, ut oſtendi ad 12, 41, 1. ergo in principio a. 806. tantum quod ingreſſus erat annum ætatis ſextum decimum. Unde videtur ſcribendum, *quindecim*. Hujuſmodi autem errores frequentes ſunt apud auctores ex male deſcriptis numeris orti. Apud Suetonium Calig. cap. 48. *Ovans Urbem natali ſuo ingreſſus eſt. Intraque quartum menſem periit ingentia facinora auſus & aliquanto majora moliens*. Scribendum *intraque quintum menſem*. Nam ingreſſus Urbem pridie Kalendas Septembres, natali ſuo, ibid. cap. 8. occiſus eſt IX Kalendas Februarias, ibid. cap. 58.

12, 58, 2. *Utque ſtudiis honeſtis & eloquentiæ gloria niteſceret*] Cod. Flor. *eniteſceret*. quomodo aut ſcribendum, aut per hoc *niteſceret* exponendum. Nam *noteſceret*, in quod inclinat Lipſius, inferius putem. Suetonius autem abit a Tacito & in tempore, quo hæ cauſſæ a Nerone actæ, & quod nuptias ejus, cum Octavia celebratas vult, poſtquam has egiſſet, Ner. cap. 7.

aliaque haud procul fabulis verum facunde exſecutus] Ita habet Cod. meus. Sed Flor. Reg. item Edd antiquæ, *vera*. Unde Rhenanus fecit, *vetera*, quod Editiones deinceps occupavit. Sed MS. meus, *verum*, ut Muretus voluit: quod verum eſſe exiſtimo.

ut Ilienſes omni publico munere ſolverentur] Amicus malebat: *omni publico onere*. ut 2, 42, 8. *Suria atque Iudæa feſſæ oneribus*. 4, 6, 8. *ne provinciæ novis oneribus turbarentur*. Sed Juriſconſulti docent *munera* civilia triplicia eſſe, alia perſonalia, alia patrimoniorum, alia mixta, l. ult. D. de muneribus & honoribus: & hinc 12, 61, 1. 13, 51, 2. *immunitas* pro exemptione publicorum onerum ponitur.

&

& *immunis* sic sæpe. Unde nihil mutandum. De re præsenti testatur Suetonius Claud. cap. 25.

12, 58, 3. *Tributumque Apameensibus terræ motu convulsis in q. r.*] Ita MS. meus. Vulgata, *Apamiensibus*. Fuerunt autem plures *Apameæ*: una in Syria, condita a Seleuco Nicatore, & denominata ab uxore *Apame*; altera in Phrygia condita ab hujus filio, Antiocho Sotere, & sic pariter appellata a matre; tertia *Mesenæ* cognominata propter situm in *Mesena*, quæ Mesopotamiæ inter duos Tigridis alveos insula; quarta in Bithynia, *Myrlea* cognominata. Ex his Phrygiæ intelligi videtur, quæ πρὸς Μαιάνδρῳ & Κιβωτὸς & Κελαιναῖς: primo quoniam Strabo lib. XII. totam regionem ad Mæandrum terræ motibus scribit obnoxiam propter cuniculos igne aut aqua plenos usque ad mediterranea. Dein quoniam eadem hæc urbs sæpius terræ motibus quassata, sic ut Mithridates centum talenta ad illius restitutionem dederit: idemque Alexandri Magni temporibus accidisse *Celænis* dicitur. Unde Neptunus ab his cultus quamquam mediterraneis, & *Celænum* urbis conditorem Neptuni fecere filium ex una Danaidarum. Tertio quoniam hæc *Apamea* præcipuum post Ephesum totius Asiæ emporium Strabone teste d. l.

12, 59, 1. *accusante Tarquitio Prisco*] Hic *Tarquitius Priscus* deinceps Bithyniæ factus Proconsul. Damnatus enim repetundarum a. 814. Bithynis interrogantibus, 14, 46, 1. Unde ad hunc pertinet nummus Græcus apud Ursinum, in cujus una area circum effigiem Neronis Imperatoris: ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. in altera: Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ. ΑΝΤΙΠΑΤΟ. circum aram in qua ignis accensus: in aræ latere obverso: ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ. ab utraque aræ parte: ΝΕΙΚ. Fulvius de hoc *Tarquitio* qui Proconsul sub Nerone nihil apud veteres scriptores, quos quidem legerit, exstare scribit; ex verbo autem ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ & particula ΝΕΙΚ. apparere rem gessisse apud Nicopa vel Nicopolim, vel *Nicomediam*. Ex quibus prius memoriæ infirmitati condonandum. Tacitus enim non obscure ostendit *Tarquitium Priscum* Bithyniæ fuisse Proconsulem, *Nicomedia*

media autem una ex præcipuis Bithyniæ urbibus. Non autem ideo cusum nummum hunc, quoniam aliquid apud hanc urbem gestum ab *Tarquitio* memorabile, censendum; sed quod *Tarquitio* Proconsule a Nicomediensibus ara Neroni Cæsari erecta. Sed quid sibi vult ΠΡΕΤΑΝΙΚ. quod in nummo, post M. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ visitur? Πρεττανικὸς enim tamquam possessivum a Πρεττανὸς, *Brutiius*, convenire non videtur. Iacobus Perizonius V. C. ΠΡΕΤΑΝΙΚ. mendose scriptum vel sculptum pro ΠΡΥΤΑΝΙΚ. uti ΑΝΤΙΠΑΤΟ. pro ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. eoque significari municipalem magistratum a *Tarquitio* Nicomediæ gestum existimat. Πρυτάνεις enim in pluribus Græciæ urbibus fuisse notius, quam ut probatione indigeat. Hieronymus in Chronico Eusebii Ed. Pont. *Post hos, reges in Corintho non fuerunt, sed annui Prytani constituti.* Hujusmodi vero magistratus obiisse ex civilitate nonnunquam ipsos provinciarum Præsides Lapides testantur & auctores Romani produnt. Spartianus in Hadriano cap. 19. *In Hetruria præturam Imperator egit. Per Latina oppida dictator & ædilis & duumvir fuit. Apud Neapolim demarchus, in patria sua quinquennalis: & item Adriæ quinquennalis quasi in alia patria & Athenis archon fuit.* An hic *Tarquitius*, cujus libri de *rebus divinis* citantur Ammiano Marcellino?

12, 59, 2. *postquam revenerant*] Amicus: *postquam reverterant.* nulla necessitate. Plautus enim sic sæpe, immo ipse Cicero.

12, 59, 3. *Nec ille diutius falsum accusatorem indigna sorte perpessus*] Reg. & Meus: *indignasque sortes.* Unde Nicolaus Heinsius faciebat: *indignasque sordes.* id est immeritum reatum. Suetonius Aug. cap. 32. *diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit.*

Tarquitius tamen curia exactus est] Non dicit quomodo e Senatu pulsus. Sed specie honoris hoc factum, missumque titulo Proconsulis in Bithyniam patet 14, 46, 1. ubi repetundarum a Bithynis accusatus dicitur & damnatus a. 814. tum ex nummo, paullo ante adducto, cum Neronis Imperatoris effigie, in quo: M. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕ-

ΤΑΝΙΚ.

TANIK. ANTIΠATO. ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ NEIK. item ex altero cum imagine Claudii, quem Ezechiel Spanhemius V. A. visum sibi apud Franciscum Gotifredum testatur, in quo: ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ... ΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, qui clarissime probat, quod hic dicitur, *curia* eum *exactum* id est Bithyniæ Proconsulem factum imperante adhuc Claudio, a. 806. Videtur autem Tacitus hoc sic elocutus, quod indignum existimaret, de cujus honoribus apertius diceret.

12, 60, 2. *apud equestres, qui Ægypto præsiderent*] Cod. meus: *apud equites.* sed vulgata defenditur 13, 10, 3. item Flor. & Reg. MSS. auctoritate.

mox alias per provincias, & in Urbe pleraque concessa sunt, quæ olim a Prætoribus noscebantur] Ita MSS. Flor. Reg. & Meus. Id est pedetentim etiam in aliis provinciis & in media Urbe actus quidam jurisdictionis a Procuratoribus Cæsaris jussu Principum exerciti sunt: uti patet in Lucillio Capitone, Cæsaris per Asiam Procuratore, 4, 15, 4. Nec offendere debet illud *in Urbe*, quasi nulli Procuratores Cæsaris *in Urbe* sed tantum in provinciis fuerint: quia aliter id se habuisse & res ipsa dictat & passim observare in auctoribus licet. Hinc Seneca Neroni ait opes suas offerens 14, 54, 3. *Iube eas per Procuratores tuos administrari.* Et Pallas Claudii libertus, quid aliud quam Procurator ejus Romæ perpetuo degens? unde Suetonio *a rationibus* dicitur Claud. cap. 28. & plures tales fuisse Romæ patet ex cognomine *ducenariorum* apud eumdem Claud. cap. 24. *Ornamenta Consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit.* Unde Caligula in expeditione ludicra Germanica occupatus *scripsit Procuratoribus, triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset*: teste eodem in hujus vita cap. 47. & de Nerone idem cap. 32. *animadversam matronam e spectaculis, vetita purpura cultum, demonstrasse Procuratoribus suis dicitur: detractamque illico non veste modo, sed & bonis exuit.* Vesp. cap. 19. *in funere Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam Procuratoribus quanti funus & pompa constaret.* &c.

Immo

Immo *consilium* his tribuitur Domit. cap. 12. *Interfuisse me adolescentulum memini, cum a Procuratore frequentißimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex an circumsectus esset.* Scilicet duo erant genera Procuratorum, unum summæ rei, alterum unius duntaxat rei; utrumque circa Principem, utrumque in provinciis. Paullus manifeste distinguit l. 35. D. ex quibus caussis maj. *Procurator Cæsaris non solum cui rerum provinciæ cujusque procuratio mandata erit, sed & is cui rerum quamvis non omnium.*

12, 60, 4. *Mariusque & Sulla olim de eo vel præcipue bellarunt*] Ante Rhenanum hic legebatur, *bellarent*, atque ita habent MSS. Flor. Reg. & Meus. Amicus inde faciendum putabat, *bellarint*.

12, 61, 1. *nomina singulorum referens & quibus quisque ætatibus viguissent*] *Asclepiadarum* genealogiam post Reinerum Reineccium & alios dedit Ioannes Henricus Meibomius. In his velut inter ignes Luna minores excellit magnus Hippocrates, ut Soranus in ejus vita ex Eratosthene, Pherecyde, Apollodoro & Ario Tharsensi computat, ab *Æsculapio* nonus decimus, ut Pætus in Epistola ad Artaxerxem, octavus decimus.

13, 61, 2. *Xenophontem, cujus scientia ipse uteretur, eadem familia ortum*] Haudquaquam mirum: diutissime enim duravit hæc domus. Dioscorides Præfat. operis de re med. Iulium Bassum, Niceratum, Petronium, Nigrum & Diodotum dicit omnes *Asclepiadas*.

ut omni tributo vacui in posterum Coi, sacram & tantum dei ministram insulam colerent] Cod. meus: *tanti dei ministram.* nimirum Ἀσκληπιοῦ Νεώκορον, ut Græci: quod videtur verum.

12, 62, 2. *Missas* posthac *copias in Antiochum*] *Posthac* significat proprie post hoc tempus; hic vero pro *posthæc* ponitur, ut respiciatur ad ordinem dictorum a Byzantiis: qui orationem suam a validissimo argumento auspicati, fœdere, quod intercessisset inter se & Romanos temporibus Speudophilippi, ante CCC annos, perrexerunt deinde ad alia sua merita in Romanos minoris ponderis, sed antiquiora. Lipsius putat *posthæc* rescribendum. Sed

nihil

nihil temere mutandum, cum MSS. nil mutent, & *posthac* similiter occurrat 3, 62, 3.

12, 62, 3. *simul vehendo commeatu opportuna forent*] *Commeatu* pro commeatui, ut *luxu* pro luxui 3, 30, 5. & 34, 8. H. 2, 71, 2. *cruciatu* pro cruciatui 15, 59, 3. &c. Ceterum Cod. meus habet: *simul subvehendo commeatu.*

12, 63, 2. *quod priores illuc advecti prævisa locorum utilitate pejora legissent*] MS. meus: *provisa.* Sed Flor. & Reg. a vulgata non abeunt. Lipsius de conjectura: *parum visa.* Posset etiam minori a vulgata divortio, *invisa.* pro non visa, quod apte responderet *cæcis.* Sed Nicolaus Heinsius monuit me *prævisa* hic poni pro prætervisa, non visa, idque probabat loco Horatii lib. I. Sat. 3.

Cum tua prævideas oculis mala lippus inunctis.

pro ut ab avunculo ejus Rutgersio emendatus est: vulgo enim ibi legitur, *pervideas.* Sic *præfluere* pro præterfluere apud eumdem lib. IV. Od. 3.

Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt.

quomodo Torrentius fatetur se reperisse in omnibus melioribus Codd. Et apud Livium lib. I. cap. 45. *Ima valle præfluit Tiberis.* Item nostrum 15, 15, 1. *Interim flumini Arsaniæ (is castra præfluebat) pontem imposuit.*

12, 63, 3. *Quippe Byzantium fertili solo, fecundoque mari, quia vis piscium innumera Pontum erumpens* &c.] Hæc lectio a Lipsio est, quam I. F. Gronovius primus in contextu posuit, cum ante legeretur, *vis piscium in Metapontum erumpens.* nullo sensu & contra historiam, licet ita pariter in tribus inveniatur Codd. calamo exaratis, Flor. Reg. & Meo. Sed sæpe syllabæ integræ in MSS. Taciti omissæ deprehenduntur, ut 12, 64, 4. in Flor. *Domiciale*, pro *Domitia Lepida.* 13, 7, 2. in eodem *& Iocchum.* in Meo *& Lochium*, pro *& Antiochum.* 13, 13, 1. in Flor. *Seque nece permitteret.* pro *Seque Senecæ p.* 13, 19, 4. in eod. *conjugioque ejus etiam perio.* pro *etiam imperio.* 14, 18, 3. *Ne probata*, pro *Nero probata.* 15, 14, 3. *siquales.* pro *siqua Cæsares.* 15, 25, 2. *pax inhosta*, pro *inhonesta.* 16, 30, 1. *Torius Sabinus.* pro *Ostorius S.* &c. Ita pariter hic, *in meta pontum* pro *innumera pontum.*

In-

Innumera autem *vis piscium* ut 3, 29, 3. *vis innumera Ligii, aliæque gentes adventabant.* Intelliguntur autem pelamydes, de quibus videndus Strabo lib. VII. Plinius lib. IX. cap. 15.

12, 64, 1. *M. Asinio M. Acilio Coss.*] In Dionis Indice, qui in his Coss. desinit, K. Ἀσίνιος καὶ Μάνιος Ἀκίλιος. diverso utriusque prænomine. Meminit prænominibus tacitis, cognominibus expressis Seneca in ludi de morte Claudii principio: *Quid actum sit in cœlo ante diem tertium Idus Octobris Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss. anno novo, initio seculi felicissimi volo memoriæ tradere.* & Suetonius Claud. cap. 45. Ex his *M. vel Q. Asinius Marcellus*, Asinio Pollione proavo fuit clarus 14, 40, 2. *M'. Acilius Aviola* is videtur qui Sacroviriani motus initio a. 774. Andecavos & Turonios coërcuit Legatus 3, 41, 2. 3. *Manium* enim hunc potius quam *Marcum* vocatum existimo cum Onuphrio & Pighio non tamen Taciti auctoritate, apud quem ita corrigendum, sed Indicis Consulum apud Dionem. Quominus enim ibi erratum putem facit expansa scriptura, tum Capuana Tabula, in qua inter Coss. suffectos a. 721. *M'. Acilius.* qui *Acilius Aviola* Consularis, de quo Plinius lib. VII. cap. 52. & Valerius Maximus lib. I. cap. 8. ex. 12. qui hujus aut pater aut avus.

Fastigio Capitolii examen apium insedit] Ita Flor. & Reg. Meus: *apum.*

Biformes hominum partus] Videntur *hippocentauri* intelligi. Plinius lib. VII. cap. 3. *Multiformes pluribus modis inter monstra partus eduntur. Claudius Cæsar scribit hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse. Et nos Principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Item Phlegon Trallianus de Mirab. cap. 34. & 35. Similiter Plutarchus Convivio septem sapientum, infantem equæ partu ait editum, superne ad cervices usque & manus humana forma, reliquas partes equinas habentem, & in morem hominum recens natorum vagientem. Georgius Andreæ in Itinerario onocentauri meminit a se visi apud urbem *Amadabath* in *Guzarata.* Vide de hujusmodi monstris Fortunium Licetum lib. II. de Monstr. Causs. & Diff. cap. 68.

&

& suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent, numerabatur inter ostenta] Ante hic edebatur: *& suis fetus editus, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta.* Sed Flor. *& suis fetum ediditum.* Reg. *& suis fœtum editum.* Meus: *& suis fetum editum.* haud dubie recte. Unde deleta distinctione post *inessent* sic edidi.

Quæstore, Ædili, Tribuno, Prætore ac Consule, paucos intra menses defunctis] Ita MS. meus. Vulgati hactenus: *Tribuno ac Prætore & Consule.*

12, 64, 4. *quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinæ sobrina prior, ac Cnæi mariti ejus soror, parem sibi claritudinem, credebat*] *Consobrini* proprie sunt, qui ex duabus sororibus sunt prognati, quasi *consororini.* Usus tamen introduxit, ut etiam patrueles & amitini communi hoc vocabulo appellentur. *Sobrini*, qui ex patruelibus, consobrinis aut amitinis propagantur. l. 3. D. de Grad. & Affin. Vertranius pro *sobrina prior* scribit *sobrina propior*, verbo, ut loquitur, Iurisconsultis familiarissimo. Ad quod Freinshemius non se meminisse ait alibi sibi lectum de *sobrinis prioribus*, nec *propiores* quidem hoc loco multum ad rem facere, minus etiam ad scripturam; præterea offendi, quod *maritus Agrippinæ* tantum prænomine noteтur, idque insolitum & vix alibi usurpatum, *mariti* insuper appellationem de mortuo non placere: tandem propter hæc omnia rescribere se pronuntiat: *Agrippinæ sobrina priorisque mariti ejus soror.* Sed quid facere potuit infelicius? *Domitia* enim *Lepida* non fuit sobrina Agrippinæ, sed liberi ejus, si quos habuisset, Agrippinæ sobrini erant: ipsa gradu uno sobrinam antecedebat. Deinde apud Iurisconsultos non quidem occurrunt *sobrini* vel *sobrinæ propiores*, sed *sobrino* vel *sobrina propiores*, quod illud ipsum est quod Vertranius volebat: ut l. 1. §. ult. D. de Grad. & Affin. *Quinto gradu sunt supra atavus atavia: infra adnepos & adneptis* &c. *item fratris patruelis, sororis patruelis filius, filia: & similiter consobrini, consobrinæ: item amitini, amitinæ filius, filia: propior sobrino, propior sobrina; isti sunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia.* In Instit.

§. 5.

§. 5. d. t. legitur *propius sobrino* & *propius sobrina.* quod aut σολοικῶς dictum, aut cum charonda corrigendum. Nulli igitur *propiores sobrini* aut *sobrinæ* apud Iurisconsultos: sed *propior sobrina* ab iis dicitur, quæ a Tacito *sobrinâ prior*, eodem plane sensu & modo, pro ea, quæ uno gradu propinquior quam sobrina. Ergo nulla plane mutatione opus. Reliquæ enim difficultates a viro docto motæ eo indignæ sunt. Nam quod de prænomine dicit, refutatur H. 4, 10, 3. *Nec tam Musonius aut Publius quam Priscus aut Marcellus* &c. *exspectabantur.* Intelligitur enim *P. Egnatius Celer.* & rursus H. 4, 40, 4. *damnatusque Publius.* Plura hujusmodi notavit Ezechiel Spanhemius V. A. *Cnæi* vero scripsi pro *Gnei*, quomodo ante scribebatur, partim ut Tacitus sibi constaret, 13, 10, 1. sic *Domitii* hujus prænomen scribenti; partim Lapidum auctoritatem secutus, in quibus Aldo teste, CNAEVS. etsi non ignorem apud Festum aliosque Grammaticos scribi *Gnaus*, & in antiquo numismate: ΓΝΗΙΟϹ ΠΟΜΠΗΙΟϹ.

12, 65, 1. *quod conjugium Principis devotionibus petivisset*] Flor. & Reg. *quod conjugem.* quomodo forte scripsit, vitandæ amphiboliæ caussa. Nam *conjugium* pro conjuge æque ponitur ac *matrimonium* pro uxore, *servitium* pro servo, *clientela* pro cliente. Virgilius lib. III. Æneid. v. 296.

Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum.

quodque parum coërcitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiæ turbaret] Quod ingentem servorum agrestium numerum nulla disciplina habitum latrocinia agere pateretur. Freinshemius hic suspicatur ea, quæ 4, 27. de initiis belli civilis perscripta, ad Domitiam pertinere: quoniam & illa in *Calabria* patrata, circum Brundusium & circumjecta oppida. Sed temporis ratio repugnat huic suspicioni. Isti enim motus excitati fuere decimo Tiberii anno, V. C. 777. triginta annis ante hæc tempora. Docent autem Iurisconsulti viginti annis præscribi publicis & criminalibus judiciis, ex l. 20. C. ad L. Corn. de Falsis: ut triginta privatis & civilibus.

12, 65, 2. *prompsisse inter proximos ferebatur*] Vir doctus vocat consultationem inter proximos, quæ non tam consultatio videtur quam animi inter proximos expromptio vel declaratio. Subjicit enim his Narcissi dictis Auctor: *Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum:* &c.

certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur] Nempe propter Messallinam sublatam, & dissuasas cum Agrippina nuptias.

Pares iterum accusandi caussas esse, si Nero imperitaret. Britannico successore, nullum Principi meritum, ac novercæ insidiis domum omnem convelli] Ita habet Cod. meus. Item Reg. nisi quod *impeditaret* a m. p. &, *domum omnium*. Pichena Flor. ait habere, *ad novercæ*. mendose. nisi exciderit *hæc*. Octavius Ferrarius pro *meritum* legit *metum*, *pro ac* vero *at*, non infeliciter: nisi post *flagitio* integram vocem *sileri* interjiceret licentiosius. Sine autem hac interjectione locus videtur sensum habere satis commodum: *Pares iterum accusandi caussas esse, si Nero imperitaret* (id est destinaretur successor) *Britannico successore nullum Principi metum. At novercæ insidiis domum omnem convelli majori flagitio, quam si impudicitiam prioris conjugis siluisset.*

12, 65, 4. *cuncta regno viliora habere*] Grotius legit, *haberi*. quod sequor.

12, 66, 2. *& oblatæ occasionis propera*] Cod. meus: *præpropera.*

exquisitum aliquid placebat] Cod. meus: *aliquod.*

12, 67, 1. *Socordiane Claudii an vinolentia*] Cod. Flor. *Socordiane an Claudii vi, an vinolentia.* Meus: *Secordia mentis a Claudio bili an vinolentia.*

12, 68, 1. *dum res firmando Neronis imperio componuntur*] Cod. Flor. *dum res forent firmando.* Reg. *dum que res forent firmando.* Meus: *dum quæ res forent firmando.* Unde Nicolaus Heinsius: *dum quæ e re forent firmando.*

AD ANNALIUM LIBRUM XIII.

13, 1, 1. *Prima novo Principatu mors Junii Silani Proconsulis Asiæ ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur*] Hic fuit filius C. Appii Iunii Silani, qui Coss. a. 781. de quo 4, 68, 1. prænomine *Marcus*. Plinius lib. VII. cap. 13. *D. Augustus in reliqua exemplorum raritate neptis suæ nepotem vidit genitum, quo excessit anno, M. Silanum, qui cum Asiam obtineret post Consulatum, Neronis Principis successione veneno ejus interemptus est.* Quo in loco Lipsius perperam pro *post Consulatum* legit *Proconsulatu*. Fuit enim Consul cum Valerio Asiatico II. a. 799. teste Dione lib. LX. tum Indice Coss. apud eumdem. Pro *paratur* autem videtur scribendum *patratur*. Sic enim solet, ut 2, 39, 3. 4, 57, 2. 11, 28, 3. &c.

adeo ut C. Cæsar pecudem auream eum appellare solitus sit] Dio lib. LIX. χρυσῦν πρόβατον, *ovem auream*, a Cajo appellatum ait non hunc M. *Silanum*, sed alium qui Cos. sub Tiberio a. 772. quique in tanto honore a Tiberio habitus, ut nunquam ferre sententiam de caussa voluerit, in qua facta ab eo provocatio esset. Hic socer fuit Caji 6, 20, 1. & ab eo sublatus est, teste Suetonio Calig. cap. 23. Sed Lipsius hic accusat Tacitum, quod tribuat M. *Silano*, qui Cos. a. 799. quod debuerat Caji socero, qui Cos. a. 772. idque ex hujus ætate colligere se putat, qui cum natus fuerit extremo Augusti anno, unde ad hoc tempus quadraginta anni elapsi erant, non potuerit formidini aut contemptui esse aliis dominationibus, cum ejus ἐδ' εἷς λόγος. Deinde ut in homine Tacitum sic in dicto aberrare Dionem putat. Verum mihi non modo in dicto aberrare Dio videtur sed in homine quoque, & simul cum Dione Lipsius; Tacitus contra verum dicere. Nam si de priore *Silano* hoc dixisset Cajus, quomodo stare potest *dominationibus aliis fastiditus*? Prior enim ille *M. Silanus* in honore fuit apud Tiberium, a Cajo vero statim est interemptus; præterea non

segnis

segnis, sed prudens & magnus vir. Contra hic ultimo Augusti natus anno & Caji principio annum agens quartum & vicesimum (quæ ætas ad Rempub. administrandam & res novas moliendas jam capax) quoniam *segnis*, a Caligula, qui eum *auream pecudem* appellare consueverat, tum a Claudio contemptus fuerat. Unde in hunc non illum quadrat *dominationibus aliis fastiditus*. Præterea ille cum non pertineret ad domum Augustam non magis quam alius ex nobilibus observabatur, hic contra.

13, 1, 2. *anteponendum vix dum pueritiam egresso Neroni*] Nero natus fuerat d. XV. Decembris a. 790. ergo d. XIII. Octobris a. 807. natus erat annos sedecim, menses decem diebus duobus minus. Suetonius quando septemdecim annos natum scribit, quum de Claudio palam fieret, cœptum, aut nondum completum annum pro completo ponit, Ner. cap. 8.

13, 1, 3. *& Ælius libertus rei familiari Principis in Asia impositi*] Scribendum, *Helius*. Ita enim appellatur Suetonio Ner. cap. 23. Dioni Ἥλιος. alio modo in hoc nomine peccatum H. 1, 37, 6.

13, 2, 1. *Nisi Afranius Burrus & Annæus Seneca obviam issent*] Cod. meus: *Ni Afranius*.

Hi rectores imperatoriæ juventæ, &, rarum in societate potentiæ, concordes] Ante hic edebatur: *& pari in societate potentiæ c.* ex castigatione Rhenani, cum ante eum: *& pari in societate potentiaque c.* Sed cum in MS. Flor. legatur: *& parum in societate potentia & c.* in Reg. & Meo: *& parum in societate & potentia c.* non dubito, quin vera scriptura sit, visa pridem Boxhornio: *&, rarum in societate potentiæ, concordes.* Solet enim ita hoc interserere, ut 1, 39, 5, & 56, 1. 6, 10, 4. Hanc emendationem probaverunt Nicolaus Heinsius & I. F. Gronovius.

13, 2, 4. *Sed neque Neroni infra servos ingenium*] Id est Nero non tam infelici erat indole, ut servis aut libertis parere posset, uti Claudius. Bocalinus insigne putat hoc encomium & paucis admodum Principibus competens: videlicet *Neronem* suo judicio & prudentia polluisse ac propterea noluisse pendere ab unius cujusquam suorum ministrorum

consilio, auctoritate atque tyrannide, quemadmodum plerosque Principes facere certum. Hinc duodecies centena & quinquaginta scutatorum aureorum millia eo nomine Tacito a *Nerone* donata in Platonico Parnasso fingit: quod cum non intelligerent minorum gentium literati aliquot & *Neronis* prodigalitati adscriberent, quoniam Tacitus hujus vitia liberrime publicavit, inducit *Neronem* ipsum adseverantem, vitiorum suorum publicationem magis confirmare prædicationis hujus veritatem: de Principe autem nihil majus posse dici, quam suo ingenio in administranda Repub. eum uti. Quæ ut poëtice imaginata, ita poëtarum fabulis affinia sunt. Dictum enim Taciti de *Nerone* tam late extendi non potest, ut omnes ministros comprehendat. Primis enim quinque annis administravit *Nero* Rempub. de consilio præcipue Senecæ & Burri, reliquo tempore Sofonius Tigellinus, Helius & Halotus omnia potuere.

13, 2, 5. Decreti & a Senatu *duo lictores, flaminium Claudiale*] *Flaminis Claudialis* mentio in vetere Inscriptione apud Onuphrium de Civit. Rom. Sed Agrippina *Flamina* Claudii exemplo Liviæ & Antoniæ, quæ Augusti: ita enim videtur appellata sacerdos femina Divi, non *Flaminica*, aut *Flaminia*, quomodo dicta Flaminis uxor uti ex Inscriptione patet apud Reinesium in Syntagm. Inscript. quam subjicio:

F. FLAVIO AVG. LIB. FLAMEN
DIVI TITI ANN. III VIX. AN. LII
M. VIII D. VIIII. HOR. VI.
FLAVIA FLAMINA FLAVIAL.
ET IVLIA AMISSA LIB. FLAMI
NIA HER. EX TESTAM. P. CVR.
IN FR. PED. XIII IN AGR. P. XVII.

13, 3, 5. *& Augusto prompta ac profluens, & quæ deceret Principem eloquentia fuit*] Augusti dictio depingitur graphice a Suetonio in ejus vita cap. 86.

12, 5, 1. *Ne quis ad caussam orandam mercede aut donis emeretur*] Errat igitur Suetonius Neroni tribuens, quod Claudio debetur, quando Ner. cap. 17. *Cautum* scribit, *ut litigatores pro patrociniis certam*

justam-

justamque mercedem pro subselliis nullam omnino docent prabente ærario gratuita. Vide 11, 7, 5.

13, 5, 2. *qui in palatium ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo foribus velo discreta*] Ita habent Codd. calamo exarati, Flor. Reg. & Meus. Videturque sanus locus nec medicinæ indigus. Vult scilicet adstitisse a tergo tapetis foribus prætenti, non à tergo sedentis Principis; ne videretur & tamen audiret. Cur enim non æque recte aversa tapetis pars *tergum* dicitur quam membranæ vel papyri, aut illud Iuvenalis Sat. 1.

Scriptus & in tergo nondum finitus Orestes.

Sic Claudius *inter prætenta foribus vela se abdidit*, statim post Caji cædem, teste Suetonio in ejus vita cap. 10.

13, 7, 2. *Duosque veteres reges Agrippam & Antiochum expedire copias*] Ante hic edebátur, *& Iocchum.* Sed cum scripti Codd. hic vitiati, (Reg. enim Meus & Vatic. *& Lochium.* Flor. *& Iocchum.*) & *Antiochus* Commagenes rex nominetur inter auxiliares in hoc bello 13, 37, 3, non dubitavi tamquam certissimam Taciti scripturam sic reponere. Librariis enim omittere syllabas, solitum. Vide ad 12, 63, 3.

Sophenen Sohemo] Vulgo, *Sophenem.* Sed aut *Sophenen* aut *Sophenam* analogiá postulat. Regio juxta Armeniam Masium inter & Antitaurum montes, cujus regia *Careathiocerta*, juxta Strabonem lib. XI. in qua Tigris post quinque & viginti millia passuum sub terras mersus emergit iterum, si non fallit Iustinus lib. XLII. cap. 3. Lucano *mollis Sophene.* De *Sohemo* Lipsius frustra dubitat an idem, qui a Cajo constitutus Arabum Ituræorum Rex. Is enim mortuus, regnumque Syriæ additum, 12, 23, 2. Potior dubitatio, an hic idem, qui Vespasiani socius, H. 2, 81, 1. & inter auxilia Titi, H. 5, 1, 4. dubitandi ratio, quod *Sohemus* Vespasiani socius *Emesæ* Rex Iosepho lib. VII. B. I. cap. 28. quem Reineccius filium suspicatur Ituræorum Regis, qui sub Claudio mortuus: de *Sophenæ* Rege tacet.

13, 7, 3. *Exortusque in tempore æmulus Vologeso*] Cod. meus: *Vologesi.* sed utroque modo dixisse videtur.

13, 8, 3. *& Legatum ejus Quadratum Numidium*] Sic scripsi pro *Vinidium* hic, & paullo post, propter rationes adductas 12, 45, 6.

13, 8, 4. *apud Ægeas civitatem Ciliciæ*] Αἰγαὶ Græcis fere. Plinius lib. V. cap. 27. *oppidum Ægæ liberum, amnis Pyramus, Portæ Ciliciæ.* Sed Straboni Αἰγαῖαι. Diodoro Siculo etiam Αἰγίαι lib. XXII. sed de Macedoniæ. Unde apparet diversimode urbis hujus nomen scriptum. Quare cum Codd. Flor. Reg. & Meus tueantur vulgatam scripturam, nihil mutandum existimavi.

13, 9, 2. *Accepitque eos centurio Histejus*] Reg. & Meus: *Histerius.* Vatic. *Histius.* Beroaldus & Rhenanus: *Hostorius.* Videtur legendum *Instejus*, ut Lipsius judicat ad 13, 39, 3. ubi *Instejus Capito* vocatur: nec refert, ut idem censet, quod qui hic centurio, ibi castrorum præfectus; quoniam honore potuit interea augeri.

13, 10, 2. ut principium anni inciperet mense Decembre, *quo ortus erat Nero*] Suetonius Ner. cap. 6. *Nero natus est Antii post IX menses quam Tiberius excessit, XVIII Kalend. Ianuarias: tantum quod exoriente sole.* id est a. 790. quem locum Dionysius Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 15. infeliciter corrigit: *natus est ante tres menses quam Tiberius excessit.* quoniam ex sequentibus apud Suetonium clare constat *Neronem* Caligula jam Principe natum: *Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit. Nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti ei, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum suum, a quo mox Princepe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare: neque ipse serio, sed per jocum, & aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat.* Præterea si natus fuisset Nero vivente adhuc Tiberio Tacitus indubie hoc non siluisset: quia vero post novem menses quam is mortuus, ideo hujus mentio periit cum rebus Caji. Vide ad 12, 25, 3.

13, 10, 3. *Iulius Densus eques*] 12, 60, 2. *apud equestres qui Ægypto præsiderent.*

13, 11, 1. *Claudio Nerone L. Antistio Coss.*] Hic *Neronis* primus Consulatus, qui non duravit nisi per menses duos teste Suetonio in ejus vita cap. 14. *L. Antistius Vetus* videtur filius *L. Antistii Veteris*, cujus

cujus mentio fit in Inscriptione adducta ad 4, 1, 1. nepos *Q. Antistii Veteris*, qui Consul cum D. Lælio Balbo a. 748.

13, 12, 1. *Ceterum infracta paullatim potentia matris delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Acte fuit*] Tristanus Tom. I. Comment. Hist. Neronis concubinam, quam D. Chrysostomus a D. Paulo, cum Romæ commoraretur, ad Christianam religionem conversam lib. I. contra monast. vit. contempt. scribit; existimat esse hanc *Acten*. Quo pertinent verba D. Pauli in Epist. ad Philipp. cap. 4. v. 22. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας.

13, 12, 2. *ne severioribus quidem Principis amicis adversantibus, muliercula nulla cujusquam injuria cupidines Principis explente*] Nicolaus Heinsius legebat: *mulierculæ* &c. *explenti*.

13, 12, 3. *quando uxore ab Octavia nobili quidem & probitatis spectatæ*] MSS. nil mutant: *nobili* hic opponitur *libertæ*. Apud auctorem Octaviæ v. 88. Octavia inducitur sic loquens:

Odit genitos sanguine claro
Spernit superos hominesque simul
Nec fortunam capit ipse suam.

13, 13, 1. *donec vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, seque Senecæ permitteret*] Ante hic legebatur: *in matrem Senecæque permitteret*. MSS. hic variant Reg. & Farn. *seque neci permitteret*. Vatic. *seque permitteret*. Meus: *seque nec ei permitteret*. Flor. *seque nece permitteret*. Unde Pichena facit, *Senecaque permitteret*. quod explicat, non adversaretur, scilicet *ut exueret obsequium in matrem* sive Agrippinæ odio, sive metu, ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet Nero, si a muliercula Acte divelleretur, matrique obtemperaret. Sed ex iis quæ ante adducta sunt a Tacito 13, 2, 1. 3. & 5, 3. satis apparet quid præceperit de hac obedientia Neroni in matrem *Seneca*, videlicet ambigue, & unde facile intelligeret, quid vellet. Unde non satisfacit Pichenæ, *Senecaque permitteret*. Sed cum Flor. habeat, *seque nece permitteret*. vix dubito quin addita syllaba, quam librarius pro more

(de quo 12, 63, 3.) transmisit, scribendum: *seque Senecæ permitteret.* quomodo Muretus, Lipsius, pluresque alii, legendum monuere: id est cum hactenus a matre aliquatenus adhuc dependerat, dependere amplius noluit, sed totum se *Senecæ* commisit. Nam quod Pichena se ideo lectionem hanc non posse admittere pronuntiat, quoniam Nero eo ingenio, ea jam ætate erat, ut potius Imperii potens quam obsequii patiens fuerit, nullius ponderis est. Nero enim juvenis erat septemdecim tunc annos natus, nullo ad huc usu tractandæ Reipub. præditus, totus voluptatibus deditus, regnandi plane rudis, ut patet 13, 51, 3. & cui Auctor paullo antè dictata fuisse a *Seneca* scribit, quæ in Senatu proloqueretur. Immo Dio clare lib. LXI. de *Seneca* & Burro: Καὶ μετὰ τοῦτ' ἔπραττον, ὅπως μηδὲν ἔτ' αὐτῷ τῶν κοινῶν ἐπιτρέπηται. Κατεργασάμενοι δὲ τοῦτο, αὐτοὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν παρέλαβον, καὶ διῴκησαν ἐφ' ὅσον ἠδυνήθησαν ἄριστα καὶ δικαιότατα. *Quumque perfecissent postea, ut ne deinceps permitteretur ei cura rerum publicarum, ipsi omne Imperium susceperunt, idque pro viribus optime justissimeque administrarunt.* Unde patet quam parum in Neronem quadret ratio a Pichena allegata. Vera igitur meo judicio lectio, quam secuti sumus.

13, 13, 5. orabantque *cavere insidias mulieris semper atrocis tum & falsæ*] Rhenanus legit *caveret.* supra tamen infinitivus similiter occurrit 12, 46, 4. *monet celerare.* & infra 16, 11, 1. *nuntiat patri abjicere spem & uti necessitate.* H. 2, 46, 2. *bonum habere animum jubebant.*

13, 14, 2. *Ire Pallantem ut ejuraret*] Scilicet Procurationem. Sic H. 3, 68, 7. de Vitellio. *Prævenerat rumor, ejurari ab eo Imperium.*

13, 14, 3. *quod insitus & adoptivus, per injurias matris exerceret*] Hinc auctor Octaviæ v. 249.

Nero insitivus Domitio genitus patre.
Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo,
Morumque ritus nomen Augustum inquinat.

13, 14, 5. *Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus & exsul Seneca, trunca scilicet manu & professoria lingua generis h. r. e.*] Flor. *Indebilis rursu sburrus.* Reg. *Indebilis rursus Burrus.*

&

& reliqua ut sunt edita. Meus: *Indevilis r. B. e. e. Seneca tunicata scil. manu.* Videtur a Tacito: *hinc Germanici filia, debilis rursus Burrus & exsul Seneca, truncata scilicet manu* &c.

13, 15, 1. *propinquo die, quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat*] Intellige late, pro quartum decimum ætatis annum jam ingressus erat, in cujus fine prætexta ponenda erat. vide ad 12, 25, 3. & 41, 1.

13, 15, 1. *modo ipsius indolem, ut quidem experimento nuper cognitam*] Cod. meus: *& quidem.*

quo tamen favorem late quæsivisset] Reg. & Meus: *quo tum favorem.*

13, 15, 2. *inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium*] Cod. meus: *ludicra, Romæ regnum ludo sortientium.* Flor. *ludicra R regnum l. s.* Reg. *ludicra Ro. regnum.*

13, 15, 3. *Ille constanter exorsus carmen*] Amicus malebat: *Ille non contanter*, pro cunctanter. Sed vulgata quæ & MSS. haud sollicitanda. *Constanter* enim est animo imperterrito, ut *constantia* 14, 33, 1. H. 3, 53, 2. & apud Iustinum lib. I. cap. 5. *Ille arcessito puero & interrogato cum nihil mutato vultu fecisse se ut regem respondisset, admiratus constantiam, in memoriam somnii responsique revocatur.* De quo usu vocis vide pluribus I. F. Gronovium ad A. 27, 1.

13, 15, 4. *quia dissimulationem nox & lascivia exemerat*] Cod. meus: *exemerant.*

neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur] Nicolaus Heinsius: *occultam molitur.*

13, 15, 8. *quam si ferro urgeretur*] Cod. meus: *ferro necaretur.* Sed vulgata nititur Flor. & Reg.

13, 16, 5. *& redituros paullatim visus sensusque*] Cod. meus: *sensus visusque.* unde amicus: *sensus nisusque.*

13, 17, 1. *antiquas fratrum discordias & insociabile regnum existimantes*] Ita edidi Rhenanum secutus. Beroaldus dedit *æstimantes.* Pichena ex Flor. *extimantes.* quomodo pariter a manu prima in Meo, a secunda vero, *æstimantes.* Sed cum *extimo* vox sit minus Latina, uti ad etymologiam respicienti patet. (*æstimo* enim est ab *æs* & τιμῶ, ab *æstimo* vero *existimo.*) & *æstimare* Taciti temporibus pro *existimare*

mare nondum, ut puto, dixerint, *existimantes* edoce satius duxi. Quod deinceps repperi in MS. Reg.

13, 17, 2. *crebris ante exitium diebus inlusum isse pueritiæ Britannici Neronem*] Ante Rhenanum hic legebatur: *illusum esse pueritia B. N.* unde is primus fecit: *illusisse pueritiæ B. N.* quod deinceps Editiones insedit. Sed non ita reformanda erat lectio vulgata, quæ Flor. Reg. Mei aliorumque MSS. auctoritate nixa est, sed unius tantum elementi mutatione sananda, uti a Lipsio & Grutero monitum: quibus in hac Editione obtemperavi reponendo post I. F. Gronovium, *inlusum isse*. Hanc enim constructionem Tacito in deliciis esse patet, 4, 66, 3. 73, 5. &c. Nam quod Salmasius ad Hist. Aug. vulgatam ante Rhenanum eo defendere conatur, quasi passivum pro activo positum sit, ut 15, 43, 3. *naves quæ frumentum Tiberi subvectæ essent.* quomodo omnes habere Codd. MSS. adseverat, me a sententia non dimovet. Nam in vulgatis post Rhenanum exemplaribus ibi legitur *subvectassent*, idque invenitur in Codice meo calamo exarato; immo in ipso Flor. *subvecta essent*, non *subvectæ essent*, ut Pichena per errorem prodit, legitur, proxima ad vulgatam accessione. Quod si tamen sic ibi Tacitus locutus (uti inveniuntur passiva active posita) inde non sequeretur hoc verbo ita usum. Sed res vocabulo hoc denotata monstro isti conveniens. Simile scelus in A. Plautium eumdem commisisse, antequam interficeret, Suetonius scribit in ejus vita cap. 35. & Cæsarem Borghiam in Astorem Manfredum Guicciardinus lib. V. Hist.

ut jam non præ matura neque sæva mors videri queat] Videtur dicere Britannicum videri posse mortem meruisse, quoniam ista ætate, qua intelligere poterat hanc turpidinem minime admittendam, tamen admisisset.

13, 18, 1. *qui arguerent viros gravitatem adseverantes*] Id est constanter præ se ferentes. Intelliguntur Burrus & Seneca.

quod domos, villasque ad id temporis quasi prædam divisissent] Vulgata: *prædas.* Sed Flor. & Meus: *quod domos, villas ad id temporis quasi prædam divisissent.* Reg. pariter *prædam.* Unde alterum adsumpsi.

13, 18, 5.

13, 18, 5. *quæ, ut conjugi Imperatoris solitum, & matri servabantur*] Beroaldus & Rhenanus: *Imperatoris solitum & ut matri s.* Quod Lipsius putat se verissime emendasse per, *olim tum.* Idque ita arrisit Pichenæ, ut contextui inseruerit: tamen si quærimus quomodo Tacitus scripserit, haud verisimilis hæc emendatio paret, quoniam omnes MSS. illi adversantur, eorumque scriptura non modo nihil ponit absurdi, sed locutionem etiam continet Tacito familiarem. Budensis enim Codex, Rhenano teste, item Reg. *Quæ, ut conjugi Imperatoris solitum, ut matri servabantur.* Flor. *Quæ ut conjugi Imperatoris solitum is & ut matri servabantur.* Meus: *quæ, ut conjugi Imperatoris solitum, & matri servabantur.* quomodo Faërnus divinaverat. Quod cum dubio procul verum, Lipsianæ conjecturæ a me prælatum est. Similiter 13, 16, 5. *solitum ita, ait, per comitialem morbum.*

13, 19, 2. *Ex quibus erat Junia Silana*] Lipsius putat hanc sororem Marci & Lucii Silanorum, qui Augusti abnepotes. Sed mihi id parum verisimile, quod nulla usquam mentio hujus consanguinitatis. Unde potius cum Reinesio * existimo filiam M. Iunii Silani, qui Consul a. 772. de quo ad 2, 59, 1, & 13, 1, 1. sororem Iuniæ Claudillæ, prioris Caji conjugis, quæ sorore ex partu mortua antequam Cajus imperaret, patre a Cajo interempto, bonorum ipsius ex asse heres Silio primum nupta, juventutis Romanæ pulcherrimo, 11, 12, 3. mox hujus matrimonio a Messallina depulsa, propter opes procis haud destituta, quos inter Sextius Africanus. * Ep. 50.

13, 19, 3. *quia Sextium Africanum nobilem juvenem a nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina*] Lipsius putat legendum *Sex. Africanum* pro *Sextium* & existimat filium L. Antonii, de quo 4, 44, 4. nepotem Iuli, quoniam is dictus Iulus Antonius Africanus: & propterea in domus Augustæ stemmate ab eo ponitur Sex. Antonius Africanus. Verum hæc sententia falsæ hypothesi innititur. Nam Julus Antonius non cognominatus est Africanus, sed qui cum eo Consul a. 744. Q. Fabius Maximus, teste Suetonio Claud. cap. 2. *Claudius natus est Julo Antonio, Fabio Africano Coss. Kalendis Augustis Lugduni.*

duni. In quo loco frustra ex corruptis Fastis Suetonium erroris insimulatum a doctis aliquot viris Rupertus ostendit Ep. XXVII. ad Reinesium e nummo apud Goltzium, in cujus uno latere: IVL. ANTON. M. F. Q. MAX. AFRICAN. in altero: L. ARRVNTI. L. F. II VIR. Accedit, quod MSS. Flor. Reg. & Meus hic clare habent *Sextium.* ut 14, 46, 3. *Sextio.* & ne dubitemus *T. Sextius Africanus* occurrit in antiquæ Tabulæ Fragmento, qua sacrificia in Capitolio mense Ianuario pro salute Neronis Consulis facta perscripta sunt, teste Pighio Tom. III. Annal. item in alio Fratrum Arvalium apud Gruterum.

13,19,4. *parat accusatores ex clientibus suis*] Cod. meus: *ex clientulis.* & supra scriptum *clientelis.* quod amicus a Tacito credebat, quoniam ei familiare, ut 14, 61, 4. H. 2, 72, 1. & 39, 6. Sic *obsidium* pro obside in MS. meo 15, 1, 3.

destinavisse eum Rubellium Plautum per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere] Natus hic fuit patre *Rubellio Blando*, matre *Iulia* Tiberii ex Druso nepte. vide ad 6, 27, 1. Drusi autem uxor fuit Livilla Germanici soror. Ergo quarto gradu ambo ab Augusto aberant, non quinto, ut Ferrettus computat ad 14, 55, 2. Nero enim per Agrippinam matrem, Agrippinam aviam, Iuliam proaviam; *Plautus* per Iuliam matrem, Drusum avum, Tiberium proavum; Augustum habebant abavum. Nec aliter in linea recta Pontificum Canones computant. Meminit hujus *Rubellii* Iuvenalis Satyra VIII. v. 39.

tecum est mihi sermo Rubelli
Blande, tumes alto Drusorum sanguine, tamquam
Feceris ipse aliquid propter quod nobilis esses,
Vt te conciperet quæ sanguine fulget Iuli.

In quo loco Lipsius sine necessitate pro *Blande* rescribi jubet *Plaute*, & juvenilius Torrentium carpit, vulgatam lectionem auctoritate vetustissimorum exemplarium adserentem in Notis ad Suetonii Neronem cap. 35. Nam & Membranæ Iuvenalis, quæ penes me sunt, satis antiquæ, illud *Blande* habent, verum hoc ordine:

tecum

tecum est mihi Blande Rubelli
Sermo, tumes alto Drusorum sanguine.

Dein quæ necessitas mutandi? an inauditum Romanos pluribus cognominibus usos? Cum igitur pater *Rubellius Blandus* dictus fuerit, filius *Rubellius Blandus Plautus* dictus videtur. Præstitisset observasse ad Iuvenalem, quod qui ab illo satyrico sale perfricatur, a Tacito non mediocriter laudetur, 14, 22, 2. 3, & 59, 1. &c.

conjugioque ejus etiam imperio, Rempub. rursus invadere] Ita habet MS. Reg. Flor. *conjugioque ejus etiam perio.* suprascriptum, *potiri.* Unde Pichena, *conjugioque ejus etiam pacto.* Oxon. *conjugioque ejus etiam potiri ac rempub.* Meus: *conjugioque ejus etiam imperium & Rempub. r. i.* Nicolaus Heinsius legebat: *conjugioque ejus ceu Imperii pretio Rempub. r. i.* ut 13, 43, 5. *Pretia scelerum.* 13, 56, 2. *proditionis pretium.* 15, 12, 3. *duas in iis legiones pretium laboris peti.* & Propertii:

Conjugii obsceni pretium Romana poposcit
Mœnia.

De omissis autem syllabis actum 12, 63, 3.

13, 20, 4. *quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus*] Cod. meus: *qui diversa prodiderunt.* & sic fuisse in Budensi testatur Rhenanus. Flor. *qui diversa prodiderint.* Reg. *qui diversa prodiderant.* a manu secunda: *prodiderint.*

13, 20, 5. *sed cuicumque*] MS. meus: *sed cuique.*

13, 20, 6. *omniaque temeritati & inscitiæ propiora*] Ita Flor. Reg, & Meus. Oxon. *inscientiæ.*

13, 21, 6. *& cetera apiscendo imperio præpararentur*] Ita edidi e MS. meo pro *adipiscendo.* quoniam illo Auctor delectatur, 3, 27, 2. 4, 59, 5. 6, 3, 1. 6, 45, 8.

13, 21, 8. *at si Plautus aut quis alius Rempub. judicaturus obtinuerit*] Cod. meus: *Rempub. invasurus o.* sed vulgatam tuetur Flor. & Reg. Videtur autem hic ejus sensus: quomodo an ego possim sperare securitatem sub Plauto Principe aut alio, qui de me, si accuser, judicaturus sit? si mihi sub filio non desint accusatores, qui non deferant, quod lugeam privignum, aut nurus vicem doleam, *verba impatientia caritatis aliquando incauta*, (13, 14, 4.) & sic facile excusanda: sed quod alium conjugio im-

perioque destinem, hoc est ea crimina objiciant, *quibus nisi a filio mater absolvi non possim.* Ita locum hunc obscurum illustrat I. F. Gronovius lib. I. Observ. cap. 22.

13, 22, 1. *Præfectura annonæ Fenio Rufo*] Qui postea prætorio præfectus cum Sofonio Tigellino 14, 51, 4. Apud Martialem occurrit *Fenius Telesphorus* lib. I. Epigr. 115.

Ægyptus C. Balbillo permittuntur] *Balbilli* hujus meminit cum laude Seneca lib. IV. Nat. Quæst. cap. 2. Plinius in procem. lib. XIX.

13, 22, 2. *Suria P. Antejo destinata & variis mox artibus elusus, ad postremum in Urbe retentus est*] Hic unus ex Germanici quondam Legatis, 2, 6, 1. pro, *& variis*, Nicolaus Heinsius legebat, *sed variis*, postulante sententia.

13, 23, 1. *Cornelius Sulla*] De hoc dictum ad 12, 52, 1.

13, 23, 3. *nihil unquam se domi nisi nutu aut manu significasse*] Similis superbiæ species occurrit apud Curtium de Philota lib. VI. cap. 6. *Ludibrio ei fuisse rusticos homines Phrygasque & Paphlagonas adpellatos: qui non erubesceret Macedo natus homines linguæ suæ per interpretem audire.*

13, 23, 4. *& tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii monumenta retrahebat*] Ita habent Codd. Flor. Reg. & Meus.

13, 25, 1. *Q. Volusio P. Scipione Coss.*] Hic *Q. Volusius filius* fuit *L. Volusii Saturnini*, de quo 13, 30, 4. Plinius lib. VII. cap. 14. *Nuper etiam L. Volusio Saturnino in Urbis præfectura extincto notum est Corneliæ Scipionum gentis Volusium Saturninum, qui fuit Consul, genitum post LXII annum. P. Scipio* videtur Poppææ maritus 11, 2, 3. & qui *Scipio Cornelius* 12, 53, 3. filius *Cornelii Scipionis*, qui Legatus Blæsi in Africa a. 775. nepos *P. Cornelii Scipionis*, qui Consul cum L. Domitio a. 738. Videntur autem anni hujus Coss. consobrini ex Plinii modo adducto loco.

ut ipse quoque acciperet ictus & ore præferret] MS. meus: *& ore perferret.* Budensis Rhenano teste: *& fore se Cæsarem præferret.* quomodo se reperisse etiam in Oxon. testatur Jacobus Gronovius V. C. qui

qui inde facit, *& ore cicatricem præferret.* amicus: *ore se cæsum præferret.* Sed Flor. & Reg. vulgatam repræsentant, (nisi quod hic *exciperet*, pro *acciperet.*) videturque τὸ *Cæsarem* ex sequenti membro perperam huc inlatum.

13, 25, 2. *augebanturque injuriæ adversus viros feminasque insignes*] Cod. meus: *feminasque illustres.* uti Farn. quoque habuisse notat Lipsius.

& in modum captivitatis nox agebatur] Ita habent Flor. Reg. & Meus: quod Lipsius perperam mutatum ibat in *captæ civitatis.* nam similiter 16, 16, 3. *Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, semel editam transire licet.*

13, 25, 3. *Iulius quidam Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset*] Vide de hoc loco ad 2, 59, 4.

quia vim tentantem acriter repulerat] Cod. meus: *vi attentantem.* Reg. *via temptantem.*

deinde agnitum oraverat] Reg. *deinde adargiritum o.* Meus: *deinde adagnitum o.* ut Rhenanus fatetur se reperisse in Budensi. Unde I.F. Gronovius: *deinde & agnitum o.* recte.

13, 25, 5. *Ludicram quoque licentiam & fautores histrionum velut in prœlia convertit*] *Fautorum* talium meminit 1, 77, 4. 13, 28, 1.

13, 26, 2. *perscripsere tamen consensum Senatus illi, an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos & sententiæ adversos*] Flor. *perscripsere tamen consensum Senatus. Ille an auctor* &c. Reg. *perscripsere tamen consensum Senatus, ille jam auctor.* Meus: *perscripsere tamen consensum Senatus illi: an auctor.* quomodo Lipsius conjecerat. Unde sic edendum curavi. Similiter 14, 49, 3. *At Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari.* In ultimo autem membro cum Freinshemio putem pro, *& sententiæ adversos*, scribendum, *ei sententiæ adversos.* Ut Consules scripserint Principi totum fere Senatum huc inclinare, se tamen ea de re nolle referre eo inconsulto, putare autem cum pauci diversam sententiam foveant, eum inclinationem Senatus facile secuturum, & constitutionis auctorem futurum. Eodem enim modo 14, 49, 1. *post-*

quam

quam discessionem Consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere, paucis exemptis.

vi ne an æquo cum patronis jure agerent; sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impulere vel pœnam suam dissuadentes] Ita Cod. Flor. & Reg. nisi quod hic *jurus*, pro *jure*. corrupte. Meus: *intenderent impudentes vel pœnam suam dissuadentes.* in reliquis cum Flor. consentit. Cujus scriptura non videtur contemnenda; quoniam mutato solum τῷ *consultarent* in *conculcarent* vel *consputarent*, sensum subjicit facilem & rei de qua agitur, satis convenientem: *Vine ne an æquo cum patronis jure agerent.* id est non jam ut inferiores, ne quidem ut pares se gerere libertos cum patronis sed propemodum vi agere. *sententiam eorum conculcarent.* sic ut sententiam ab illis in Senatu dictam non modo exploderent. *ac verberibus manus ultro intenderent impudentes vel pœnam suam dissuadentes.* Verum etiam manus intentarent quasi ad verberandum per summam impudentiam, vel in dissuadenda sua pœna eo provecti per calorem. similiter 3, 36, 2. *liberti etiam ac servi patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur.* Nam quod hic addantur *verbera* exaggerandæ libertorum immodestiæ factum non ex veritate putandum est. *Intendere* enim & *intentare manus* proprie est manus & bracchia movere, ut solent facere irati & minantes dum rixantur, antequam adhuc ad verbera deveniant. Sic 4, 3, 2. *Drusus orto forte jurgio intenderat Sejano manus, & contra tendentis os verberaverat.* 13, 14, 6. H. 4, 41, 4.

13, 26, 4. *Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?*] Manifestus error in lapidum numero, & pro *vicesimum* legendum *centesimum*, uti subindicavit jam olim Lipsius, asseruere Salmasius & Camillus Peregrinus. Ratio, quia præfectus Urbi, ad cujus jurisdictionem querelas patronorum de libertis pertinuisse Ulpianus docet l. 1. D. de off. Præf. Urb. intra *centesimum* lapidem cognoscebat, ut ultra hunc Præfectus Prætorio; uti dicitur in eadem lege, item l. 9. D. de Off. Proconf. Dein quia *Campania*, quæ trans Lirim & Minturnas, ab Ur-

be

be distat centum & septem milliaribus, juxta Antonini Itinerarium.

13, 27, 2. *ministeria magistratibus & sacerdotibus*] *Ministeria* pro ministris. Vide ad 15, 1, 3.

13, 27, 3. *Si separentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum*] Cod. Flor. *separarentur*. ut ante Rhenanum. Meus vulgatam tuetur. Reg. *separantur*.

13, 28, 1. *& plebei Tribunum Antistium*] Vide 14, 48, 1.

13, 28, 5. *Eo Helvidius Priscus*] I. F. Gronovius pro *Eo* legit *Et*.

13, 30, 1. *Damnatus iisdem Consulibus Vipsanius Lenas*] Cod. meus: *Damnatus inde Consul Vipsanus L.* Unde forte, *Vipstanus* scribendum. Vide ad 14, 1, 1. & 11, 23, 1.

13, 30, 2. *veneno damnationem antevertit*] Cod. Flor. *ante iit*. uti & Bud. Rhenano teste.

13, 30, 3. *C. Aminius Rebius*] Ita Cod. Flor. sed Meus: *C. Annaus Rebius*. Lipsius nescit an *Caninius Rebilus*, sit corrigendum. Certe *Rebilo* Consulari sub Caligula, duo tribuuntur, quæ hic *C. Aminio Rebio*, magnæ divitiæ vitæque infamia, a Seneca lib. II. de Benef. cap. 21. & *Rebilus* cognomentum gentis *Caniniæ*.

13, 30, 4. *L. Volusius*] Filius, ut puto *L. Volusii*, qui ante annos quinque & triginta mortuus, 3, 30, 1. Lipsii in hoc diligentiæ addendus Columellæ locus lib. I. cap. 7. *Sed & ipse nostra memoria veterem consularem, virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi, patris familias felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet & tanquam in paterna possessione natos jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret.*

13, 31, 1. *Nerone secundum L. Pisone Coss.*] *L. Calpurnius Piso* filius fuit *L. Calpurnii Pisonis*, qui Consul cum M. Licinio Crasso a. 780. 4, 62, 1.

nisi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere] In vulgatis hactenus Editionibus legebatur, *adstruxerat*. Sed in duobus Codd. Flor. & meo, *exstruxerat*. quod prætuli.

13, 31, 3. *Vectigal quoque quintæ & vicesimæ venalium*

nalium mancipiorum remissum, specie magis, quam vi] Lipsius in Addendis pro *quintæ & vicesimæ* reponit *quinquagesimæ* propter Dionem, qui lib. LV. Προσδεόμενος δὲ δὴ χρημάτων, ἔς τε τοὺς πολέμους καὶ ἐς τὴν τῶν νυκτοφυλάκων τροφήν, τό, τε τέλος τὸ τῆς Πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. *Pecunia ad bella & nocturnos vigiles alendos indigens quinquagesimam venalium mancipiorum instituit.* Sed idem in Admir. lib. II. cap. 4. (quæ Lovanii octodecim annis post Tacitum, quem in hac urbe elaboraverat, publicavit) retractans tacite sententiam apud Dionem pro πεντηκοστῆς existimat πεντεικοστῆς rescribendum. Quod feliciter a solertissimo sene factum Manuscriptorum pro vulgata apud Tacitum lectione consensus clamat.

13, 32, 1. *Factum & Senatusconsultum ultioni juxta & securitati*] Hoc SCtum Pisonianum dicitur l. 8. D. de SCto Silaniano. Vide Cujacium lib. I. Observat. cap. 18.

13, 32, 2. *Redditur ordini Lusius Varius Consularis*] Cod. Flor. *Lurius Varius.* Meus: *L. Varius.* Unde vix dubito, quin sic rescribendum. *Varia* enim gens nota jam a temporibus Ciceronis, apud quem *L. Varius Cotyla*, Ædilis.

Pomponia Gracina insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britanniis retulit, nupta ac superstitionis externæ rea, *mariti judicio permissa*] Hæc fuit filia *Pomponii Græcini*, ad quem Ovidius scripsit Ep. IX. lib. IV. ex Ponto. Nam quod filiam potius existimem quam sororem (de quo dubitat Lipsius) ætas *Græcini* & fratris ejus Flacci, qui Cos. a. 770. facit: tum quadraginta anni quibus post Iuliæ Drusi filiæ necem superfuisse dicitur, flagitant. Ceterum Rudolphus Agricola Codicis sui margini hic adscripsit, *Christianam ego crediderim hanc fuisse.* In quo virum doctissimum nil temere opinatum facile deprehendet, qui cogitaverit D. Paulum superiore anno, Neronis secundo Romam appulsum: & religionem Christianam, *superstitionis* nomine infamatam olim ab ejus hostibus. Unde 15, 44, 5. *exitiabilis superstitio.* Suetonio Ner. cap. 16. *superstitio nova ac malefica.* Plinio lib. X. ep. 97. *superstitio prava & immodica.* Hujus quoque sententiæ fuere Rhenanus & Lipsius.

&

& insontem nuntiavit] Ursinus tamquam ex V.C. *pronuntiavit*. quomodo reposuissem, si & in meis invenissem, qui nil mutant.

13, 32, 3. *Nam post Iuliam Drusi filiam dolo Messallinæ interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit*] Iulia Drusi a Messallina sublata a. 795. unde ad a. 710. elapsi anni quindecim: sed hic non finis Pomponiæ, sed longa ejus vita occasione accusationis ejus commemoratur. Adeo ut Lipsius hic non mediocriter aberret, dum pro *quadraginta*, quod Flor. & Meus exserte referunt, scribit *quatuordecim*: quod Pichena temere contextui inseruit. Inductus in hunc errorem Lipsius videtur, quod Pomponiam hanc sororem potius quam filiam Pomponii Græcini crederet.

13, 33, 3. *Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant*] *Eprius* hic Prætor fuerat unius diei a. 801. 12, 4, 4. quare cum a. 810. *a Lyciis* repetundarum postulatus fuerit, videtur Pamphyliam obtinuisse a. 809. *Lyciam* enim adempta libertate Pamphyliæ a Claudio contributam a. 796. Dio scribit lib. LX. Seguinus ad hunc pertinere nummum Græcum existimat, in cujus una area circum caput cum diademate: ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ. in altera circum figuram stantem dextra pomum, sinistra hastam tenentem: ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. ΑΝΘΥ in ipsa area: ΚΥ. Præterea alterum refert sese nactum cum capite Titi eodem typo eademque prorsus in averso latere epigraphe. Ex quibus colligit *Eprium Marcellum* Proconsule *Cyprum* administrasse. Nec pugnant hi nummi cum Proconsulatu *Pamphyliæ* ab eodem post Præturam administrato, quoniam *Cyprus* ex Consulatu, quem sub Vespasiano suffectum gessisse verisimile est, obvenire potuit. Et quoniam Titi vultus in altero occurrere dicitur, hujus tempore, post elapsum scilicet a Consulatu decennium, juxta Tiberii constitutionem, administrationem hanc contigisse discimus. Cur vero *Senatus* in priore appelletur *Deus* difficilis explicatio est. Forte ita hunc vocavit *Eprius*, quod bis ab eo absolutus fuerit, semel a *Lyciis* accusatus sub Claudio, iterum ab Helvidio Prisco sub Vespasiano. Simili adulatione amplissi-

plissimum ordinem a rege Prusia affectum Polybius prodidit teste Livio lib. XLV. cap. 44. *Polybius eum regem indignum majestate nominis tanti, tradit; pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre: & ideo insignia ordinis ejus gerere. Romæ quoque quum veniret in curiam summisisse se, & osculo limen curiæ contigisse; & Deos servatores suos Senatum appellasse.* Sed turbat adhuc numerus singularis cum nomine collectivo: tum vultus, ut dicitur, alius quam Titi: quod doctiores explicent.

13, 34, 1. *Nerone tertium Consule simul iniit Consulatum Valerius Messalla, cujus proavum oratorem Corvinum, divo Augusto abavo Neronis collegam in eo magistratu fuisse pauci jam senum meminerant*] *Valerius Messalla* anni hujus Consul filius fuit *M. Valerii Messallini*, qui Consul a. 773. nepos *M. Valerii Messallæ* vel *Messallini*, qui Consul a. 751. pronepos *M. Valerii Messallæ Corvini* Oratoris, qui Consul cum Augusto III, a. 723. Vide ad 3, 2, 5.

13, 34, 3. *Aurelio quoque Cottæ*] Hic est *Aurelius Cotta Messallinus*, qui Consul a. 773. de quo ad 3, 2, 5.

& Haterio Antonino] Hic est *Q. Haterius* qui Consul a. 806. de quo 13, 58, 1.

13, 34, 4. *mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur*] Cod. meus: *prolatum.* ut fuit ante Rhenanum. Amicus malebat, *resumitur.*

13, 35, 1. *Quippe Suria transmotæ legiones pace longa segnes, munia Romanorum egerrime tolerabant*] Freinshemius legit: *munia armorum e. t.* quod omnino placet. Inepta enim lectio vulgata, quem colorem ei etiam quærat Boxhornius. Sic *munia militiæ* 15, 11, 1. H. 1, 48, 4. *munia belli* H. 2, 29, 3.

13, 35, 6. *Ipse cultu levi*] Cod. meus: *cultu avi.* & emendatum, *levi.* Similiter G. 6, 3. *nudi aut sagulo leves.* respectu armorum. Ergo *levis cultus*, ut *levis armatura.*

13, 36, 1. *ne pugnam priores auderent, prædicit*] Cod. meus: *priores adirent, edicit.*

13, 36, 2. *Curam præsidiorum Pactio Orphito &c. man-*

mandat] Ita habent Codd. calamo exarati Flor. & Meus.

13, 37, 3. Simul Antiochum regem monet *proximas sibi præfecturas petere*] Intelligitur Antiochus Cilix, de quo 12, 55, 4. Ex hoc autem loco patet supra 13, 7, 2. pro *Iocchum* recte emendatum *Antiochum*.

13, 37, 4. *Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant*] Ita Codd. Flor. & Meus ut Muretus voluerat: non *vertebantur*: atque ita solet, ut 6, 6, 2. & 19, 1. O. 4, 1. G. 31, 1. &c.

13, 37, 5. *non desore Arsacidis virtutem fortunamque sæpius jam clade Romana expertum*] 12, 2, 3. *femina expertæ fecunditatis*.

13, 38, 1. *nihil in summa pacis proficiebatur*] Malo, *in summam*. cum Faërno, Ursino, Mureto, aliis. Sic H. 2, 16, 2. *tanta mole belli nihil in summam profutura*.

13, 38, 3. *Ideo artum inde numerum finiri & hinc majorem offerri, ut dolus pararetur*] Ante hic legebatur, *afferri*. Quod alii ex Interpretibus mutandum in *offerri* jam viderunt, alii in *ferri* amputandum censuerunt. Sed cum Cod. meus clare habeat *offerri*, idque proprie huc spectet, exhibere non dubitavi. Similiter hæc vox corrupta H. 1, 7, 3. *Iam offerebant venalia cuncta præpotentes liberti*. ubi in vulgatis hactenus, *afferebant*. sed idem Cod. ut edidi.

13, 38, 4. *Dissimulato tamen intellectu*] Ita MSS. *Intellectus* hic ponitur passive pro re intellecta vel intelligentia insidiarum, uti recte monet Aurelius. Et sic Iureconsulti loquuntur. Triphoninus l. 55. §. ult. D. de Administr. & peric. tut. *Quod autem dicitur desiisse solvendo esse vel non esse, contutores præstare debere, videamus qualem intellectum habet.*

13, 39, 3. *Instejo Capitoni*] Cod. meus: *Histrio Capitoni*. Edd. ante Pichenam: *Isteo Capitoni*. sed in Flor. *Instejo Capitoni* ut videtur recte. Nam in Inscriptionibus *Instejus* & *Insteja* sæpius: apud Vellejum lib. II. cap. 16. *Instejus Cato*. Videtur idem qui 13, 9, 2. perperam *Histejus*.

13, 39, 4. *sed perfidiam & ignaviam fuga confitentem*] Cod. meus: *sed perfidia & ignava fuga confidentem*.

13, 39, 5.

13, 39, 5. *subruendo vallo*] Sic H. 2, 22, 3. *Legionarius pluteis & cratibus tectus subruit muros.*

13, 39, 8. *in deditionem veniebant*] Cod. meus: *venere.*

13, 39, 9. *Nec tamen proximo itinere ducta legiones, quæ si amnem Araxem* &c.] Cod. meus: *deducta legiones.* pro, *quæ si*, amicus legebat, *quia si.*

13, 40, 1. *& dato die prælium incipere*] Amicus dubitabat, an potius: *& nato die p. i.*

13, 40, 4. *productiore cornuum sinistro*] Hæc lectio ab emendatione Lipsii est, qui ex vulgata, *productior cornu in sinistro*, sic fecit. Sed Cod. meus: *productiore cornu sinistro.* Flor. *productiore corn; sinistro.* juxta collationem.

13, 41, 1. *obsidioque circumdaret*] Ita habent Codd. Flor. & Meus: quorum auctoritatem secutus sum. Ante edebatur *obsidioneque c.*

13, 41, 5. *Nam cuncta extra tecta hactenus sole inlustria fuere*] Hanc lectionem Lipsius mutavit in: *cuncta extra tectis tenus s. i. f.* quod insequentes Editores secutos miror. Quid enim in vulgata, quod possit offendere? an quod non adverterint *hactenus* esse huc usque, ut 2, 34, 4. 14, 3, 2. 15, 60, 4. 16, 15, 3. &c. Certe Cod. meus: *Nam cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuere.* atque ita pariter Flor. nisi quod pro *tecta* subjiciat *tectis.*

13, 41, 7. *C. Cassium*] De hoc actum ad 6, 15, 1.

quis divina colerentur & humana non impedirent] Ante Rhenanum legebatur *colerent*, quomodo habet Flor. idque melius convenire videtur τῷ *impedirent.*

13, 42, 1. *Is fuit P. Suillius*] Videtur dictus M. *Suillius*, ut dictum 12, 25, 1. Quæstor quondam Germanici, 4, 31, 4. Ad hunc scripta Ovidii Epistola VIII lib. IV ex Ponto. Unde patet in matrimonio habuisse filiam uxoris Ovidii: ait enim

Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia pœne est:
Et quæ te generum, me vocat illa virum.

& in fine:

Tangat ut hoc votum cœlestia, care Suilli,
Numina, pro socero pœne precare tuo.

Nam ne alium putemus, crebra Germanici mentio, in eadem facta, vetat; & initium jubet:

Littera sera quidem, studiis exculte Suilli,
Huc tua pervenit, seu mihi grata tamen.

13, 43, 1. *direptos socios cum Suillius provinciam Asiam regeret*] Factum hoc sub Tiberio & jam ex parte punitus eo nomine fuerat Tiberio adhuc vivo; quoniam autem pœna remissa eo mortuo, hinc eadem iterum administratio in crimen adrepta est, uti colligi potest ex iis, quæ noster scribit 4, 31, 4.

13, 43, 3. *Ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum*] De *Q. Pomponio* egit 6, 18, 2. belli civilis, ad quod is detrusus, nulla uspiam mentio in his libris, præterquam hoc loco. Verisimile illud intelligi, quod a Camillo Scriboniano motum anno Claudii secundo, V. C. 794. de quo consulendus Dio lib. LX.

Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos] Cod. meus: *L. Saturninum.* Meminit horum Seneca in Apocol. ubi alterius nomen adhuc corruptius legitur: *Convolarunt primum omnium liberti, Polybius, Myron, Harpocras, Amphæus & Pheronactes, quos omnes necubi imparatus esset, præmiserat. Deinde præfecti duo Iustus Catonis & Rufius Pompeji F. Deinde amici Saturnius Luscius & Pedo Pompejus & Lupus & Celer Asinius Consulares.* ubi corrigendum, *Saturninus Lusius.* uti Hadrianus Iunius dicit se reperisse in vetere Codice. *Cornelium Lupum* Cretæ præfuisse sub Tiberio Gisbertus Cuperus V. A. suspicatur ex nummo Tiberii nuper publicato, in cujus una area circum hujus Principis caput laureatum: ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΥΠΟΥ. in altera circum caput barbatum & velatum: ΣΥΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. ΚΥ.

jam equitum Romanorum agmina damnata] Seneca ibidem: *Occisos Senatores XXX, equites Romanos CCCXV atque plures: ceteros CCXXI.* Ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Suetonius Claud. cap. 29.

13, 43, 5. *Cur enim neminem alium delectum*] Ante hic edebatur *electum*. Sed Flor. & Meus: *delectum*, atque ita alias loquitur, ut 4, 12, 6.

13, 43, 7. *Filium ejus Nerulinum aggressis accusatoribus*] Cod. Flor. *Nerullinum.* Meus: *Verullinum.*

13, 44, 2. *adversum patris voluntatem*] Cod. meus: *aversum.*

13, 44, 5. *& pars tenebrarum libidine seposita*] Puto ab Auctore scriptum, *libidini seposita.* uti a Rhenano & aliis monitum. Sic *sepositus pœnis locus* 15, 60, 2. *sepositi usui militum agri* 13, 54, 1. ut mirer *seposita libidine pars*, exponi *exacta* in Indice Freinshemiano: nusquam enim *seponere* pro exigere memini mihi lectum, &, ut notet, etymologia vetat.

Et questu incensus] Cod. Flor. *& quaestim census.* Meus: *Et quæsiti census.*

13, 45, 2. *T. Ollio patre genita*] Cod. meus: *T. Ellio.* & mox iterum: *Ellium.*

Ollium honoribus nondum functum, amicitia Sejani pervertit] Suetonius Ner. cap. 35. *Uxores præter Octaviam duas postea duxit: Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam & equiti Romano ante nuptam.* &c.

13, 45, 6. *in matrimonio Rufii Crispini*] Flor. & Meus: *Rufi Crispi.* Vulgata hactenus *Rufi Crispini.* Sed scribendum, ut editum, probavi ad 12, 42, 1. Apparet autem ex hujus mentione hic & 15, 71, 6. errare illos, qui *Rufum Pompeji F.* in Apocol. Senecæ hunc interpretentur.

ex quo filium generat] Cujus nomen corrupte apud Suetonium scribitur Ner. cap. 45. uti jam monitum.

nec mora quin adulterio matrimonium jungeretur] His contradicit H. 1, 13, 5. *eoque jam Poppæam Sabinam principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur.* idque Plutarchus sequitur in Galba, & Suetonius Oth. cap. 3.

13, 46, 2. *se ire ad illam sibi concessam dictitans nobilitatem*] Cod. Flor. *seque ire ad illam ubi c. d. n.* Meus: *se ire ad illam ubi concessam dictitaret nobilitatem.* quomodo pariter in Budensi. Sed vulgata lectio his præstare videtur: nisi quod τὸ *dictitans* ponatur serius & abesse posset. Errati præterea suspicionem auget quod eadem vox occurrat mox iterum in Poppææ verbis. Unde V. C. Iacobus Perizonius hic legit: *concessam divinitus nobilitatem.* ut intelligatur *dicens* vel *dictitans*, ut 3, 34, 1.

13, 46, 3. *imparem cupidini se & forma Neronis captum*] Cod. meus: *imparem cupidinis & forma N. c.*

nec posse matrimonium amittere] Cod. meus: *omittere*.

devinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret] Ita Codd. Flor. & Meus.

13, 46, 5. *ne in Urbe æmulatus ageret*] Amicus malebat: *angeret*.

13, 47, 1. *suspectabat maxime Cornelium Sullam*] De hoc egimus ad 12, 52, 1.

13, 47, 2. *a Tiberio usque domum Principum edoctus*] Cod. meus: *a Tiberio avo usque ad domum P. e.* Flor. *a Tiberio avo usque domum P. e.* 14, 55, 2. *Avus meus Augustus. Domum Principum edoctus*, ut H. 2, 90, 2. *vulgus* &c. *solitas adulationes edoctum.*

13, 47, 3. *quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit*] Hi erant ad portam Collinam, quæ proxima Flaminiæ in dextro Tiberis latere, ut patet H. 3, 82, 6.

13, 48, 1. *Iisdem Consulibus auditæ Puteolanorum legationes. quas diversas ordo plebesque ad Senatum miserant*] Hactenus hic edebatur, *quas diversas Senatorius ordo*. Sed cum Codd. scripti, Flor. Meus & Bud. destituantur voce *senatorius*, quod alii faciendum monuerunt, eam expunxi. *Ordo* enim pro decurionibus in municipiis aut coloniis passim occurrit. H. 2, 52, 4. *Ordo Mutinensis*. In Gruteri Inscriptionibus: *Ordo Allifanorum*, *Arimensium*, *Aquilejensium*, *Arretinorum* &c. in D. tit. *de Decretis ab ordine faciendis*. l. 2. C. de Profess. & Med. *Grammaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitum non est*. &c. Quamquam enim *Senatus Centuripinorum* apud Ciceronem lib. II. in Verr. cap. 67. & similia occurrant in Inscriptionibus; tamen haud verisimile Tacitum, ubi ad Senatum a decurionibus Puteolanorum legatos missos narrare voluit, decuriones hos appellasse *ordinem Senatorium*.

hi magistratuum & primi cujusque avaritiam increpantes] Cicero lib. II. in Verr. cap. 67. *evocat ad se Centuripinum magistratum & decem primos* Hinc *decem primatus* l. 1. §. 1. D. de Munic. & honor. *Decaproti* l. 3. § 10. eod. & in Jure sæpe.

ad Scribonios fratres ea cura transfertur] Hos H. 4, 41, 5. edita hactenus exemplaria *Scribonianos fratres*

vocant: sed Flor. & Meus MSS. ut edidimus, *Scribonios*. Quorum alter *Rufus*, alter *Proculus* dictus, Dione teste, qui ambos Germaniæ utrique eodem tempore præfuisse & a Nerone arcessitos in Græciam atque interemptos scribit in Excerpt. lib. LXIII. Existimo filios aut nepotes *L. Scribonii Libonis*, qui Cos. a. 769. vide ad 2, 27, 3.

13, 52, 1. *Sulpicium Camerinum*] Hic deinceps ab Helio Neronis liberto, dum ipse in Græcia peregrinaretur, simul cum filio interemptus, teste Dione in Excerpt. lib. LXIII. Meminit Fragmentum Fratrum Arvalium apud Gruterum: in quo *Magister* dicitur. Videtur filius *Q. Sulpicii Camerini*, qui Consul cum C. Poppæo Sabino a. 762.

13, 53, 2. *Paullinus Pompejus & L. Vetus ea tempestate exercitui præerant*] Ita Flor. & Meus: in vulgatis hactenus copulativa aberat. *Paullinus Pompejus* videtur frater Pompejæ Paullinæ, uxoris Senecæ: de quo Plinius lib. XXXIII. cap. 11. *At Hercules Pompejum Paullinum Arelatensis equitis Romani filium, paterna quoque gente pulsum, quod duodecim pondo argenti habuisset apud exercitum, ferocissimis gentibus oppositum scimus.* Ad hunc scripsit Seneca librum de Brevitate vitæ. *L. Vetus* est *L. Antistius Vetus*, qui Consul a. 808. supra 13, 11, 1.

ille inchoatum ante tres & sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit] Videtur legendum, *ante sex & sexaginta*. *Drusus* enim Consul fuit a. 745. atque in magistratu mortuus est in Germania bellum gerens. Ab hujus anni principio ad 811. finem elapsi anni LXVI. Nescio quid velit Acidalius, quando ex Mureti mente notat rescribendum, *tres & quadraginta*. Quem autem hic *aggerem* vocat H. 5, 13, 2. *molem* dicit. Ubi de natura & loco hujus *aggeris* vide.

13, 53, 4. *Invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ Legatus*] Cod. meus: *Ælius Gracchus*. quomodo Lipsius pariter se reperisse in libris testatur.

deterrendo Veterem] Ita Flor. & Meus. Edd. ante Rhenanum: *Vetere*. quomodo & Oxon.

quo plerumque prohibentur conatus honesti] Cod. meus: *cohibentur*.

13, 54, 1. *Eoque Frisii juventutem saltibus aut paludibus*

ludibus, imbellem ätatem per lacus admovere ripæ] Cod. meus: *ætatem condentes admovere r.*

13, 54, 2. *Dubius Avitus*] Ita habent Flor. & Meus. Plinius lib. XXXIV. cap. 7. *Statuam Arvernorum cum faceret, provinciæ Dubio Avito præsidente.* uti est in Cod. Vossiano. vulgata exemplaria, *Vibio Avito.* Ab hoc diversus *Avitus*, qui Britanniæ Legatus 14, 29, 1.

13, 54, 5. *quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui & bona æmulatione*] Amicus: *& e bona æmulatione.* Iuretus: *& boni æmulatio.* MSS. nil mutant.

13, 55, 1. *quia pulsi a Chaucis & sedis inopes tutum exsilium orabant. Aderatque iis*] Cod. meus: *postulabant aderatque his.*

13, 55, 2. *stipendia meruisse. Quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere*] Cod. meus: *meruisse & quinquaginta.*

13, 55, 3. *Quotam partem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitterentur?*] Amicus: *alenda non transmitterentur.*

Servarent sane receptus gregibus inter hominum famem] Ita Freinshemius de ingenio constituit, cum ante legeretur: *Servarent sane receptos gregibus inter hominum famam.* Et hanc emendationem confirmat penitus MS. meus: nisi quod *famam* correctum superscripta litera *e* eadem manu & atramento in *famem.*

13, 55, 5. *& cetera sidera vocans*] Nicolaus Heinsius legit: *advocans.*

13, 56, 1. *neque alios judices, quam se ipsos paterentur*] I. F. Gronovius delet τὸ *se*, postulante, ut videtur, sensu: id est non paterentur Ansibarii alios judices, quam ipsos deos.

13, 56, 2. *ipsi Bojocalo ob memoriam amicitiæ daturum agros. quod ille ut proditionis pretium adspernatus*] Nicolaus Heinsius legit: *quos ille* &c.

Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur non potest] Ita clare Cod. meus: unde non amplius de hac lectione dubitandum, tamquam ab Rhenani ingenio profecta.

13, 56, 3. *Avitus scripto ad Curtilium Manciam superioris exercitus Legatum*] Meminit *Curtilii Manciæ*

ciæ Phlegon De Reb. Mirab. cap. 27. Ἐν Γερμανίᾳ, ἐν τῷ στρατῷ τῶν Ῥωμαίων, ὃς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κουρτιλίῳ Μαγκίᾳ τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο. Δοῦλος γὰρ στρατιώτου ἔτεκεν, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Κόνωνος· ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Κοΐντου Οὐολουσίου Σατορνίνου καὶ Ποπλίου Κορνηλίου Σκιπίωνος. *In Germania in exercitu, cui Curtilius Mancias præsedit, servus militis peperit Archonte Athenis Conone, Romæ Q. Volusio Saturnino & P. Cornelio Scipione Coss.*

13, 57, 3. *equi, viri, cuncta victa occidioni dantur*] Ita Flor. sed Meus a manu prima non habet *victa.* Lipsius malebat, *cuncta viva.* I. F. Gronovius, *cuncta victi.* id est quæ ante victus possedit. Freinshemius in adstruenda lectione vulgata laborat.

13, 57, 4. *Et minæ quidem hostiles in ipsos vertebantur*] Cod. Flor. a manu prima, *vertebant.* Idque confirmat Mei lectio etsi in reliquis minus emendata: *& numen quidem hostile in se vertebant.* Unde Nicolaus Heinsius legebat: *& minæ quidem hostiles in se vertebant.* Vide 13, 37, 4.

Sed civitas Iuhonum socia nobis malo improviso adflicta est] Cluverius atque ex eo omnes Geographi recentes, quoniam *Cattorum* ante facta mentio, & hoc ipso loco fit *conditæ nuper coloniæ*, existimant *Iuhones* habitasse eum tractum, ubi nunc *Ducatus Bergensis* dimidia ferme pars austrina. Sed cum nullam conjunctionem habeat hoc membrum cum superiore, temere videtur hoc inde colligi. Præterea MSS. variant: Flor. & Meus: *Uibonum.* Unde de mendo suspicio confirmatur. Quare amicus noster Nicolaus Heinsius legebat, *Ubiorum.* quam conjecturam diu veram putavi, quippe proxime ad Manuscriptorum lectionem accedentem. Postea suspicatus sum veram lectionem esse *Æduorum*, & hic narrari incendium, quo Neronis temporibus Lugdunum in Gallia conflagravit, cujus meminit Seneca ep. 91. Neque enim verisimile tam notabilem eventum a Tacito suo loco prætermissum, præcipue cum deinceps in actis a. 819. alia occasione illius sub generali tantum *cladis* appellatione meminerit 16, 13, 6. *Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est Princeps, ut amissa urbi reponerent,*

quam

quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant, turbidis casibus. Conflagravit autem *Lugdunum* anno 811, uti ex Seneca & Dione colligo. Ille enim centesimo ex quo condita fuit anno conflagrasse: hic tempore belli Mutinensis a. 711 a L. Munatio Planco ædificatam scribit. Hoc vero loco actis anni 811 describendis occupatur Auctor. Sed dicet aliquis *Lugdunum* proprie non in *Æduis*, sed Segusianis. Fateor. Sed duo diversa incendio dicuntur adflicta, *civitas*, sive ager *Æduorum* (ut putamus) & *colonia condita nuper*, id est Lugdunum in Segusianis, qui *Æduorum* vicini, & juxta Cæsarem clientes. Habitaverunt enim *Ædui* Ararim inter, qui apud *Lugdunum* Rhodano miscetur, & Elaverem. Lugdunum autem *colonia* dicitur *nuper* condita ἐν πλάτει, historicorum more, pro ante centum annos, ut H. 4, 17, 8 *Nuper certe caso Quinctilio Varo, pulsam e Germania servitutem.* pro ante annos sexaginta, & sic apud alios. Colonia Agrippinensis quo minus intelligi possit facit Rhenus intermedius.

13, 57, 5. *non si fluvialibus aquis, aut quo alio humore niterentur*] Cod. Flor. destituitur voce *niterentur*. Meus pro ea habet: *perfunderentur*. Oxon. *niterentur*.

13, 57, 6. *postremo tegmina corpori derepta injiciunt*] Ita edidi ex MS. meo. vulgata hactenus exemplaria: *direpta*. Vide ad 2, 45, 4.

13, 58, 1. *quæ octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat*] Vulgata hactenus: *quæ super octingentos & quadraginta.* Sed cum neque in Flor. neque Meo inveniatur τὸ *super*, idque παρέλκει, inducendum putavi. Sed non ideo persanata hic scriptura: nam juxta chronologiam scribendum: *quæ octingentos atque triginta ante annos.* uti a Lipsio & Freinshemio monitum. Eusebius enim *Remum* & *Romulum* generatos ait anno primo Olympiadis secundæ, Roma vero condita fine anni III. Olymp. VI. juxta Varronem. Ergo a nativitate Remi & Romuli ad Urbis natalem intercessere anni circiter octodecim, qui additi 811, efficiunt 829.

AD ANNALIVM
LIBRVM XIV.

14, 1, 1. *C. Vipstano, Fontejo Coss.*] In vulgatis hactenus aut, *Cajo Vipsano Fontejo Coss.* aut, *Cajo Vipsanio.* Cod. Flor. *Cajo Vipsano Fontejo Coss.* Meus: *Cajo Vespasiano Fontejo Conss.* ex qua diversitate, de mendo patet. Nos Lapidum auctoritatem secuti edi curavimus: *C. Vipstano Fontejo Coss.* & infra H. 1, 76, 6. *Vipstani Aproniani.* Ita enim hujus nomen legitur apud Gruterum in Inscriptionibus: C. VIPSTANVS APRONIANVS. &: C. VIPSTANO APRONIANO. qui plane idem qui Consul cum *Fontejo*, uti patet ex iis quibuscum jungitur *A. Vitellio, M. Aponio Saturnino, L. Salvio Othone Titiano* & *Sulpicio Camerino.* Ex eadem domo *L. Vipstanus Messalla* qui Consul cum M. Pedone Vergiliano a. 867. cujus mentio in diversis Lapidibus apud eumdem, tum Reinesium. Idque monitum olim Ursino ad hunc locum, & in gente Vipsania; nuper Ruperto ad Reinesium, Epist. XLVIII. Nec contra hanc scripturam faciunt Plinius & Solinus: ille lib. II. cap. 72. & lib. VII. cap. 20. hic cap. 20. in quorum vulgatis Codicibus legitur, *Vipsanio & Fontejo.* quoniam Salmasius ad Solinum notat, in altero Plinii loco scriptos Codices habere, *Vipstano* aut *Vipistano*; in altero *Vipsano* vel *Vipisano.* quo Lapidum scriptura confirmatur. In eo autem errant Onuphrius & Pighius, (idque jam aliis monitum) quod hunc *Vipstanum* (*Vipsanium* illi vocant) a quodam *Apronio* adoptatum velint atque inde *Aproniamum* dictum. Hæc enim terminatio potius prodit *Apronio* eum patre satum & ab *Vipstano* adoptatum, aut matrem *Aproniam* habuisse. Hunc autem *C. Vipstanum Apronianum* Ursinus filium facit *L. Apronii* Triumphalis, quem adoptaverit *Vipstanus* quidam. Cujus sententiam sequitur Reinesius Ep. LIII. ad Rupertum. Alter Consul *C. Fontejus Capito* (non *L.* uti appellatur, in Indice Consulum, quos Lipsius huic libro præmisit) filius

vide-

videtur *C. Fonteji Capitonis*, qui Consul cum Germanico a. 765. de quo ad 4, 36, 3. non *Lucii* sub Tiberio Consulis, ut ponit Onuphrius. *Lucius* enim iste sub Tiberio Consul non occurrit. Ad alterutrum ex his pertinet Inscriptio vetus apud Gruterum:

I. O. M.
L. CAECILIVS NYMPHEROSVS
V. S. L. M.
POSVIT. C. FONTEIO. CAPITON. COS.

Onuphrius huic *C. Fontejo Capitoni* fratrem dat *Lucium*, qui Consul a. 820. atque ita exserte dicit appellari a Tacito in primo Historiarum: sed etsi *Fonteji Capitonis* & *Capitonis* sæpissime isto libro fiat mentio, cum *Lucii* tamen prænomine ibi fit nusquam. Cum vero alteri horum Consulum duntaxat prænomen addatur, idque commune alteri, pro *Cajo* probabile *Cajis* legendum, ut suspicatus est I. F. Gronovius.

14, 1, 2. *& discidium Octaviæ incolumi Agrippina haud sperans*] Ita edidi secutus Cod. mei scripturam: vulgatæ hactenus, *dissidium*. Vide ad 2, 86, 3.

14, 1, 3. *& verum animum*] *Verus animus* videtur poni pro vero affectu, ut H. 1, 15, 6. *blanditiæ pessimum veri adfectus venenum*. Quod qui non animadvertere, corrigere voluerunt.

14, 2, 2. *prænuntias flagitii blanditias*] Flor. & Meus: *flagitiis*.

quæ simul suo pericula & infamia Neronis anxia] Amicus malebat: *sui periculi & infamiæ Neronis anxia*.

14, 2, 4. *quæ puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat*] *Lepidus* hic, maritus Drusillæ, conjuravit in Cajum, teste Suetonio Calig. cap. 24. Lipsius Æmilii Paulli ex Iulia nepte facit filium: unde consequeretur consobrinos vel patrueles fuisse *Lepidum* hunc & Agrippinam. Sed cum Iulia neptis nusquam dicatur plures liberos Æmilio Paullo peperisse, quam unicam filiam Æmiliam Lepidam; & ipsa non diu fuerit in hujus matrimonio, quippe occisi mox ab Augusto, propter conspirationem, uti ex Suetonio Tib. cap. 19. constat: pa-

rum firma hæc Lipsii sententia. Potius existimem M'. Lepidi, qui Consul cum Statilio Tauro, a. 764, filium. Hujus enim socordiæ liberior *Lepidi* hujus educatio convenit, quippe qui turpiter amatus a Cajo, Dione teste, & quasi in vindictam cum sorore ejus Agrippina puellaribus annis consuetudinem stupri habuerat. Destinatus mox in primordio Principatus a Cajo successor, simul data in matrimonium Drusilla sororum carissima: tandem anno ejus tertio per speciem conjurationis cæsus simul cum Getulico, tamquam conjurationis socio, cum ipse Cajus in ludicra expeditione occupatus esset. Suetonius Claud. cap. 9.

14, 3, 2. *Placuitque primo venenum. Sed inter epulas Principis* &c.] Ergo non mandatum exsecutioni hoc consilium, juxta Tacitum. Dissentit Suetonius Ner. cap. 34. *Cum veneno ter tentasset, sentiretque antidotis præmunitam: lacunaria quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit.* Lacunarium horum nulla apud Tacitum mentio.

14, 3, 3. *atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus*] *Præsumere*, pro ante sumere. Ovidius lib. III. de Arte, v. 757.

Neve domi præsume dapes.

Plinius lib. XXXVI. cap. 11. *Theophrastus auctor est potores in certamine bibendi præsumere farinam ejus.*

14, 3, 5. Ergo *navem posse componi* docet] Dio lib. LXI. scribit Neronem ipsum incidisse in scelestam hanc cogitationem, postquam in theatro Romæ vidisset navem automatice dissolvi & emittere belluas, deinde iterum claudi.

14, 3, 6. *& cetera ostentandæ pietatis*] Cod. Flor. *pietati.* sed Meus ut editur: atque ita 3, 7, 1. & 9, 2.

14, 4, 1. *quo rumorem reconciliationis efficeret acciperetque Agrippina facili feminarum credulitate ad gaudia*] Hanc scripturam, quæ ab Freinshemii ingenio profecta est, cum ante legeretur, *acciperetque Agrippinam*, Bernegerus primus in contextu exhibuit. *acciperet*, scilicet rumorem. Flor. *acciperetque Agrippinam.* Meus: *quo more reconciliationis afficeret acciperetque Agrippinam.* ambo corrupte.

14, 4, 3. *Stabat inter alias navis ornatior*] Ut *stant littore puppes* apud Virgilium.

14, 4, 4. *gestamine sellæ Bajas pervectam*] Flor. & Meus: *Baulos pervectam.* perperam. Sed in utroque, *gestamine sellæ.* recte. ut 15, 57, 2. Lipsius, qui τὸ *sellæ* delet, errori velificatur, quem castigavimus ad 11, 33, 3. Sed Suetonius hic turbat, qui Liburnica Baulis advectam Agrippinam scribit Ner. cap. 34. *reconciliatione simulata jucundissimis litteris Bajas evocavit ad solennia Quinquatruum simul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua advecta erat velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium.*

Ibi blandimentum sublevavit metum, comiter excepta superque ipsum collocata] Cod. meus: *blandimento.* Unde amicus: *blandimento sublevavit metum comiter exceptæ superque ipsum collocatæ.* Lipsius hic duos tantum accubuisse existimat & in tali convivio, qui supra accumberet, honoratiorem locum tenuisse. Sed parum verisimile convivium hoc duos tantum convivas complexum. Cujus, ut videtur, dominum Suetonius facit Othonem in ejus vita cap. 3. *Omnium secretorum particeps, die quem Nero necandæ matri destinaverat, ad avertendas suspiciones cœnam utrique exquisitissimæ comitatis dedit.* Vide ad 3, 14, 2.

14, 5, 2. *Ex quis Creperejus Gallus*] Ita Codd. Flor. & Meus. Vulgati hactenus: *ex quibus.*

Acerronia] Forte filia aut soror *Cn. Acerronii* Proculi, qui Consul a. 790. cum C. Pontio Nigrino. Quoniam autem hujus nomen per duplex *rr* scribitur in Lapide, adducto ad 6, 45, 6. idque originis ratio flagitat, & hæc procul dubio ex eadem gente fuit; pro *Aceronia*, quomodo hactenus editum, scribendum curavi *Acerronia.* Dionis vulgata exemplaria lib. LXI. æque inemendate Ἀκερωνίαν Πώλλαν vocant.

super pedes cubantis reclinis] Id est in eodem grabato, in quo cubabat Agrippina, ad ejus pedes in transversum jacebat.

& recuperatam matris gratiam] Ita Cod. meus, non *reciperatam.* quod tamen alibi. Amicus malebat, *matri.* nisi malimus ex persona blandientis

Acerroniæ intelligi gratiam Agrippinæ recuperatam a Nerone per pœnitentiam, quam ostenderit.

cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave] Amicus legebat, *tectum fori*. *Forus* & *fori* sunt tabulata, quibus navis contegitur. Gellius lib. XVI. cap. 19. *Stans in summo puppis foro carmen voce sublatissima cantavit.* Sed cum *forus* ita ipsum navis tectum denotet, minus Latine *tectum fori*, quasi tectum tecti, dici videtur. Unde retinendam potius vulgatam scripturam putem, quæ Flor. & Mei MSS. auctoritate defenditur; explicandum vero *tectum loci*, in quo Creperejus, Agrippina & Acerronia erant, in puppi scilicet, cujus *tectum* sive forus cadebat. Suetonius Ner. cap. 34. *camaræ ruinam* vocat.

pressusque Creperejus & statim exanimatus est] In vulgatis deerat hactenus verbum personale, quod Flor. & Meus addunt.

14, 5, 3. *Agrippina & Acerronia eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus, quam ut oneri cederent, protectæ sunt*] Hactenus hic legebatur, *eminentibus tecti parietibus*. nullo plane sensu. Neque enim *parietes* ullo modo *tecto* convenire possunt, minime vero *parietes eminentes*. Quare cum in Cod. meo a prima manu legatur, *lecti*, non dubitavi hanc lectionem tamquam suam Auctori restituere. Nec est quod quem cum Acidalio aut Octavio Ferrario offendant *lecti parietes*: vocabulum enim hoc æque de ligno quam de lapide dicitur. Unde apud Vitruvium lib. II. cap. 8. *craticii arrectarii* & *transversarii parietes*. Lecti autem ut hodie sic olim quatuor trabes vel tigna erecta habuerunt, (*amaliteria* Spartianus vocat) quæ totidem pluteis, qui hic *parietes*, inter se conjunguntur. Ex quibus, qui ad caput in hodiernis lectis fieri solet altior quia pulvinum cum cervicalibus sustinere debet, reliqui depressiores. Olim quia sponda interior applicabatur parieti, non ut hodie pars ubi pulvinus ponitur, hæc altiori pluteo munita erat. De quo, si Iubet, vide Salmasium ad allegatum modo scriptorem. Patet præterea ita scribendum ex verbis, *ac forte validioribus* &c. hæc enim ad tectum nullo modo referri queunt; si enim hi ante casum satis vali-

validi ad plumbum ſuſtinendum, quomodo pariter non in caſu?

14, 5, 4. *Viſum dehinc remigibus*] Ita habent Codd. Flor. & Meus. Edd. hactenus: *Iuſſum.*

14, 5, 5. *Verum Acerronia imprudens*] Cod. Flor. & Meus: *imprudentia.* Unde amicus: *imprudentius.* Tolerari poteſt utraque lectio, immo vulgata quoque.

14, 5, 6. *Nando, deinde occurſu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta, villæ ſuæ infertur*] Ita Editiones Beroaldi & Rivii, credo ex prioribus: atque ita exſerte MS. Flor. Rhenanus primus dedit *lembunculorum*, ſine neceſſitate: etſi enim *lembus* ſit genus navis, tamen nondum reperi inter veteres qui inde formarit, *lembunculus.* Contra *lenunculus* navis piſcatoria explicatur Nonio; πίτυλος, σκαφίδιον in Gloſſis Philoxeni; & reperire eſt hoc vocabulum apud Salluſtium, Cæſarem, Paullum ICtum, Ammianum Marcellinum; immo in Inſcriptionibus inde LENVNCVLARII, ut a naviſcula navicularii. Cod. meus habet *remunculorum*, quod & ipſum haud ſpernendum, quippe cum Græcis ſic dicatur κωπηίδιον & in nonnullis Codd. ita legatur apud Gellium lib. X. cap. 25. *Nando* autem evaſiſſe Agrippinam etiam Suetonius prodit Ner. cap. 34. quod non ad artem referendum, ſed uti de inanimis dicitur.

14, 6, 2. *ſimul ſuum vulnus adſpiciens ſolum inſidiarum remedium eſſe putavit, ſi non intelligerentur*] Editiones hactenus deſtituebantur τῷ *putavit*, quod ſubjicit Cod. meus; ſine quo ſenſus mancus: idque animadvertit Acidalius, qui de ingenio addebat *rata*, poſt τὸ *eſſe.*

14, 7, 1. *hactenus adito diſcrimine, ne auctor dubitaretur*] quaſi tantum ideo fuiſſet in periculo, ne de auctore dubitaretur. Cicero lib. I. de Off. cap. 45. *quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolum id homines ſolere dubitare, honeſtum ne an turpe ſit: ſed etiam duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius.*

14, 7, 3. *niſi quid Burrus & Seneca expromerent*] Ante hic edebatur: *expergiſcerentur.* manifeſto errore, quem Buxhornius putabat tolli, deleto τῷ

 quid,

quid, frustra: sequitur enim, *quos statim acciverat.* MSS. praeterea varietas erratum ostendit: nam Flor. *expergens.* Bud. *expurgent.* Meus: *exprimerent.* quod cum optime quadret repraesentandum duxi. Sic 13, 49, 2. *Licere Patribus quotiens jus dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere.*

incertum an & ante ignaros] Excutit hoc feliciter Boecleri ingenium Dissert. Polit. ad Suetonii Neronem n. 7. & 8.

Igitur longum utriusque silentium] Cod. meus: *longum utrinque s.* Unde amicus: *utrique.*

14, 7, 4. *Post Seneca hactenus promptior respicere Burrum ac sciscitari*] Ante hic legebatur: *an si sciscitaretur.* Quam lectionem Freinshemius ostendit haud tolerari posse: quoniam ex obtutu solo *Burrus* talem interrogationem a *Seneca* fieri intelligere non potuit: sequitur enim, *Ille* &c. *respondit.* aut si intellexit, homo aulicarum artium peritus ostendere hoc statim non debuit. Praeterea *Seneca hactenus promptior*, id est una re *Burrum* antevertisse dicitur; nimirum quod interrogaverit, *an militi imperanda caedes esset?* Unde infert legendum: *ac sciscitari.* Quod cum totidem literis in MS. meo exstet; exhibere non dubitavi.

an militi imperanda caedes esset?] Cod. meus: *imperanda nex esset.*

& memores Germanici] Flor. & Meus: *memoresque Germanici.*

14, 8, 1. *Hi molium objectus*] Intelliguntur pilae: quarum adhuc hodie supersunt ingentes reliquiae apud Puteolos. Meminit Suetonius Calig. cap. 19. *Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit.* & Seneca ep. 77. *omnis in pilis Puteolanorum turba consistit.*

14, 8, 4 *aliam fere litore faciem nunc solitudinem ac repentinos strepitus & extremi mali indicia*] Cod. Flor. *aliam fore lateret faciem.* Meus: *aliam fere latere faciem, nunc s.* Unde videtur legendum: *aliam fores ante faciem: nunc solitudinem* &c. & Agrippinam talia questam intelligendum, cum villa, in qua erat, statione militum circumdaretur: idque apparet ex sequenti membro, cujus verbum *prolocuta* hic suppressum stu-

ſtudioſe ab Auctore, ut ſæpe alias. Aurelius, qui legit: *aliam ferre litora faciem*, non explicat, unde pendeant tot accuſativi. Quod ſi quis pro eo dicat, pariter a ſequentis membri verbo *prolocuta*: reſpondeo parum convenire hanc orationem Agrippinæ tenebricoſo cubiculo incluſæ. Unde magis placet lectio ſuperius propoſita.

14, 8, 6. *& prior trierarchus fuſti caput ejus adflixit. Nam in mortem centurioni ferrum deſtringenti protendens uterum* &c.] Faërnus legit, *jam in mortem.* Acidalius: *adflixit non in mortem. centurioni.* pronuntians τὸ *Nam* ineptum. Sed duo MSS. illud habent Flor. & Meus, & mihi tale non videtur. Verum rationem hoc membro contineri puto cur trierarchus prior, & quidem Agrippinæ caput verberaverit: videlicet quoniam hæc videns centurionem ferrum deſtringere protendendo uterum clamaret, *ventrem feri.* Unde trierarchus caput & os ejus, tamquam Neroni convitiantis, verberare cœpit, antequam centurio punctim eam peteret. Scripſimus autem *deſtringenti* pro *diſtringenti*, quod hactenus obſedit exemplaria. ut 1, 32, 2. & alibi.

14, 9, 1. *Adſpexeritne matrem examinem Nero*] Amicus malebat: *Inſpexeritne.* ut H. 2, 6, 3. *Auditique ſæpius in Suria Iudæaque Cæſares quam inſpecti.* & apud Suetonium Aug. cap. 18. *conſultuſque num & Ptolemæum inſpicere vellet.* & apud hunc ſæpius.

14, 10, 2. *Prehenſantium manum*] Cod. meus: *manu.*

14, 11, 1. *& luiſſe eam pœnam conſcientia, qua ſcelus paraviſſet*] Sic indefinite loquitur, ut ambiguum relinquat, ipſa ſe an alius juſſu ſuo eam occidiſſet.

14, 11, 2. *ac poſteaquam fruſtra optata ſint*] Cod. meus: *at poſtquam fruſtra optata ſint.* Flor. *ac poſteaquam fruſtra ablata ſint.* Edd. ante Lipſium, *oblata.* Lipſius juxta Ed. Rom. *optata.* quod videtur verum. id eſt poſtquam vota fruſtra ceciderint.

14, 11, 4. *Temporum quoque Claudianorum obliqua inſectatione*] *Oblita* habent vulgata ante Lipſium exemplaria, item Cod. Flor. ſed Lipſii conjecturam tuetur MS. meus, & res ipſa, quidquid obnitatur Salinerius.

14, 12, 4. *anguem enixa mulier*] Vide Licetum lib. II. de Monstr. Causs. & Diff. cap. 5.

14, 12, 4. *Quæ adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium & scelera continuaverit*] Christophorus Forstnerus hic in Tacito requirit judicium; quoniam ad Principem trahit, quæ ad totam Rempubl. pertinebant, si prodigia hæc (ut dictabat illorum religio) aliquid significaverint. Cujus observationi addi potest, quod talia fuerint quæ nihil portendere prudentes existiment.

14, 12, 5. *præfectura functos Valerium Capitonem & Licinium Gabolum*] Gruterus: *Pratura.*

14, 13, 2. *Simul prægredi exposcunt*] Ante hic edebatur *progredi.* Sed Flor. *pgredi.* quod nihil aliud quam *prægredi.* quomodo Grotius divinavit, & I. F. Gronovius edidit.

14, 14, 1. *Vetus illi copia erat*] Ita Flor. & Meus: id est potestas vel licentia permissu præceptorum & matris. nulla hic mutatione opus.

curriculo quadrigarum insistere] Id est more aurigarum Circensium quatuor equis junctis voluptatis caussa vectari. Charisius lib. I. *Curriculus masculine deminutio est currus; neutraliter autem curriculum, spatium ad currendum aptum, vel ipsum currendi officium, ut Cicero & Varro loquuntur.* Priscianus lib. VI. *Adeo autem cognatio est currus ad cursum, quod diminitivum currus curriculus pro cursu accipitur.* Insistebant autem proprie hujusmodi curribus agitatores Circenses. 15, 44, 8. *Nero Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens.*

nec minus fœdum studium cithara ludicrum in modum canere] Testatur nummus, in quo habitu citharœdico expressus visitur citharam pulsans, cum epigraphe: PONTIF. MAX. TR. P. IMP. P. P. SC. apud Franciscum Angelonum.

14, 14, 3. *clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret*] Suetonius Ner. cap. 22. *positoque in hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento.* In his hortis, qui in valle Vaticana, circus fuit, 15, 44, 8. eo loci, ubi nunc Basilica Vaticana: e quo residuus obiliscus, qui a Sixto V ante hanc erectus est. Plinius lib. XXXVI. cap. 11. *obeliscus*

in

in Vaticano Caji & Neronis Principum circo ex omnibus unus omnino fractus est in molitione, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus. Exhibet circum hunc cum obelisco, Neronis numinus, in quo IMP. NERO CAESAR AVG. P. MAX. apud Angelonum.

14, 14, 6. *quos fato perfunctos ne nominatim tradam majoribus eorum tribuendum puto*] Dio nominat apud Xiphilinum lib. LXI.

14, 15, 1. *Usque ad gestus modosque haud viriles*] Amicus malebat: *usque ad gestus motusque h. v.* ut 15, 37, 3. *jam gestus motusque obsceni.* & apud Horatium lib. III. Od. 6. *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo.* Sed *modus*, juxta Auctorem de Naturali Institut. cap. 11. *est lex quadam & ordo vocalium intervallorum & differentia: vel, ut Aristoxenus definit, non utcumque compositum vocalium temporum intervallum.* In hoc autem non minor quam in gestu potest esse mollities. Quintilianus lib. I. cap. 17. *Numeros musice duplices habet in vocibus & in corpore. Utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur.* & paullo post: *Quamvis satis jam ex ipsis quibus sum modo usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi & quatenus musice placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit.* Quare nihil mutandum.

14, 15, 2. *Quin & feminæ inlustres deformia meditari*] Dio lib. LXI. scribit Æliam Catulam feminam nobilissimam & ditissimam octogenariam tunc saltasse.

14, 15, 4. *Postremo ipse scenam inscendit*] MSS. Flor. & Mens: *incedit.* ut ante Lipsium, qui sic ex libris, ut ait, correxit. Sed alterum, ut 2, 61, 2. *incedunt mœstos locos.* &c.

14, 16, 1. *carminum quoque studium adfectavit*] Videtur his adversari Suetonius Ner. cap. 52. *Ad poëticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit: nec ut quidam putant aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos aut dictante aliquo exceptos. sed plane quasi a cogitante atque generante exa-*

exaratos: ita multa & deleta & inducta & superscripta inerant. Sed minus recte colligit ex uno tali opusculo Neronem aliena pro suis nunquam edidisse: immo illud ipsum quod oculis ejus oblatum est, non plene probat Neronem totius auctorem fuisse. Cum enim hic artis gnaros propterea convenire juberet, ut versus a se allatos aut ibidem repertos explerent perficerentque, ipsum sua manu correctiones & supplementa ab his sibi suggesta fecisse plusquam verisimile est. Etsi non tam pangendi facultate quam otio & patientia destitutum, verum sit. Unde Martialis lib. VIII. ep. 70.

Carmina qui docti nota Neronis habet.

*contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis * ætatis nati, considere simul*] Scripti Codd. hic non adspirant. Muretus ita sanabat: *quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. Ii considere simul.* subscribente I. F Gronovio.

14, 16, 3. *Etiam sapientiæ doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium, discordiæ eruebantur*] Id est & sicuti diversæ philosophantium opiniones ita discordiæ detegebantur. Ita habet Editio Beroaldina, sequentes præter Gronovianam, *eruerentur.* Scripti nihil juvant. Flor. *utque contraria asseverant cum discordiæ rueretur.* non ut Pichena: *tum discordia rueret.* Meus: *discordias erueret.*

nec deerant, qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent] Flor. & Meus: *qui ore vultuque.* Unde amicus: *qui ore cultuque.*

14, 18, 2. *Acilium Strabonem prætoria potestate usum*] Id est missum cum potestate Proprætoris. Similiter in antiqua Inscriptione, quæ ab Auctore videtur posita: *rationatoris. honore. usurus. secundum.*

agrorum, quos regis Apionis quondam habitos] Adsentior Lipsio scribendum suadenti: *regi Apioni q. h.* ut 11, 35, 2. *quidquid habitum Neronibus ac Drusis.*

& populo Romano cum regno relictos] Cn. Domitio C. Cassio Coss. a. V. C. 658. teste Iulio obsequente de Prodig. cap. 109. Vide Henricum Valesium ad Ammianum lib. XXII.

14, 18, 3. *Nero probata Strabonis sententia*] Flor. *Ne probata S. s.* Meus: *Tum Princeps non improbata.*

14, 19, 2. *Servilius, diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris*] Gerardus Vossius lib. de Hist. Lat. *M. Servilium* inter historicos recenset ex hoc loco: sed oscitanter additur ex eodem constare a Nerone sublatum: quod hic non legitur. Vide ad 6, 31, 1.

quam clariorem effecit, ut par ingenio ita morum diversus] Cod. meus: *quæ clariorem Afro effecit, qui ut.* interpolate. Amicus: *qua clariorem se fecit.* Sed vulgatam optime tuetur & explicat I. F. Gronovius: *quam* scilicet vitæ elegantiam *clariorem effecit*, is qui cum illo comparabatur ingenio quidem æque valens, sed moribus multum ei cedens, Domitius scilicet Afer.

14, 19, 1. *Nerone quartum Cornelio Cosso Coss.*] *Cornelius Lentulus Cossus* filius fuit *Cornelii Cossi*, qui Consul cum Asinio Agrippa a. 778. supra 4, 34, 1. *Cossi* enim filius dicitur in Lapide a Lipsio hic adducto, in quo apud Gruterum pro P. ACILIVS legitur P. ACILIVS. Item in alia apud eumdem Inscriptione:

CAESARE. AVG. GERMANICO. PONT. MAX. (TRIB. POT.
VIII. IMP. III. COS. IV
COSSO. LENTVLO. COSSI. FILIO. COS.

Item apud Frontinum lib. II. de Aquæduct.

14, 20, 3. *ne si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum*] Hactenus hic editum: *si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens Prætores ederent.* Sed Interpretum præcipui jam monuere, *ne* loco suo motum, & ab ante τὸ *spectaculorum* retrahendum, ponendumque ante τὸ *si*: quod cum invenerim MS. mei auctoritate comprobari, manifestum in contextu mendum sustinere ulterius culpam putavi.

14, 20, 7. *An justitiam augurii & decurias equitum egregium judicandi munus expleturos, si fractos*] Pichena legit: *an institutos Augustanos & decurias* &c. approbante I. F. Gronovio: per ἓν διὰ δυοῖν. pro insti-

quid, frustra: sequitur enim, *quos statim acciverat.* MSS. præterea varietas erratum ostendit: nam Flor. *expergens.* Bud. *expurgent.* Meus: *exprimerent.* quod cum optime quadret repræsentandum duxi. Sic 13, 49, 2. *Licere Patribus quotiens jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere.*

incertum an & ante ignaros] Excutit hoc feliciter Bœcleri ingenium Dissert. Polit. ad Suetonii Neronem n. 7. & 8.

Igitur longum utriusque silentium] Cod. meus: *longum utrinque s.* Unde amicus: *utrique.*

14, 7, 4. *Post Seneca hactenus promptior respicere Burrum ac sciscitari*] Ante hic legebatur: *an si scitaretur.* Quam lectionem Freinshemius ostendit haud tolerari posse: quoniam ex obtutu solo *Burrus* talem interrogationem a *Seneca* fieri intelligere non potuit: sequitur enim, *Ille* &c. *respondit.* aut si intellexit, homo aulicarum artium peritus ostendere hoc statim non debuit. Præterea *Seneca hactenus promptior*, id est una re *Burrum* antevertisse dicitur; nimirum quod interrogaverit, *an militi imperanda cædes esset?* Unde infert legendum: *ac sciscitari.* Quod cum totidem literis in MS. meo exstet; exhibere non dubitavi.

an militi imperanda cædes esset?] Cod. meus: *imperanda nex esset.*

& memores Germanici] Flor. & Meus: *memoresque Germanici.*

14, 8, 1. *Hi molium objectus*] Intelliguntur pilæ: quarum adhuc hodie supersunt ingentes reliquiæ apud Puteolos. Meminit Suetonius Calig. cap. 19. *Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit.* & Seneca ep. 77. *omnis in pilis Puteolanorum turba consistit.*

14, 8, 4 *aliam fere litore faciem nunc solitudinem ac repentinos strepitus & extremi mali indicia*] Cod. Flor. *aliam fore lateret faciem.* Meus: *aliam fere latere faciem, nunc s.* Unde videtur legendum: *aliam fores ante faciem: nunc solitudinem* &c. & Agrippinam talia questam intelligendum, cum villa, in qua erat, statione militum circumdaretur: idque apparet ex sequenti membro, cujus verbum *prolocuta* hic suppressum stu-

ſtudioſe ab Auctore, ut ſæpe alias. Aurelius, qui legit: *aliam ferre litora faciem*, non explicat, unde pendeant tot accuſativi. Quod ſi quis pro eo dicat, pariter a ſequentis membri verbo *prolocuta*: reſpondeo parum convenire hanc orationem Agrippinæ tenebricoſo cubiculo incluſæ. Unde magis placet lectio ſuperius propoſita.

14, 8, 6. *& prior trierarchus fuſti caput ejus adflixit. Nam in mortem centurioni ferrum deſtringenti protendens uterum* &c.] Faërnus legit, *jam in mortem*. Acidalius: *adflixit non in mortem. centurioni*. pronuntians τὸ *Nam* ineptum. Sed duo MSS. illud habent Flor. & Meus, & mihi tale non videtur. Verum rationem hoc membro contineri puto cur trierarchus prior, & quidem Agrippinæ caput verberaverit: videlicet quoniam hæc videns centurionem ferrum deſtringere protendendo uterum clamaret, *ventrem feri*. Unde trierarchus caput & os ejus, tamquam Neroni convitiantis, verberare cœpit, antequam centurio punctim eam peteret. Scripſimus autem *deſtringenti* pro *diſtringenti*, quod hactenus obſedit exemplaria. ut 1, 32, 2. & alibi.

14, 9, 1. *Adſpexeritne matrem examinem Nero*] Amicus malebat: *Inſpexeritne*. ut H. 2, 6, 3. *Auditique ſæpius in Suria Iudæaque Cæſares quam inſpecti*. & apud Suetonium Aug. cap. 18. *conſultuſque num & Ptolemæum inſpicere vellet*. & apud hunc ſæpius.

14, 10, 1. *Prehenſantium manum*] Cod. meus: *manu*.

14, 11, 1. *& luiſſe eam pœnam conſcientia, qua ſcelus paraviſſet*] Sic indefinite loquitur, ut ambiguum relinquat, ipſa ſe an alius juſſu ſuo eam occidiſſet.

14, 11, 2. *ac poſteaquam fruſtra optata ſint*] Cod. meus: *at poſtquam fruſtra optata ſint*. Flor. *ac poſteaquam fruſtra ablata ſint*. Edd. ante Lipſium, *oblata*. Lipſius juxta Ed. Rom. *optata*. quod videtur verum. id eſt poſtquam vota fruſtra ceciderint.

14, 11, 4. *Temporum quoque Claudianorum obliqua inſectatione*] *Oblita* habent vulgata ante Lipſium exemplaria, item Cod. Flor. ſed Lipſii conjecturam tuetur MS. meus, & res ipſa, quidquid obnitatur Salinerius.

14, 12, 4. *anguem enixa mulier*] Vide Licetum lib. II. de Monstr. Causs. & Diff. cap. 5.

14, 12, 4. *Quæ adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium & scelera continuaverit*] Christophorus Forstnerus hic in Tacito requirit judicium; quoniam ad Principem trahit, quæ ad totam Rempubl. pertinebant, si prodigia hæc (ut dictabat illorum religio) aliquid significaverint. Cujus observationi addi potest, quod talia fuerint quæ nihil portendere prudentes existiment.

14, 12, 5. *præfectura functos Valerium Capitonem & Licinium Gabolum*] Gruterus: *Prætura*.

14, 13, 2. *Simul prægredi exposcunt*] Ante hic edebatur *progredi*. Sed Flor. *pgredi*. quod nihil aliud quam *prægredi*. quomodo Grotius divinavit, & I. F. Gronovius edidit.

14, 14, 1. *Vetus illi copia erat*] Ita Flor. & Meus: id est potestas vel licentia permissu præceptorum & matris. nulla hic mutatione opus.

curriculo quadrigarum insistere] Id est more aurigarum Circensium quatuor equis junctis voluptatis caussa vectari. Charisius lib. I. *Curriculus masculine deminutio est currus; neutraliter autem curriculum, spatium ad currendum aptum, vel ipsum currendi officium, ut Cicero & Varro loquuntur.* Priscianus lib. VI. *Adeo autem cognatio est currus ad cursum, quod diminitivum currus curriculus pro cursu accipitur. Insistebant* autem proprie hujusmodi curribus agitatores Circenses. 15, 44, 8. *Nero Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens.*

nec minus fœdum studium cithara ludicrum in modum canere] Testatur nummus, in quo habitu citharœdico expressus visitur citharam pulsans, cum epigraphe: PONTIF. MAX. TR. P. IMP. P. P. SC. apud Franciscum Angelonum.

14, 14, 3. *clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret*] Suetonius Ner. cap. 22. *positoque in hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento.* In his hortis, qui in valle Vaticana, circus fuit; 15, 44, 8. eo loci, ubi nunc Basilica Vaticana: e quo residuus obiliscus, qui a Sixto V ante hanc erectus est. Plinius lib. XXXVI. cap. 11. *obeliscus in*

in Vaticano Caji & Neronis Principum circo ex omnibus unus omnino fractus est in molitione, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus. Exhibet circum hunc cum obelisco, Neronis nummus, in quo IMP. NERO CAESAR AVG. P. MAX. apud Angelonum.

14, 14, 6. *quos fato perfunctos ne nominatim tradam majoribus eorum tribuendum puto*] Dio nominat apud Xiphilinum lib. LXI.

14, 15, 1. *Usque ad gestus modosque haud viriles*] Amicus malebat: *usque ad gestus motusque h. v.* ut 15, 37, 3. *jam gestus motusque obsceni.* & apud Horatium lib. III. Od. 6. *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo.* Sed *modus*, juxta Auctorem de Naturali Institut. cap. 11. *est lex quadam & ordo vocalium intervallorum & differentia: vel, ut Aristoxenus definit, non utcumque compositum vocalium temporum intervallum.* In hoc autem non minor quam in gestu potest esse mollities. Quintilianus lib. I. cap. 17. *Numeros musice duplices habet in vocibus & in corpore. Utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur.* & paullo post: *Quamvis satis jam ex ipsis quibus sum modo usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi & quatenus musice placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit.* Quare nihil mutandum.

14, 15, 2. *Quin & feminæ inlustres deformia meditari*] Dio lib. LXI. scribit Æliam Catulam feminam nobilissimam & ditissimam octogenariam tunc saltasse.

14, 15, 4. *Postremo ipse scenam inscendit*] MSS. Flor. & Meus: *incedit.* ut ante Lipsium, qui sic ex libris, ut ait, correxit. Sed alterum, ut 2, 61, 2. *incedunt mœstos locos.* &c.

14, 16, 1. *carminum quoque studium adfectavit*] Videtur his adversari Suetonius Ner. cap. 52. *Ad poëticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit: nec ut quidam putant aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos aut dictante aliquo exceptos. sed plane quasi a cogitante atque generante exa-*

exaratos: ita multa & deleta & inducta & superscripta inerant. Sed minus recte colligit ex uno tali opusculo Neronem aliena pro suis nunquam edidisse: immo illud ipsum quod oculis ejus oblatum est, non plene probat Neronem totius auctorem fuisse. Cum enim hic artis gnaros propterea convenire juberet, ut versus a se allatos aut ibidem repertos explerent perficerentque, ipsum sua manu correctiones & supplementa ab his sibi suggesta fecisse plusquam verisimile est. Etsi non tam pangendi facultate quam otio & patientia destitutum, verum sit. Unde Martialis lib. VIII. ep. 70.

Carmina qui docti nota Neronis habet.

*contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis * ætatis nati, considere simul*] Scripti Codd. hic non adspirant. Muretus ita sanabat: *quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. Ii considere simul.* subscribente I. F Gronovio.

14, 16, 3. *Etiam sapientiæ doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium, discordiæ eruebantur*] Id est & sicuti diversæ philosophantium opiniones ita discordiæ detegebantur. Ita habet Editio Beroaldina, sequentes præter Gronovianam, *eruerentur.* Scripti nihil juvant. Flor. *utque contraria asseverant cum discordiæ rueretur.* non ut Pichena: *tum discordiæ rueret.* Meus: *discordias erueret.*

nec deerant, qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent] Flor. & Meus: *qui ore vultuque.* Unde amicus: *qui ore cultuque.*

14, 18, 2. *Acilium Strabonem prætoria potestate usum*] Id est missum cum potestate Proprætoris. Similiter in antiqua Inscriptione, quæ ab Auctore videtur posita: *rationatoris. honore. usurus. secundum.*

agrorum, quos regis Apionis quondam habitos] Adsentior Lipsio scribendum suadenti: *regi Apioni q. h.* ut 11, 35, 2. *quidquid habitum Neronibus ac Drusis.*

& populo Romano cum regno relictos] Cn. Domitio C. Cassio Coss. a. V. C. 658. teste Iulio obsequente de Prodig. cap. 109. Vide Henricum Valesium ad Ammianum lib. XXII.

14, 18, 3.

14, 18, 3. *Nero probata Strabonis sententia*] Flor. *Ne probata S. s.* Meus: *Tum Princeps non improbata.*

14, 19, 2. *Servilius, diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris*] Gerardus Vossius lib. de Hist. Lat. *M. Servilium* inter historicos recenset ex hoc loco: sed oscitanter additur ex eodem constare a Nerone sublatum: quod hic non legitur. Vide ad 6, 31, 1.

quam clariorem effecit, ut par ingenio ita morum diversus] Cod. meus: *quæ clariorem Afro effecit, qui ut.* interpolate. Amicus: *qua clariorem se fecit.* Sed vulgatam optime tuetur & explicat I. F. Gronovius: *quam* scilicet vitæ elegantiam *clariorem effecit*, is qui cum illo comparabatur ingenio quidem æque valens, sed moribus multum ei cedens, Domitius scilicet Afer.

14, 19, 1. *Nerone quartum Cornelio Cosso Coss.*] *Cornelius Lentulus Cossus* filius fuit *Cornelii Cossi*, qui Consul cum Asinio Agrippa a. 778. supra 4, 34, 1. *Cossi* enim filius dicitur in Lapide a Lipsio hic adducto, in quo apud Gruterum pro P. ACILIVS legitur P. ACILIVS. Item in alia apud eumdem Inscriptione:

CAESARE. AVG. GERMANICO. PONT. MAX.
(TRIB. POT.
VIII. IMP. III. COS. IV
COSSO. LENTVLO. COSSI. FILIO. COS.

Item apud Frontinum lib. II. de Aquæduct.

14, 20, 3. *ne si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum*] Hactenus hic editum: *si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens Prætores ederent.* Sed Interpretum præcipui jam monuere, *ne* loco suo motum, & ab ante τὸ *spectaculorum* retrahendum, ponendumque ante τὸ *si*: quod cum invenerim MS. mei auctoritate comprobari, manifestum in contextu mendum sustinere ulterius culpam putavi.

14, 20, 7. *An justitiam augurii & decurias equitum egregium judicandi munus expleturos, si fractos*] Pichena legit: *an institutos Augustanos & decurias* &c. approbante I. F. Gronovio: per ἓν διὰ δυοῖν. pro insti-

institutos Augustanos e decuriis equitum. Reliquorum ad hunc locum conjecturæ relatu indignæ videntur.

14, 21, 2. *eoque a Tuscis accitos histriones*] Freinshemius putat aut hoc loco, *ab Oscis* legendum, aut supra 4, 14, 5. *Tuscum quondam ludicrum* pro *Oscum* reponendum: nisi Tacitum sui oblitum velimus. simul huc inclinat ut potius hunc locum corruptum pronuntiet. Sed præterquam quod in Flor. & Meo, duobus MSS. hic nulla corruptelæ suspicio obversetur, de utroque hoc asserto dubitari merito potest. Nam cum Cluvius Rufus apud Plutarchum Quæst. Rom. quod ipse Freinshemius adducit, scribat C. Sulpicio Licinio Stolone Coss. (a. V.C. 390.) omnes ad unum scenæ administros pestilentia Romæ extinctos, cumque alii requirerentur, advenisse ex Etruria multos bonosque ejus rei artifices: patet ante Tuscos ludicram artem Romæ exercitam. Quod si dicamus *Oscis* artis hujus originem Romæ deberi, *Tuscis* progressum, nulla apud Tacitum mutatione opus, & is extra culpam positus est. Vide Livium lib. VII. cap. 2. Valerium Maximum lib. II. cap. 4. c. 4.

14, 21, 3. *ducentis jam annis a L. Mummii triumpho*] Hactenus *Mumii* hic scriptum. Nos Flor. Cod. & Capitolinos Lapides secuti edi curavimus, *Mummii*.

14, 21, 8. *Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant*] Ita dederunt Beroaldus, Rhenanus, Lipsius, alii. MS. Flor. *Græci amictus quo per.* unde Pichena facit, *quomodo.* quod a Berneggero temere in contextum receptum. Nam & in MS. meo, *quo*, legitur, non *quomodo.* Sed vetus lectio, revocata a I. F. Gronovio, procul dubio vera est. *Incesserant* autem pro incessiverant, conviciis scilicet: pro quo idem vir doctus mallet *incessirant*, tamquam syncopæ ratio alterum respueret: quod exemplis tuetur Gerardus Vossius lib. III. Analog. cap. 126.

14,22,1. *Inter quæ & sidus cometes effulsit*] Meminit Seneca lib. VII. Nat. Quæst. cap. 17. 21. 29. unde patet libros istos post Burri mortem cui quadriennium

nium fere supervixit, infracta apud Neronem potentia, scriptos. Item Auctor Octaviæ v. 231.

vidimus collo jubar
Ardens, cometam pandere infestam facem
Qua plaustra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.

Rursus post triennium alius conspectus 15, 47, 1. ad quem Grotius trahit Senecam, ut videtur, minus bene.

14, 22, 2. *quis nam deligeretur inquirebant*] Flor. *anquirebant.* Meus: *perquirebant.*

& omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur] De hoc vide ad 13, 19, 4.

14, 22, 4. *apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est*] De his *stagnis* actum ad 11, 13, 2. Lipsius autem & Cluverius hic legunt: *apud Simbruina stagna villa, cui S. n. e.* Amicus nihil addebat, verum *cui* mutabat in *quis.* Sed maxime placet I. F. Gronovii emendatio: *apud Simbruina stagna, loco Sublaqueum n. e.* Sic H. 4, 26, 3. *loco Gelduba nomen est.* Locum enim fuisse vel villam patet ex Plinio lib. III. cap. 12. *Anio in monte Trebanorum ortus lacus tris amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* & Frontinus lib. II. de Aquæduct. meminit *villæ Neronianæ Sublacensis.* & lib. I. aliquoties *viæ Sublacensis.* Inferioribus temporibus dictus *Sublacus* teste Aimoino lib. II. de Gest. Franc. cap. 16. hodie opidum *Subiaco.*

14, 22, 7. *quia fontem aquæ Martiæ ad Urbem deductæ nando incesserat*] Cod meus: *nando incestarat.* quomodo amicus existimabat legendum; ut professus est publice ad Vellejum lib. II. cap. 73. quoniam fontes & maria sacri & deorum velut receptacula & sedes. *Incestare* autem, ut apud Virgilium lib. VI. v. 150.

totamque incestat funere classem.

Nihilominus sequentia verba: *videbaturque potus sacros & cærimoniam loci corpore toto polluisse.* quæ hominum de hoc Neronis facto judicium exhibent, videntur lectionem hanc refellere. Tacitus enim ex sua persona, juxta vulgatam lectionem, quæ confirmatur a Cod. Flor. rem absque ullo superstitio-

ſtitionis inditio narrat; ex aliorum, ſuperſtitionem adjicit.

14, 24, 1. *carne pecudum propulſare famem adacti*] Nempe carere frumento militi Romano aliiſque minoribus populis extrema fames. De quo videndus Freinshemius ad Curtium 5, 6, 17.

14, 24, 3. *in regionem Taurantium*] Cod. Flor. *Taurannicium.* Meus: *Tauramnitium.* Vulgata a Lipſio eſt.

14, 25, 1. *At præſidium regium, quod ferox juventus clauſerat*] Ut 3, 21, 3. *Præſidium, cui Thala nomen.*

& pulſi intra munimenta aggeris, demum inrumpentium armis ceſſere] Flor. & Meus cum Ed. Ven. *demum & i.* ſed & τὸ *aggeris* ſuſpectum. Quid enim ſibi volunt *munimenta aggeris*? Unde ſcriptum a Tacito videtur: *& pulſi intra munimenta, aggeribus, demum & inrumpentium armis ceſſere. Aggeres* enim ſtruebantur in obſidionibus ad impediendas eruptiones. H. 3, 20, 6. 82, 2. quod notius, quam ut probari hic debeat.

14, 25, 3. *dato præſidio ad litora maris rubri deduxit*] Ita habent Codd. Flor. & Meus. Lipſius corrigit: *ad litora maris ſui.* id eſt Hyrcani vel Caſpii ad quod habitabant: ſupra Euphratem ex Armenia iviſſe volens per montana & finitima Iberiæ ad ſuum mare. Quoniam nimium putat fuiſſe circuitum & ne ſic quidem evitari Parthorum terras potuiſſe, quippe maritima Perſidos tenentium. Sed neque hæc correctio difficultate caret: nam cum inter Armeniam majorem, in qua Corbulo tunc cum exercitu verſabatur, vel potius Hiberiam, quæ ad occaſum Caſpii maris ſita eſt, & Hyrcaniam, quæ ad meridiem, vaſtiſſimus terrarum tractus ſit interjectus, Atropatia ſcilicet, ſive Mediæ pars ad mare Hyrcanum porrecta, hæc vero Parthis pareret, non potuerunt per hanc iter facere. Mari autem iter feciſſe parum veriſimile eſt, cum etiam hodie difficulter id navigetur. Quod ſi tamen maritimo itinere domum reverſos velis, quæro quid opus fuerit *præſidio* Romano ex Armenia majore eos in litora maris Caſpii deduci, cum Hiberi maris hujus accolæ ſocii Romanorum eſſent. Quare vulga-

vulgatam lectionem omnino censeo retinendam. Neque enim per Armeniam majorem regressi sunt hi legati sed per Syriam: inquit enim, *regredientes Corbulo ne Euphratem transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato præsidio ad litora maris rubri deduxit.* per *rubrum* autem *mare* intelligendus sinus Persicus & mare Indicum, ut 2, 61, 4. Nam quod ait vir doctus, Parthorum fines maritima illa omnia fere tetigisse, non absolute verum est. *Susiana* enim, *Persis* & *Carmania* inter Parthorum provincias non comparent apud Isidorum Characenum. Ratio quoniam Persæ semper proprium regem habuerunt, licet Parthorum stipendiarium, teste Strabone lib. XV. Per hujus igitur terras & ultima Mediæ, quæ forte Hyrcani exercitu tum insederant, iter fecisse patriamque repetiisse plusquam verisimile est.

14, 26, 1. *quosque nobis ob regem aversos animi cognoverat*] Cod. Flor. *quosque nobis ab rege animis cognoverat.* Meus: *quosque nobis alienos animis cognoverat.*

14, 26, 3. *& quo facilius novum regnum tueretur*] Adsentior Freinshemio inducenti τὸ *et* & distinguenti post τὸ *tueretur.*

14, 26, 4. *pars Armeniæ ut cuique finitima, pars Nipolique & Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt*] Flor. *pars Armenia eunt cuique.* Meus: *per* (m. f. *pars*) *Armeniam eunt cuique finitima pars manipulique & Arist.bulo.* Locus plane corruptus: sed qui a nullo hactenus felicius restitutus videtur quam I. F. Gronovio, qui sic divinabat: *Pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique & Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt.*

14, 27, 1. *Corbulo in Suriam abscessit, morte Numidii Legati vacuam ac sibi permissam*] Ita rescripsimus pro *Vinidii.* Cod. meus habet, *Unidii.* Vide ad 12, 45, 6. Ceterum ex hoc loco patet inter Syriæ Præsides post *Numidium Quadratum* reponendum *Domitium Corbulonem* non Cestium Gallum, ut putabat Richardus Montacutius*: vide 15, 17, 2. & 25, 4. * Analect.

14, 27, 2. *At in Italia vetus opidum Puteoli, jus coloniæ & cognomentum a Nerone apiscuntur*] Ita edidi

di ex Flor. vulgo *adipiscuntur*. Ceterum vide quæ contra Lipsium ad loci hujus illustrationem adfert Camillus Peregrinus.

14, 29, 1. *Cæsonio Pæto Petronio Turpiliano Coss.*] Lipsius eumque secutus Freinshemius existimant *Cæsonium* hunc *Pætum* esse eumdem, qui *Cæsennius Pætus* 15, 6, 3. tamquam ex Consulatu sic Cappadociæ præpositus, ut Petronius Britanniæ. Unde sequeretur in hujus viri nomine aut hic aut ibi ab librariis peccatum. Verum quominus in hanc sententiam concedamus Lapides intercedunt duo, in quibus distincta utriusque mentio. Alter apud Onuphrium ad hunc annum, in quo:

SILVANO. SANCTO
ET. MERCVRIO
ET. LIBERO. PATRI
SACRVM
M. VARGVNTEIVS. M. F
PAL. AVGVRINVS
SVA PECVNIA. D. D
III. IDVS. AVGVST
PETRONIO. TVRPILIANO
ET. CAESONIO. PAETO. COS.

Alter in Gruteri Corpore, cujus hæc Inscriptio:

IMPERIO
DOMINI. SILVANI
C. COSSVTIVS. C. L. EPAPHRODITVS
ARAM. SILVANO. MARMOR.......
ITEM
SIMVLACRVM. HERCVLIS
RESTITVIT
AEDICVLAM. ET. ARAM. EIVSDEM
CORRVPTA. REFECIT
DEDICAVIT. KAL. MARTIS
P. CALVISIO. RVSONE COS
L. CAESENNIO. PAETO

Unde patet diversos fuisse *Cæsonium Pætum*, cui Onuphrius & Pighius, nescio cujus auctoritate prænomen dant *Caji*, qui Consul ordinarius cum Petronio Turpiliano, a 814 & *L. Cæsennium Pætum*, qui Consul cum P. Calvisio Rusone, suffectus, ut pu-

puto hoc ipso anno ex Kal. Martiis, & insequente in Cappadociam missus. Huic enim *Lucii* prænomen tribuunt Excerpta Dionis apud Ursinum: & *Consularia insignia* noster 15, 7, 3. *Cæsonius* vero *Pætus* Turpiliani in Consulatu collega forte idem, qui *Cæsonius Maximus* 15, 71, 8. & Martiali lib. VII. ep. 44. ubi Consul dicitur & Senecæ intimus amicus. Mirifice autem confusi passim *Cæsonii* & *Cæsennii* in libris. *Petronium Turpilianum* Ursinus filium putat P. Petronii Turpiliani III viri sub Augusto, cujus plures exstant denarii. Hunc tamquam Neronis ducem a Galba interfectum scribit noster H. 1, 6, 2. Ut mirer a Pighio confundi cum C. Petronio, per Tigellinum ad mortem acto 16, 19, 3. Nec ab hoc errore immunis Onuphrius dum *C. Petronium C. F.* vocat, cum *P. Petronium P. F.* debuisset; uti patet ex Phlegonte de Mirab. cap. 20. Ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Ποπλίου Πετρωνίου Τουρπιλιανοῦ καὶ Καισωνίου Παίτου. vulgo legitur: Ποπλίου Πετρωνίου τοῦ Σπαλιανοῦ καὶ Κεσεννίου Πάτου. Ubi Meursius infeliciter ex Fastis, ut putat, Capitolinis, ut res est, Panvinianis, corrigit, Καίου Πετρωνίου Τουρπιλιανοῦ.

In qua neque Avitus Legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat] Hic supra 12, 40, 1. vocatur *A. Didius*: A. 14, 3. *Didius Gallus*: unde *A. Didius Avitus Gallus* dictus videtur. Index Freinshemianus *Avitum* hunc confundit cum *Dubio Avito*, de quo 13, 54, 2.

14, 29, 4. *equites vado secuti*] Vir doctus mavult *vada*. sed & vulgata Latina. Cæsar lib. I. de B. G. cap. 6. *Rhodanus nonnullis locis vado transitur.*

14, 30, 2. *novitate adspectus perculere militem*] Ita habet Cod. meus, item Edd. ante Pichenam, qui *milites*, ex Flor. dedit, quia sequitur *præberent*, quasi miles collective non poneretur.

14, 30, 4. *Præsidium posthac impositum victis*] Rhenanus dedit *vicis*: quod placet I. F. Gronovio: nec spernendum, si alicujus scripti auctoritate niteretur.

14, 31, 2. *Iam primum uxor ejus Boudicea*] Nomen hujus reginæ procul dubio corrupte hic scriptum est: nam Flor. *Bodicia*. Meus hic *Boudicia*. & mox

mox aliquoties *Bonducca*. A. 16, 1. *Voadica.* Sincere, ut videtur, apud Dionem lib. LXII. Βουδοῦικα.

14, 31, 3. *& qui alii nondum servitio facti*] Ita Flor. sed Meus, *fracti*.

14, 32, 2. *Et femina in furore turbatæ*] Cod. meus destituitur τῷ *in*.

14, 32, 5. *& inerat modica militum manus. Tutela templi freti & impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant neque fossam aut vallum præduxerunt, neque*] Ita interpunxi de sententia Freinshemii. Hactenus: *manus, tutela templi freti. Et.* perperam. duæ enim caussæ proponuntur negligentiæ & incuriæ istorum militum; quod neque fossam aut vallum præduxerant, tutela templi freti, nec senes & feminas amoverant, impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant. Per *tutelam templi* intelligo munimenta, ante enim *arcem æternæ dominationis* vocat, nisi malis cum viro docto intelligere septum & aliquam non magni operis munitionem, ex Varrone lib. I. de R. R. cap. 14.

neque motis senibus & feminis] Amicus malebat: *remotis* vel *submotis*. Sed 14, 60, 4. *Movetur tamen primo civilis discidii specie.*

14, 33, 4. *omissis castellis præsidiisque militarium*] Cod. meus: *præsidiisque militum.* quomodo Muretus voluit. nisi fuit *militaribus*. quod Pichena maluit. Sic enim 14, 45, 3. *omne iter militaribus præsidiis sepsit.*

quod uberrimum spoliant & defensoribus intutum, læti præda & aliorum segnes petebant] Mercerus legit, *spolianti*. quod sequor. id est alacres ad prædam, segnes ad cetera castellis ac præsidiis militaribus omissis tendebant ad municipia defensoribus vacua, spoliis uberrima. Amicus malebat, *læti prædæ*, ut *lætus animi* 2, 26, 1. Lipsius *laborum segnes*. sed nulla opus mutatione. Similiter enim 16, 14, 1. *segnis occasionum*.

14, 33, 5. *ac prærepta interim ultione*] Amicus malebat, *præcepta*. ut 1, 55, 1. 2, 35, 3. 3, 57, 1. Vulgata tamen magis rei convenire videtur violentiæ.

14, 34, 2.

14, 34, 2. *Igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques adstitit*] Ita habent Flor. & Meus. Vulgati hactenus minus recte: *ordinibus, levi circum armatura conglobatus, pro* &c.

14, 35, 3. *Ne strepitum quidem & clamorem tot millium*] Dio lib. LXII. Bonduicæ exercitum in principio ait fuisse centum & viginti millium hominum. Paullo post: hoc tempore post expugnatas duas urbes ducentorum & triginta millium.

14, 36, 3. *etiam in multis legionibus, paucos esse qui prælia profligarent*] Sic H. 2, 4, 5. H. 3, 50, 2. H. 4, 73, 2. *profligare bellum.* Vide de hoc verbo Gellium lib. XV. cap. 5.

gloriæque eorum accessurum, quod modica manus, universi exercitus famam adipiscerentur] Ante hic edebatur *manu*, quod Acidalius non male judicavit mutandum in *manus.* Ita enim habet MS. meus item Oxon. Unde sic rescripsi. Flor. *man;* ut 13, 40, 4. *cornu;*.

14, 36, 5. *ut certus eventus Suetonius, daret pugnæ signum*] Cod meus: *certus eventu.* Unde forte scriptum primitus, *eventi.* prout Ferrettus voluit.

14, 39, 4. *Detentusque rebus gerundis Suetonius: quod post paucas naves in litore, remigiumque in iis amiserat tamquam*] Cod. meus: *post quod paucas.* Flor. *quod post paucas.* sicut edidere Lipsius & Pichena. Ut videtur recte. Continet enim hæc particula remotionis *Paullini* caussam. Beroaldus dedit: *qui post paucas.* I. F. Gronovius legit: *postquam paucas.* quod ad Cod. mei scripturam accedit proxime.

14, 40, 2. *Ejus propinquus Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum*] Flor. Meus & Bud. *& propinquus.* unde Rhenanus recte conjecit, *ei* scribendum: quod & alii secuti sunt.

Vincio Rufino] Ita Flor. Meus, Bud. & quos Lipsius vidit Vett. Vulgati plerique hactenus, *Vicio.* Unde plures notant *Vinicio* corrigendum. *Vincia* tamen Marcella & *Vincia* Helpis in Inscriptionibus apud Gruterum occurrentes corrigere vetant: etsi fatear *Viniciam Rufinam* in iisdem pariter conspici.

14, 41, 3. *Additur Senatusconsulto*] Ita Flor. Meus & Bud. Intelligitur autem eidem *Senatusconsulto*, quo Valerius Ponticus Italia interdictum; *additum: Qui talem* &c. Vulgati hactenus, *Senatusconsultum.*

Qui talem operam emptitasset, venditassetve] Cod. meus: *venditassetve*, ut *venditata munera* 14, 50, 2. *venditans mutationes stativorum* H. 1, 66, 4. Vulgati hactenus: *vendidissetve.*

14, 42, 1. *Haud multo post præfectum Urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit*] H. 2, 71, 4. occurrit *Pedanius Costa*. *Pedanius* quoque Dioscorides Anazarbensis dictus, non ut in editis exemplaribus *Pedacius*, uti ex MS. Cæsareo docet Lambecius.

sive amore exoleti infensus & dominum æmulum non tolerans] Ita MSS. Pichena mavult *incensus*, propter sequentia. Mihi vel ideo *infensus* placet, ne bis idem dicat.

14, 42, 3. *Senatuque in ipso erant studia*] Hæc lectio a Lipsio primum profecta, a Berneggero contectui inserta est. Flor. & Oxon. *Senatusque in quo ipso erant.* Meus: *Senatusque in quo ipsu erant.*

Ex quis C. Cassius] Sic Flor. & Meus. Vulgati hactenus: *Ex quibus.* De C. Cassio vide ad 6, 15, 1.

14, 43, 3. *cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra avertit*] Ita malui edere cum Beroaldo, cum viderem sic habere MS. meum; quam *advertit*, cum Rhenano, quod sensui non satisfacit. Nisi mutata constructione sed elocutione exquisita placeat cum I. F. Gronovio: *quam ne in metu quidem pericula nostra advertunt.*

14, 44, 1. *creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse*] Ita habet Ed. Ven. & qui eam secuti sunt Editores, item MS. Flor. Rhenanus fatetur se fecisse *sumpsisse*, quod exinde Editiones insedit pro *insumpsisse*. Quod non fecisset si Statium in consilium adhibuisset, apud quem lib. XII. Thebaid. v. 643.

Terrarum leges & mundi fœdera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes
Cœptibus.

14, 44, 6. *Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur etiam strenui sortiuntur*] Ita edidi cum

cum Rhenano. Editores reliqui: *Num & ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur etiam strenui non sortiuntur?* Sed Flor. & Meus destituuntur negativa ante *sortiuntur*: & Meus pro *Num* habet *Nam*. Hanc vero lectionem egregie explicat I. F. Gronovius: videlicet reddi his verbis rationem ejus quod ,, non ponitur, sed intelligitur ex præcedenti. Qua-,, si foret: *At quidam insontes peribunt.* Pereant sa-,, ne; neque id hoc solum casu contingit. *Nam & ,, ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, ,, etiam strenui sortiuntur.* id est sortem trahunt in-,, ter decimandos & sæpe accipiunt iniquiorem, ,, pereuntque insontes. Vide reliqua.

14, 45, 4. *Cingonius Varro*] Hic deinceps designatus Consul a Galba interfectus, H. 1, 6, 2.

14, 46, 1. *Damnatus iisdem Consulibus Tarquitius Priscus*] De quo diximus, ad 12, 59, 1.

magno Patrum gaudio, quia accusatum] Ita habent Codd. Flor. & Meus. Ed. Ven. & quæ hanc secutæ sunt priscæ: recentiores, *qui accusatum*.

14,46,2. *Census per gallias a Q. Volusio, & Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt*] De *Q. Volusio* vide ad 13, 25, 1. *Sextio Africano* edendum curavi ex MSS. Flor. & Meo. pro *Sex. Africano*, quod vulgati hactenus circumtulerunt. Videtur enim *Sextius* hic *Africanus* pater aut avus *T. Sextii Africani*, qui Consul cum Trajano VI. a. V. C. 865. teste Phlegonte de Mirab. cap. 25. Neque enim *C. Iulius Africanus* is dictus, ut ponit Panvinius, cujus sæpe meminisse Plinium ait in epistolis. Nam apud Plinium lib. VII. ep. 6. mentio quidem *Iulii Africani*, Oratoris; nulla Consulis. Meursius ad Phlegontis locum errorem errori addit: dum Fastos Capitolinos corrigendos crepat, quod *C. Iulium Africanum* II ponant Consulem, cum prioris illius Consulatus nemo meminerit, ne ipsi quidem illi Fasti. Sed Fasti qui vulgo Capitolini & in extremo Augusti anno desinunt, a Panvinio usque ad XVII Heraclii annum, quousque Fasti Siculi pertingunt, continuati sunt. Quæ continuatio cum in Friderici Sylburgii Editione librariorum errore etiam Fastorum Capitolinorum titulo veniat, viro docto fraudi fuit. In hac autem apud Panvinium

ipsum *C. Iulius Africanus* bis ponitur Consul semel inter suffectos a. 861. iterum inter ordinarios a. 865. *Trebellius Maximus* anno insequenti, ut putat Onuphrius, Consul fuit suffectus cum L. Annæo Seneca, quibus Coss. factum SCtum *Trebellianum*, l. 1. §. 1. D. ad SC. Trebell. videturque iste annus maxime convenire Senecæ Consulatui, quem Nero dissimulando odio post negatum ei commeatum in eum contulisse credibile est.

14, 47, 1. *Eo anno mortem obiit Memmius Regulus*] Vide ad 12, 22, 2.

14, 48, 1. *P. Mario, L. Asinio Coss.*] His Coss. decessisse Persium auctor vitæ ejus scribit. *P. Marius* videtur frater fuisse aut patruelis *Marii Celsi*, qui deinceps Consul designatus a Galba sed inter suffectos H. 1, 14, 2. & 77, 3. in Kal. Septembres. Quod non rescidit Vitellius H. 2, 60, 5. licet inter Othonianos duces fuisset. Nam eumdem, quod Onuphrius putat, non existimo, quoniam Celsus iste nusquam Consul iterum dicitur, quod ille ponit. *L. Asinius Gallus*, ut cognominatur auctori vitæ Persii, filius videtur *Asinii Galli*, qui in Claudium conspiravit, teste Suetonio in Claud. cap. 13. & Dione lib. LXII. nepos *C. Asinii Galli*. Vide ad 6, 23, 2.

Antistius Prætor] Cod. meus: *C. Antistius*. Forte fuit filius *C. Antistii Veteris*, qui Consul a. 803. Vide ad 4, 1, 1.

14, 48, 2. *Tum primum revocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsivit*] Adsentior Freinshemio rescribenti: *Tum primum revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antistio quam Imperatori gloria quæsita.*

14, 48, 4. *Pætus Thrasea*] Cod. meus: *Trasea*. & sic semper.

14, 48, 6. *Quin in insula publicatis bonis*] Cod. meus: *Qui in insulam relegatus, publicatis bonis*. Flor. juxta Pichenam; *Qui in insula*. Vulgata lectio videtur tolerari posse, modo *futurus* legatur pro *futurum*. aut *miseriorem* pro *miserior*, ut jam aliis monitum.

14, 50, 1. *Fabricius Vejento*] Meminit Iuvenalis cum alibi, tum Sat. IV.

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo.

item Plinius lib. IV. ep. 22. unde patet deinceps Nervæ Imperatori fuisse familiarissimum.

14, 50, 2. *Talius Geminus*] Muretus, *T. Allius.* Quod forte non spernendum, quoniam *Q. Allius Maximus Cos.* occurrit in veteri Inscriptione apud Pighium Tom. III.

14, 51, 4. *Sofonium Tigellinum*] Cod. meus: *Tigillinum.* & sic semper. item apud Suetonium Galba cap. 15. contra Τιγελλῖνος, ut hic, perpetuo apud Dionem.

veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus; quæ illi pro cognitis moribus fuere] Ita edidi ex Cod. meo, quoniam tolerabilior visa lectio hæc, quam aut Francisci Puteolani aliorumque ex primis Editoribus: *secutus, & quæ illi progenitis moribus fuere.* aut Rhenani: *secutus, ac quæ illi pro cognatis moribus fuere.* aut Pichenæ: *secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere.* Sensus vero: quæ non fefellere hominum opinionem, sed tales revera fuerunt, quales vulgo noscebantur. Cornelius Nepos Miltiade: *eaque esset ætate, ut non jam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum qualem cognitum judicarunt. In eo secutus* ut 14, 57, 1. *amicitiam in eo criminantibus.*

14, 53, 2. *Abavus tuus Augustus*] Hactenus hic lectum, *Atavus.* Quod cum veritati & ipsi Tacito contrarium, non dubitavi mutare in *Abavus.* Supra enim 13, 34, 1. *divo Augusto abavo Neronis.* Seneca lib. I. de Clem. cap. 10. *Ignovit abavus tuus victis.* Et Agrippina Germanici filia Neronis mater, Agrippina Agrippæ filia ejusdem avia, Iulia Augusti filia ejusdem proavia, *Augustus* ergo per maternam originem Neronis *abavus.*

14, 53, 4. *Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui quam*] Cod. meus. *munificentiæ tuæ.*

quam studia ut sic dixerim in umbra educata; & quibus claritudo venit, quod] Ita edidi ex Cod. Flor. pro, *e quibus.* quod Edd. hactenus exhibent. Amicus etiam pro *educata* malebat *educati:* quoniam ipsa studia domi proprie & in musei umbra quæruntur.

runtur. Ipſe vero in umbra fuit educatus, ſive forum non attigit niſi Prætor.

14, 53, 5. *Adeo ut plerumque intra me ipſe volvam*] Ita Flor. & Oxon. vulgati, *intra me ipſum.*

14, 53, 6. *Tales hortos inſtruit*] Ita habent Edd. antiquæ, Cod. Flor. & Meus: *exſtruit.* Nil tamen mutandum videtur. *Inſtruere* enim *hortos*, ut *inſtruere domum, tabernam.* l. 74. §. ult. D. de Adimend. vel transf. leg. *Pater hortos inſtructos filiæ legavit.* Hinc tit. *de Inſtructo vel Inſtrumento legato.*

14, 54, 2. *Cetera invidiam augent*] Cod. meus: *ceterum invidia agimur.* Flor. *Cetera invidiam agent.* Vulgatam tuentur Edd. antiquæ: & *cetera* hæc indicantur mox 56, 6.

14, 54, 3. *quomodo in militia aut via feſſus adminiculum orarem*] Per *adminiculum in militia* Lipſius *optiones* interpretatur: I. F. Gronovius *cauſſariam miſſionem.* verius. Optiones enim in militia vicarii erant centurionum, ſed ordinarii. *Adminiculum* autem petitum ex agricultura. Seneca lib. II. de Clementia cap. 7. *Agricolas bonos imitabimur qui non tantum rectas proceraſque arbores colunt: ſed illis quoque quas aliqua depravavit cauſſa, adminicula quibus regantur, applicant.*

14, 54, 5. *& tot per annos nixum faſtigii regimen*] Cod. meus: *viſum faſtigii regimen.* Videtur ſcribendum: *nixum faſtigio r.* ut I. F. Gronovio notatum. *Faſtigio* autem, ut 15, 1, 1. *ſpretum Arſacidarum faſtigium ire ultum volens.* Grotius: *enixum faſtigio r.* pro, ad faſtigium: paullo aliter.

poſſumus ſeniores amici, quiete reſpondere] Locus hic varie a doctis tentatus eſt, dum non obſervant vim verbi *reſpondere*, quod hic eſt ſatisfacere, ut ſolebant qui citati ad nomen *reſpondebant* ſive in delectu ſive in judicio atque ita ſatisfaciebant: ut egregie explicat I. F. Gronovius lib. II. Obſerv. cap. 4.

eos ad ſumma vexiſſe] Amicus malebat: *evexiſſe.*

14, 55, 2. *Avus meus Auguſtus*] Lipſius: *abavus.* non MSS. nec neceſſe. *Avos* enim appellat lingua Latina etiam ultra ſecundum gradum ex quibus orti ſumus.

14, 56, 2. *ornatumque robur ſubſidio impenſius regis*] Ita Flor. a m. p. & Meus conſtanter. id eſt

„ poſt-

„ postquam robur ætatis meæ præceptis tuis ornasti, nunc tuo subsidio impensius regis: ut Pichena παραγράφει.

14, 56, 4. *non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamium paret, inde gloriam sibi recipere*] *Paret* exhibent Codd. Flor. & Meus, quos secutus sum: vulgati post Rhenanum, *parat*; ante, *parit*: utrique perperam.

15, 56, 6. *Seneca (qui finis omnium cum dominante sermonum) grates agit*] Factis præstitit quod verbis docuit lib. II. de Ira cap. 33. quæ Forstneri observatio est.

14, 57, 4. *cui caveri utcumque ab urbanis insidiis præsenti cura*] Vulgati hactenus, *præsentia*. Flor. *præsentiora*. Unde alii alia: Freinshemius fecit, *præsenti cura*. Quod cum totidem literis in MS. meo reperiatur, recipere non dubitavi.

14, 57, 5. *Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii*] Amicus malebat: *in magnis opibus*.

14, 57, 8. *Relatum caput ejus inlusit Nero*] Cod. meus: *Perlatum*.

14, 58, 4. *Hæc more famæ, credentium otio augebantur*] *More famæ* agnoscit præter Flor. etiam meus Codex. Pro *otio* assentior plane I. F. Gronovio vix esse, ut non scripserit Tacitus *odio*. Sic 4, 11, 4. *Sed quia Sejanus facinorum omnium repertor habebatur ex nimia caritate in eum Cæsaris, & ceterorum in utrumque odio, quamvis fabulosa & immania credebantur.* Item H. 1, 51, 7.

14, 58, 5. *effugeret segnem mortem, otium, suffugium & magni nominis miserationem, reperturum bonos*] Cod. meus: *otii suffugium*. Freinshemius de conjectura sic reformabat: *otium suffugiis & magni nominis miseratione reperturum bonos.* id est spatium „ & tempus suffugii superesse; intereaque posse „ cum clari generis commiseratione multos ad pro„ pulsandam injuriam inlicere.

14, 58, 6. *multa secutura quæ adusque bellum evalescerent*] Ita Flor. nec abscedit Meus, nisi transpositione: *quæ usque ad bellum evalescerent*. Oxon. non habet τὸ *bellum*.

14, 59, 2. *Musonium Tusci generis*] Hic idem qui

Musonius Rufus equestris ordinis studium Philosophiæ & placita Stoicorum æmulatus. H. 3, 81, 1. C. *Musonius* Plinio lib. III. ep. 11. in exsilium pulsus a Nerone propter nominis claritudinem 15, 71, 6. cum præfectus esset munitionibus, teste Suida. Quod munus simul cum civitate recepisse eum a Vespasiano Iudæorum Talmud docet, in quo aratrum Hierosolymis impressum scribitur a *Turam Ruso.* uti Scaliger ad Eusebium docet. Eumdem tamen in eo fugit ratio quod *Musonium Rufum* equestris ordinis Stoicum alium suspicetur a *Musonio Rufo Tyrrheno* munitionum præfecto in exsilium pulso, quia *Stoicus* in exsilium haud pulsus. Xiphilinus enim & Zonoras negant quidem pulsum hunc cum reliquis Philosophis sub Vespasiano, sed inde non sequitur a Nerone pariter exceptum. Immo ex Tacito & epistola Iuliani apud Suidam v. Μȣσώνιος clare constat eumdem esse, uti contra Scaligerum notavit Ioannes Ionsius lib. III. de Script. Hist. Phil. cap. 7.

14, 59, 3. *centurioni & manipulo*] Ante 14, 58, 6. *sexaginta milites*. vide ad 1, 32, 3.

14, 60, 4. *Movetur tamen primo civilis discidii specie*] Ita MS. meus: vulgati hactenus, *dissidii*. Vide ad 2, 86, 3. *movetur*, ut 14, 60, 4. *motis senibus & feminis*.

14, 60, 6. *His motus Nero an pœnitentia flagitii conjugem revocavit Octaviam*] Vulgati hactenus mutile: *His haudquaquam Nero pœnitentia.* In quibus restituendis Lipsius sine ope MSS. frustra laborari pronuntiat. Idem tamen ad Editionem quam Modius ad eum miserat, Agricolæ manu notatum ait: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii.* sed ingenio, ut opinatur, duce. Unde Acidalius præceps damnat tamquam de Agricolæ conjectura profectum. Sed ita plane habet Codex, cujus Agricola quondam dominus, non a manu secunda sed prima, non a correctione sed ab origine. Quare non sum veritus certissimam hanc lectionem Tacito restituere. Oxon. *His motus Nero, tanquam pœnitentia.*

14, 61, 2. *Itur etiam in Principis laudes, expetitur venerantibus*] Puteolanus & alii ante Rhenanum: *repetitum venerantur.* Rhenanus, & qui exin-

de: *repetitum venerantium.* quibus verbis Lipsius asteriscum appinxit, ingeniorum crucem. Unde alii aliter hic legunt. Quos satagere amplius vetat verissima Cod. mei lectio: *expetitur venerantibus.* scilicet Nero: præcedit enim: *Itur etiam in Principis laudes.* sequitur: *Iamque & palatium multitudine & clamoribus complebant.* Quare hanc expressimus.

14, 62, 1. *Sed parum valebat suspicio in servo & quæstionibus ancillarum eluserat*] Scilicet suspicionem Octavia. Quamquam durior hæc ellipsis. Nam quod putat Freinshemius *eluserat* forma neutrorum poni, placet minus. Unde inducor, quod multorum conjectura visum, legendum: *elusa erat.* Certe Cod. meus *elusa* habet.

14, 62, 3. *quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes adspiciuntur*] *Malorum* clare habet. Cod. meus. *majorum* corrupte Flor. Ante Freinshemium edebatur: *graviorum.* perperam.

14, 63, 2. *Non alia exsul visentium oculos majore misericordia adfecit*] Hoc tempore verisimile *Octaviam* a Seneca conscriptam; scio Lipsium fabulam hanc Senecæ abjudicasse; & languidius reliquis scriptam verum est: nihilominus Scaligeri judicium Senecæ eam vindicantis verum puto.

14, 64, 1. *præsagio malorum jam a vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat*] Flor. *jam victa exempta.* Meus: *jam vita exempta.* Unde Nicolaus Heinsius: *vitæ exempta.* & paullo post: *morti adquiescebat.* Utrumque verum videtur. Sic *eximi morti* 14, 48, 2. *eximi periculo.* H. 1, 73, 1.

14, 64, 2. *communesque Germanicos*] Hæc Editionis Venetæ lectio quam Freinshemius recte Tacito restituit, confirmantque Flor. & Meus.

14, 64, 4. *Additurque atrocior sævitia*] Ita Flor. & Meus. Inde I. F. Gronovius: *atrocius sævitiâ.* Nicolaus Heinsius: *atroci hoc sævitiæ.* Sed vulgata tolerari posse videtur.

14, 65, 1. *Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est*] Flor. & Meus: *creditus est.* vulgati hactenus: *creditum est.* amicus malebat: *interiisse.* vel *intercidisse.*

14, 65, 2. *Romanus*] Dubito an sit *Romanus Hispo*, quem ante sex & quadraginta annos in Granium Marcellum subscripsisse commemoravit, 1, 74, 1. 2. Innuit hoc Index Freinshemianus.

C. Pisonis] De hoc vide 15, 48, 1.

AD

AD ANNALIVM
LIBRVM XV.

15, 1, 3. *sed temeritate obsidis, tot per annos inter mancipia habiti*] Cod. meus habet, *obsidii.* quod forte a Tacito: ut enim *conjugium* pro conjuge, *servitium* pro servo, *ministeria* pro ministris alibi, sic *obsidium* pro obside. Vide 11, 10, 8.

15, 1, 5. *Tiridates quoque regni profugus per silentium haud modice querendo, gravior erat*] Lego cum Mureto, *aut modice querendo.* Freinshemius, qui defendit vulgatam, non observat verba, quæ hoc *silentio* quasi prolata videri vult, non referri ex persona Taciti, aut hominum, ita *silentium* hoc interpretantium, sed ipsius Tiridatis. Unde patet vulgatam lectionem ita defendi non posse. Dicit autem, *aut modice querendo*, id est cum prudentia, sic ut parceret fratri, reprehenderet tamen ejus administrationem.

15, 1, 6. *Id in summa fortuna æquius, quod validius*] Plura in hunc sensum collecta habes apud Grotium in Proleg. de Jure B. & P. quæ profecta ab hominibus, obligationem Juris naturæ non intelligentibus.

15, 2, 1. *Vologeses concilium vocat*] Intelligit *Synedrium* illud duplex cognatorum & magorum, de quo Strabo lib. XI. quod Iustino lib. XLII. cap. 3. *Senatus.*

15, 2, 3. *addita modestiæ fama, quæ neque summis mortalium spernenda est, & a diis æstimatur*] Ita Flor. Meus. Freinshemius infeliciter: *& ab imis æ.* *Modestiam* vocat moderationem parce ac tarde vim experiendi; seu pudorem temere ac statim prosiliendi ad arma etiam adversus fœderum ruptores.

15, 3, 1. *Vettio Bolano*] Ita rescripsi pro *Vectio.* quod Edd. hactenus prætulerunt: quoniam sic appellatur in Lapidibus, ad quos MS. meus accedit proxime, exhibendo, *Vetio.* Eumdem enim esse quem Consulem cum C. Calpurnio Pisone, marmora produnt, colligi potest ex eo quod in Britan-

niam a Vitellio missus Legatus Consularis, H. 2, 65, 5. A. 8, 1. Apud Manutium Orthogr. exstat Inscriptio, quæ sic incipit:

C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLA-
(NO. COS.

Apud Gruterum sequens:

C. CALPVRNII. PISONI
M. VETTII. BOLANI
COS.
PONTIFEX. STIPE

Apud Nardinum lib. IV. Rom. Antiq. cap. 4.

SILVANO. SANCTO. LVCIVS. VALLIVS. SOLON
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT. DEDICAVIT. KAL. APRILIB
PISONE. ET. BOLANO. COS.

Non reperiuntur hi Consules inter ordinarios, unde consequens suffectos fuisse. Et Pighius suspicatur *Bolanum*, quem superioribus annis Legatum prætorium sub Corbulone militasse ait, Consulem fuisse ex Kal. Iul. a. 814. quo Cæsonius Pætus & Petronius Turpilianus Consules annum aperuerant. Sed hæc conjectura hoc Taciti loco revincitur, quo *Bolanum* a. 815. adhuc legioni præfuisse sub Corbulone patet. Verisimilius Consulatum reduci cum Corbulone a. 820. in præmium datum. Nam ne a. 821. quo Silius Italicus & M. Galerius Trachalus Consules, & Nero periit *Vettii* Consulatum adscribam, Plinius facit lib. III. ep. 6. ubi de Silio: *Utque novissimus a Nerone factus est Consul ita postremus ex omnibus quos Nero Consules fecerat, decessit. Illud etiam notabile, ultimus ex Neronianis Consularibus obiit, quo Consule Nero periit.* Statius in Protreptico ad Crispinum, *Bolani* filium, prædicat nobilitatem ejus avitam: unde videtur ex posteris *L. Vettii Indicis*, de quo Suetonius Iul. cap. 17. & cujus exstant denarii: aut *M. Bolani*, apud Ciceronem lib. XIII. Fam. ep. 77.

15, 3, 4. *Et quia egena aquarum regio est, castella fontibus imposita*] Cod. meus: *egens.* Flor. non mutat.

quosdam rivos congestu aquarum obdidit] Ita edidi

cum

cum Edd. ante Rhenanum, qui scripsit, *abdidit*, quod deinceps insedit; quoniam *obdidit* significantius: tractum quippe a foribus, quæ *obduntur* claustris & pessulis. Deinde Ursinus affirmat ita sibi in vet. Cod. repertum.

15, 5, 1. *socium amicumque regem cohortes Romanas circumsideri*] Vulgati hactenus *circumsidere*. Sed meus MS. *circumsideri*. quod secutus sum. Intelligitur enim Tigranes, non Vologeses: hunc enim appellare adhuc *socium amicumque* post hostilem in Romanos animum tam clare ostensum blandientis nimium ducis, non Corbulonis erat. Immo Corbulonem Vologesem habuisse pro hoste propter hanc ipsam obsidionem patet ex comminatione, quam adjungit, nisi omitteret obsidionem, *se quoque in agro hostili castra positurum.*

15, 5, 3. *Vologesi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi*] Pro *vitare*, vel *ut vitaret*. sic 2, 43, 7. *Plancinam haud dubie Augusta monuit muliebri æmulatione Agrippinam insectandi.* 15, 21, 2. *maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.*

15, 5, 4. *Nam exorta vis locustarum ambederat, quidquid herbidum ac frondosum*] De locustis vide collecta Bocharto Parte II. de Anim. S. S. lib. IV. cap. 1. & seqq.

15, 6, 3. *& adventare Cæsennius Pætus audiebatur*] Cod. meus: *Cesenius*. Sed in veteri Lapide, quem adduximus ad 14, 29, 1. dicitur *L. Cæsennius Pætus*. Nam hunc esse eumdem cujus Inscriptio meminit ex Dione patet in Excerpt. apud Ursinum: Λύκιον δὲ Σένιον (scribe, Καισέννιον) Παῖτον ἐς τὴν Καππαδοκίαν, ὅπως μηδὲν περὶ τὴν Ἀρμενίαν νεοχμωθῇ ἀπέστειλεν. *Lucium vero Cæsennium Pætum in Cappadociam, ne quid apud Armenios novi motus existeret, misit.* Hunc deinde ad Syriam administrandam post Mucianum a Vespasiano missum Lipsius ex Iosepho putat: apud quem lib. VII. de B. I. cap. 9. Τὸν γὰρ ἡγεμονεύοντα τῆς Συρίας Κεσέννιον Πέτον, ἤδη μὲν Οὐεσπασιανὸς ἐξαπεστάλκει, συνέβαινε δὲ παρεῖναι μηδέπω. *Rectorem namque Syriæ Cæsennium Pætum jam quidem Vespasianus miserat, nondum autem ille appulerat.*

15, 7, 2. *quartam Famisulanus Vectonianus*] Cod. Flor. *Funisulanus Vettonianus*. Meus: *Funisolanus Vectomanus*. Et *Funisulanus* rectum videtur. Romanum cum nomen patet ex Cicerone lib. V. ad Att. ep. 4.

duodecimam Calavius Sabinus regebant] Cod. meus: *Calanus*. Freinshemius legit: *Calvisius*. & eumdem putat, cujus mentio H. 1, 48, 4.

15, 7, 3. *equus qui consularia insignia gestabat*] *Gestare* hic ponitur, ut H. 1, 3, 4. *Servus* &c. *patibulo affixus in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat*. Quod autem Lipsius ex *Consularibus insignibus* colligit *Cæsennium Pætum* eumdem cum Cæsonio, qui Consul cum Petronio Turpiliano revicimus supra ad 14, 29, 1. Consulatum *Cæsennii* inde evinci non negaverim.

15, 10, 5. *tria millia delecti peditis proximo Tauri jugo imposuit*] Flor. & Meus: *pedites*. unde Pichena, *peditis*. Edd. ante eum: *delectorum proximo*. absque *pedites*.

15, 10, 6. *cui Arsamosata nomen est*] Ita pariter scribitur apud Ptolemæum lib. V. cap. 13. & apud Plinium lib. V. cap. 13. ex veteri Cod. sic adducitur, ubi in vulgatis legitur: *Arsamote Euphrati proximum*. Sed apud Polybium in Excerpt. lib. VIII. Ἁρμόσατα, ἣ κεῖται πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ, μέσον Εὐφράτου καὶ Τίγριδος. *Armosata urbs est inter Euphratem & Tigridem sita in campo qui pulcher dicitur*. & in nummo M. Aurelii in Mediceis Gazis, teste Holstenio: ΑΡΜΟϹΑΤΤΗΝΩΝ. quo scriptura hæc confirmatur.

15, 11, 9. *missis iterum ad Corbulonem precibus*] Ita Rhenanus ex Bud. ut credo: nam MS. meus exserte habet *iterum*; & quantum ex silentio Pichenæ colligo tum collationis Gronovianæ etiam Florentinus: ut mirer Freinshemium scribere in Florentino sicut Veneto esse, *item*. unde ipse facit *identidem*.

15, 12, 3. *Pactium primipili centurionem*] Cod. meus: *Pacuvium*. supra 13, 36, 2. *Pactius Orfitus, primipili honore perfunctus*, dicitur.

15, 12, 5. *quod illud & quantum decus, ubi par eorum numerus apisceretur, qui attulissent salutem &*

qui

qui accepissent] Ita edidi ex Cod. Flor. vulgati hactenus: *adipisceretur*. Sed alia majoris momenti difficultas in hac voce residet. Lipsius enim illam mutat in *adspiceretur*, quod Pichena in contextum recepit, adstipulantibus Paschalio & Freinshemio. Sed V. A. Gisbertus Cuperus in Explicatione gemmæ Augustææ vulgatam lectionem tuetur, nec inde sequi quod Paschalius infert, coronam civicam eos etiam adepturos vel habituros, qui servati erant, contendit. Quoniam servati, ab Imperatore accipiebant coronas non ut sibi servarent, sed ut servatoribus imponerent. Quod elicit partim ex verbis præcedentibus, *Imperatoria manu tribueretur*. quæ aliter videntur explicari non posse: partim ex consuetudine, qua libera Repub. civis servatus servatori propria manu coronam dabat. uti ex Gellio lib. V. cap. 6. Cicerone pro Plancio cap. 30. Polybio lib. VI. & aliis constat.

15, 13, 1. *modo castellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare*] Ita recte pro *oppugnaret* ex Flor. correxit Pichena. Nam Meus adludit vitiosa lectione: *ad pugnam*. & similiter 4, 48, 3. *alii castra Romana adpugnarent*.

15, 13, 2. *pars jussu ducis & alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes*] Vulgati hactenus: *aut metu Corbulonem o.* sed Codd. Flor. & Meus non habent τὸ *metu*. uti nec Budensis a prima manu, quantum ex Rhenani verbis intelligitur, in quo pariter *ut* fuit pro *aut*: unde legendum monet, ut edidimus. Quam lectionem I. F. Gronovius adstruit contra illos, qui ignorantes *ignaviam* hic idem esse quod *metum*, vulgatæ hactenus lectionis auctores aut patroni exstiterunt.

provisis exemplis Caudinæ ac Numantinæ cladis] Cod. meus: *Caudinæ Numantinæque deditionis*. Flor. hic defectus duabus vocibus: *Caudine Numantineque eandem* &c.

15,13,3. *aut Pœnis Romani Imperii æmulis*] MSS. non juvant. I. F. Gronovius: *aut Hispanis quam Parthis Romani Imperii æmulis*. quod videtur verum. Nisi enim ita aut similiter scripsisse Auctorem velimus ab errore immunem pronuntiare non possumus. Numantia enim excisa quatuordecim annis

post

post eversam a Romanis Carthaginem & quidem propter nullam Pœnorum caussam, sed quod Segidenses, qui Romanos offenderant, quod urbem suam contra fœdera cum Graccho percussa munierant, receperant. Vide Appianum Hispan.

15, 13, 4. *quod pro Armeniis &c. hostilia faceret*] Id est ad *Armenias* obtinendas. Ursinus perperam delet *pro*.

15, 13, 5. *at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum juvarent*] Amicus: *quo bellum innovarent*.

15, 14, 1. *locum illis tempusque consilio destinatum, quo de Armenia cernerent, quod se fastigioque dignum Arsacidarum*] Hactenus hic editum: *illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent: adjecisse deos dignum Arsacidarum.* quæ verba quoniam nullum sensum præbent commodum innumeris fere remediis tentata sunt ab hominibus eruditis, quos satagere ulterius vetat certissima MS. mei scriptura quam exhibemus: *locum illis tempusque consilio destinatum, quo de Armenia cernerent, quod se fastigioque dignum Arsacidarum.* id est locum a fratribus suis & diem deliberationi constitutum, qua de Armenia decernerent id, quod & personam suam & domus suæ deceret magnitudinem. *Cernere* pro decernere notius est quam ut exemplis adstrui debeat. *Fastigium* vero *Arsacidarum*, ut 15, 1, 1. *spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens.*

15, 14, 3. *Lucullos, Pompejos & si qua Cæsares obtinendæ donandæve Armeniæ egerant*] Cod. meus: *Pompejos & Scipiones obtinendæ donandæve Armeniæ arbitros fuisse ait.* Sic tamen ut, *fuisse ait*, sit a manu secunda, erasa lectione vetere. Sed Flor. *& si quaces .. obtinendæ.* Unde Pichena exsculpsit: *& si qua Cæsares.* quod Berneggerus expressit laudante Freinshemio. Ante fuit: *& si qui duces.*

Vasaces *imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos* memorat] Ita Flor. & Meus. quod præposui vulgatæ hactenus: *retinendi donandive.* quoniam superiore versu, *donandæve.*

15, 15, 1. *Interim flumini Arsaniæ (is castra præfluebat) pontem imposuit*] Ante Lipsium: *Arsameti, is castra.* quomodo & meus Codex. Flor. *Arsanieti, is castra.* Sed Lipsius: *Arsaniæ, etenim is castra.*

Feli-

Feliciter quidem in nomine fluminis restituendo ex Dionis Excerptis, nam paullo post etiam *Arsania* in MSS. dicitur: sed non æque in interjicienda particula, *etenim*, quæ a MSS. non agnoscitur.

specie sibi illud iter experientis] Ita Flor. a quo satis abit Meus. in quo: *spe sibi illud tunc expetendi sumpserat.* supra vero *tunc* scriptum *iter.* Sed maxime placet Grotii emendatio qua *expedientis* legit pro *experientis*. *Expedire* enim *iter*, ut *alimenta*, *arma*, *copias*, alibi pro parare: unde *expedire* pro in expeditione esse H. 1, 10, 1.

namque iis usui fuit] Dio negligentius in Excerptis apud Ursinum: Οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο (πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει) ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηται σφίσιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν εἴη· ἀμέλει οὐδὲ τότε διὰ τοῦ ζεύγματος ἀνεχώρησεν· ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἐπ' ἐλέφαντος. οἱ δ' ἄλλοι ὥσπερ καὶ πρότερον. *Non quod ipse ponte indigeret (pedes enim amnem transierat) sed ut se illis potentiorem ostenderet. Sane neque tunc quidem per pontem discesserunt, sed ipse vectus elephanto, reliqui perinde ac prius.*

15, 15, 2. Addidit rumor, *subjugum missas legiones*] Huic rumori Suetonius temere credidit Ner. cap. 39.

15, 15, 4. *armis & corporibus cæsorum aggregatis*] Nicolaus Heinsius scribebat: *aggeratis.*

15, 15, 5. *Flumen Arsaniam elephanto insidens & proximus: quisque regi vi equorum perrupere*] Lipsius sagaciter hic suspicatur de defectu: nam Flor. *elephanto insidens proximus quisque regem vi.* Meus: *elephantis insidens proximus quisque regem vi.* Unde Nicolaus Heinsius: *elephantis insidentes proximus quisque regem & vi equorum perrupere.* quod magis accedit ad scripturam calamo exaratorum quam Lipsianum: *& proximus quisque regi, alii vi equorum p.*

15, 16, 1. *contraque prodiderit Corbulo*] Opinatur Lipsius prodidisse hoc Corbulonem in Commentariis, quos de hac expeditione scripsit, qui citantur Plinio lib. V. cap. 24. & VI, 8. quod mihi parum verisimile: quoniam si in justa historia hoc prodidisset Corbulo, non videtur, auctorem ei

con-

contradicturum fuisse. Potius putem inter amicos & epistolis ad Imperatorem scriptis.

15, 16, 3. *una die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum*] Vegetius lib. I. cap. 9. *Militari gradu viginti millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt.*

15, 17, 3. *Dirutaque quæ Euphratem ultra communierat Corbulo*] Ita Edd. vet. Flor. & Meus: *Diruta quæque Euphratem ultra communierat Corbulo*, levi errore.

& Armenii suo arbitrio relicti sunt] Flor. & Meus: *sine arbitro relicti sunt.*

15, 18, 2. *frumentum plebis vetustate corruptum, in Tiberim jecit, quo securitatem annonæ ostentaret*] Editiones hactenus: *sustentaret.* Quod Lipsio recte suspectum: qui enim frumentum corruptum in Tiberim jactat, potius minuit, quam sustentat annonam. Ipsum tamen destituit hic sua in divinando felicitas, dum verbum non Latinum *sistentaret* subjicit, relicta Petri Fabri lectione *ostentaret*: quæ cum exserte sit in meo Cod. a nobis exhibita est. *Frumentum plebis*, quod in frumentatione menstrua plebi dividi solebat. Pertinet huc Neronis nummus, in quo conspicitur Ceres sedens & ante eam mulier stans cum CornuCopiæ, item navis parte, circum legitur: ANNONA. AVGVSTI. CERES. SC.

Tiberi subvectas] Codd. Flor. & Meus: *Tiberim subvectas.*

15, 18, 3. *L. Pisonem*] Qui Consul cum Nerone a. 810. 13, 31, 1.

Pompejum Paullinum] De hoc vide 13, 53, 7. & Senecam de Brevit. vitæ cap. 18.

15, 19, 1. *Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos*] Cod. Flor. *pravissimos.* indeque eadem manu & atramento, correctum: *pravus mos.* sed MS. meus vulgatam tuetur scripturam: & similes superlativos observare passim licet. Apud Plancum in epist. ad Ciceronem *adversissimus.* apud Curtium *divitissimus.*

15, 19, 2. *Qui magna cum invidia Senatum adeunt*] *Qui* sc. *patres*, ut 1, 74, 1. notante Pichena.

15, 21, 1. *Olim quidem non modo Prætor aut Consul,*

ful, sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent]. Tales deinceps sub Cæsaribus dicti *curiosi*. Unde Tit. Cod. *de Curiosis & Stationariis*.

15, 23, 1. *Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss.*] Inscriptio cujus Lipsius meminit exstat apud Gruterum, & est sequens:

I. O. M. ET
GENIO. P. R. ET. VENALIC
L. L. RVBRI. ANTIOCHVS
ET. HYMNVS. ET. CC
LAPPI. MVTILVS. ET
RVFVS
VOTVM. SOLVERVNT. L. M
L. VERGINIO. RVFO
C. MEMMIO REGVLO COS.

Unde revincitur Onuphrii, Pighii & qui hos sequuntur, error, *L. Memmium* & *Paullum Verginium Rufum* Consules hujus anni appellantium. *C. Memmius Regulus* filius videtur *Memmii Reguli*, de quo Suetonius Calig. cap. 25. cujus elogium exstat 14, 47, 1. 2. *L. Verginius Rufus* non est alius quam qui deinceps Germaniæ præfuit superiori (non inferiori, ut Index Freinsh.) quique in tertio Consulatu mortuus teste Plinio lib. II. ep. 1. quem cum Nerva III. gessit a. 850. juxta Frontinum lib. II. de Aquæd. Secundi Consulatus, qui suffectus, a. 822. mentio H. 1, 77, 2. Sed Panvinius eumque secutus Pighius hunc suffectum primum *Verginii* Consulatum volunt, eumque contra Lapidis modo adducti auctoritatem appellant *Titum*. Secundum copulat Panvinius Fastos Siculos secutus cum Domitiani IX. a. 836. Hos Reinesius sequitur Ep. XXXV. Idque Inscriptio vetus apud Reinesium, confirmare videtur, quam propterea subjicio:

LVAE. SACRVM
L. ABANIVS. L. F. CLAVDIA
SABINVS. RHEAT
PRAEFECTVS. FABRVM
ALETR. VI VIR. AVGVST
PATRONVS. COLONIAE
EIVSDEM II VIR. QVINQ

ITER. D. D
T. FL. DOMITIAN. AVG. IX. T. VIRGINIO
RVFO. COS.

Sed neque in Fastis Siculis neque in veteri Inscriptione *Titi* istius *Virginii* Consulatus dicitur secundus: præterea vix verisimile, magnum illum *Verginium Rufum* qui Imperator esse potuerat & noluerat, a suspicaci Principe Consulem factum. Reinesius etiam velut addubitans in Commentariis ad Inscriptionem proxime adductam tacet.

15, 23, 2. *& certamen ad exemplar Atticæ religionis*] Cod. meus: *Antiacæ religionis.* Flor. *accierce r.* vel, *actierce.* Farn. *Anciatæ r.* sed legendum quomodo Grotius divinavit: *Antiatis r.* aut potius: *Antiatinæ r.* ut *sortes Antiatinæ* Suetonio Cal. cap. 57. Quoniam *Antii* pepererat Poppæa, ibidemque Fortuna maxima religione colebatur, & hanc lectionem sequentia clare indicant: *utque Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Iovis collocarentnr. Actiaca religio*, quomodo docti aliquot viri corrigere tentarunt, hic nullum habere potest locum; ut nec amici, *Iselastica.* Pro *collocarentur* mox Flor. & Meus: *locarentur.*

15, 23, 4. *censentium honorem divæ*] Hinc 16,6,4. Poppæa *divinæ infantis parens* a Nerone parentante appellata.

15, 25, 4. *Suriaque exsecutio Cintio, copiæ militares Corbuloni permissæ*] Pighius ad hunc annum in Annalib. pro *Cintio* legit *Cestio.* Et *Cestium Gallum* jam Syriæ præfuisse quando bellum in Judæa culpa Gessii Flori conflatum, anno nempe sequenti, patet H. 5, 10, 1. & apud Iosephum lib. II. B. I. cap. 24. Unde necessaria videtur hæc Pighii emendatio. Cod. meus habet: *Citio.* Flor. *Cicio.*

15, 26, 2. *auxilia regum in unum conducta apud Melitenen*] Lipsius notat Μελιτηνὴν esse Susianæ partem, Ptolemæo teste. Quod sicuti verum, ita huic loco non convenit. Non enim Susianæ *Melitene*, quæ ad Tigridem apud Ptolemæum lib. VI. cap. 3. hic intelligitur, sed *Melitene* Cappadociæ, quæ & tamquam præfectura & tamquam urbs occurrit apud eumdem lib. V. cap. 7. De qua vide Salmasium ad Solinum & Hist. August.

15,28,1.

15, 28, 1. *Ergo Vologeses neque atrox in summam, & quibusdam præfecturis inducias petit*] Pichena locum hunc primus asterisco notavit, tamquam corruptum. Hinc Acidalius: *atrox in summam & quibusdam præfractior.* Amicus: *& quibusdam præfractus.* Freinshemius: *neque atrox, in summam aut quibusdam præfecturis inducias petit.* Sed cum MSS. nihil mutent, videtur vulgata non tam sollicitanda, quam explicanda, & quidem hoc modo: Itaque neque ipse inexpiabile bellum adversus Romanos susceperat: & a quibusdam locis rogat abstineri jus belli, pollicitus & suos præsidiarios inde nihil hostile facturos adversus Romanos. *In summam* scilicet belli, ut H. 2, 16, 2. *Corsicam prope adflixit Decimi Pacarii Procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa.*

15, 28, 4. *Tiberius Alexander, inlustris eques Romanus*] Ægypto mox præfectus H. 1, 11, 1. H. 2, 79, 2. Iudæus genere, sed religionis desertor, filius Alexandri, Alabarchæ Alexandriæ, teste Iosepho lib. XX. Antiq. cap. 3. qui Philonis Iudæi frater, teste eodem, lib. XVIII. cap. 10.

minister bello datus] Id est adjutor & arbiter actorum consiliorumque Corbulonis, qualis Euodus in supplicio Messallinæ 11, 37, 4. Vide I. F. Gronovium lib. IV. Observ. cap. 16. Pichena frustra corrigit.

Vivianus Annius gener Corbulonis] Flor. *Vinianus.* Meus: *Vimanus.* Forte, *Vinicianus Annius.* & filius fuit Annii Viniciani, de quo 6, 9, 4.

15, 29, 4. *Simulacris deum in modum templi*] MS. meus expansa scriptura, *deum.* & intelliguntur. haud dubie imagines Iulii, Augusti & Claudii, Imperatorum in deos relatorum, ut Rupertus contra Lipsium adstruit, ad Reinesium Ep. XXVIII.

15, 30, 1. *& structam ante Augurale aram*] Ita Flor. & Meus.

15, 31, 1. *Et digressus Pacorum apud Medos Vologesem Ecbatanis repperit*] Mirum quod dicat Pacorum *apud Medos* repertum, Vologesem *Ecbatanis,* quasi Ecbatana, quæ Mediæ metropolis, in Medis non fuerint.

15, 31, 2. *externæ superbiæ sueto non erat notitia nostri,*

nostri, apud quos vis Imperii valet, inania transmittuntur] Flor. *non inherat.* Meus: *non inberat.* Innuunt: *non inerat.* Mox ambo exserte: *vis imperii.* Unde miror Pichenam hic dubitantem leviter, num *vis imperii* legendum sit pro *jus*, quomodo scribebatur ante.

15, 33, 1. *C. Lecanio M. Licinio Coss.*] Frontino lib. II de Aquæduct. *Crasso Frugi & Lecanio Basso Coss.* Apud Plinium lib. XXVI. cap. 1. *Q. Lecanius Bassus* consularis dicitur. Unde aut hic aut ibi in prænomine error. Non audiendus autem Iacobus Dalecampius ad Plinium adfirmans *Lecanii Bassi* mentionem a Dioscoride fieri in Præfatione ad Areum. Areus enim iste cui quinque suos libros de Materia Medica inscripsit Dioscorides non est alius quam philosophus Alexandrinus, summus Augusti amicus, de quo Suetonius in ejus vita cap. 89, ut multis adstruxit Lambecius lib. II. Biblioth. Cæsar. cap. 7. Præterea in antiquissimo Cod. Cæsariano, eodem teste, in quo ista præfatio bis exstat, utrobique legitur Λικιννίε Βάσσε. *M. Licinium Crassum Frugi* Lipsius ad H. 1, 14, 4. Panvinius eumque secutus Pighius domo Calpurnium, & a M. Licinio auctoritate Taciti adoptatum scribunt. Sed nusquam apud nostrum hujus adoptionis mentio exstat. Immo pater hujus *M. Licinius Crassus Frugi*, qui Consul a. 780. 4, 62, 1. frater Piso, qui a Galba adoptatus H. 1, 14, 4. Scribonianus cognominatus a matre Scribonia. Ipse a Nerone sublatus: de hoc enim capiendus noster H. 1, 48, 2. *Fratres ejus Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant.*

15, 33, 3. *& quos e proximis coloniis & municipiis ejus rei fama civerat*] Id est excitaverat. sic 15, 38, 2. *citus vento ignis.* Unde patet Rhenanum absque necessitate dedisse, *acciverat.*

15, 34, 1. *nam egresso qui adfuerat populo, vacuum & sine ullius noxa theatrum collapsum est*] Videtur hæc ruina a terræ motu profecta, cujus meminit Suetonius Ner. cap. 20.

15, 34, 3. *ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos præmineret*] Ita Pichena edidit ex Cod. Flor.

&

& sic 3, 56, 2. 12, 33, 1. ante legebatur, *malis.* quod præfert Cod. meus.

15, 35, 1. *Torquatus Silanus*] D. Iunius Torquatus Silanus, qui Consul a. 806. 12, 58, 1.

quia super Iuniæ familiæ claritudinem divum Augustum abavum ferebat] Hactenus hic edebatur, *atavum.* Sed *abavum* fuisse evincit temporis ratio. Frater enim fuit Marci & Lucii Silanorum, qui Augusti abnepotes, 13, 1, 2. ambo Agrippinæ scelere interfecti fuerant. Nam filius Marci, qui natu maximus, esse non potuit, quoniam cum is natus anno, quo Augustus mortuus est, 767. teste Plinio lib. VII. cap. 13. hic vix grandiore quam senatoria ætate fuisset, quod absurdum, quum anno insequenti L. Silanus, filius fratris jam Senator fuerit, uti patet 16, 7, 2. Simili modo peccatum. 14, 53, 3. Admonuit hujus erroris Rupertus Epist. LX ad Reinesium. Præivit Henricus Valesius in Notis ad Excerpta Dionis.

15, 35, 2. *Iussi accusatores objicere*] Huc usque Editi: *Iussi id accusatores obicere.* Sed jam Rhenanus monuit *id* non fuisse in Budensi ab origine: & Flor. *Iussis accusatores o.* Meus: *Iussi accusatores objicere.* quæ vera lectio. *Obicere* enim *adicere*, *eicere.* & similes poëticæ scripturæ Lucretio potius conveniunt quam Tacito.

quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet] Lipsius docte pronuntiavit vocem *nobilium* hic sibi suspectam: Boxhornius Romanorum mores ex nostris colligens minus docte tuetur & propterea vapulat erudito viro, qui post eum Tacitum illustravit. Vulgata enim lectio Rhenani ingenio debetur, nulli quod sciam MS. Edd. enim ante eum: *qui ne ignobiles haberet, quos.* plane ut Cod. meus. Flor. *qui ne innobiles habere, quos.* quomodo pariter Budensem Codicem habere Rhenanus testis est, qui inde exsculpsit vulgatam: pro qua mallem: *quin eum homines habere, quos ab epistolis* &c. *appellet.*

15, 36, 2. *non longam sui absentiam*] Ita Flor. & Meus MSS. & Edd. quas vidi, omnes præter Berneggeranam & quæ hanc insecuta; in quibus: *non longam usui absentiam.* credo vitio typothetarum.

15, 37, 2.

15, 37, 2. *& animalia maris Oceano abusque pe-tiverat*] Nicolaus Heinsius: *mari Oceano a. p.*

15, 37, 3. *& postquam tenebræ incedebant*] Idem malebat: *incidebant.*

15, 37, 5. *Visi auspices, dos & genialis torus, & faces nuptiales*] Hæc lectio a Rhenano est. Flor. *misit auspices* δος. non, *missi auspices dos.* ut Pichena. Meus: *misit auspices duos & genialem torum.* Tamen *dos* procul dubio a Tacito. Vide notas Merceri ad Aristæneti ep. VI.

15, 38, 4. *Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum ac rudis pueritiæ ætas*] Hæc lectio debetur optimo Agricolæ Codici, quæ tandem finem imponit tot divinationibus, quibus vulgata hactenus scriptura obnoxia fuit, propter manifestam corruptelam, qua laborabat. Habebat enim: *fessa ætate, aut rudis pueritia ætas.* quod nemo dictionis Taciti gnarus ab eo profectum adseveret, ut recte non uni monitum.

15, 40, 1. *proruptis per immensa ædificiis*] I. F. Gronovius legit: *prorutis.* postulante, ut videtur, lingua Latina.

ut continuæ violentiæ campus & velut vacuum cœlum occurreret] *Campus* hic est planities, ut *campus aquarum* apud Ovidium.

15, 40, 2. *Nec dum posito, metus redibat non levis & rursum grassatus ignis*] Ante Rhenanum hic legebatur: *Nec dum posito metu satis credebatur: cum levis rursum grassatus ignis.* Post, quomodo is dedit: *Nec dum posito metu, redibat. Levis rursum grassatus ignis.* aut mutata distinctione: *metu, redibat levis* &c. Lipsius scripturæ Rhenani apposuit defectus notam. Cod. Flor. habet: *nec dum p*' *metus aut rediebat lebis.* (u) *I. rursum grassatus ignis.* Unde duo alii MSS. inde, ut videtur, descripti, in eadem bibliotheca, teste Iacobo Gronovio V. C. *nec dum post metus aut rediebat levis & rursum g. i.* Sed MS. meus hic sanus est & ad Taciti ni fallor genium, exhibet lectionem, quam expressi: *Nec dum posito, metus redibat non levis & rursum grassatus ignis.*

15, 40, 3. *quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperant*]

perant] Lipsius feliciter puto legit: *in Æmilianis.* ex Varrone lib. III. de R. R. cap. 2. & ex eodem colligit locum fuisse extra Urbem ad campum Martium, conjunctum tamen continentemque Urbi. Postremum Nardinus lib. IV. Rom. Antiq. cap. 10. Lipsio non concedit, quoniam hunc situm refelli putat ipsius Taciti narratione, qua campum Martis plane intactum fuisse ab incendio patet, dum 15, 39, 2. *solatium* fuisse ait *populo exturbato & profugo* simul cum monumentis Agrippæ & hortis Neronis. Sed isto argumento hoc non evincitur. Duo enim incendia Tacitus commemorat, quorum prius *in ea parte circi ortum quæ Palatino Cœlioque montibus contigua est*, 15, 38, 2. cui *sexto demum die apud imas Esquilias finis factus*, 15, 40, 1. Posterius quod aliquot diebus post extinctum prius *prædiis Tigellini in Æmilianis proruptit*. In priore profugit populus in campum Martium, non posteriore. Ergo &c.

15, 41, 1. *Numæque regia & delubrum, Vestæ cum Penatibus populi Romani exusta*] Fuerunt ergo *Penates populi Romani* in delubro Vestæ. Certe fuisse in hoc templo locum, cui nomen *Penus*, Festus scribit & Lampridius in Elagabalo. Tamen Dionysius lib. I. Antiq. Penatium deorum ædem in Velia apud Forum Romanum fuisse tradit, in quo imagines Trojanorum deorum, duo hastati juvenes habitu sedentium antiqui operis, cum inscriptione, ΔΕΝΑC. Sed idem lib. II. de templo Vestæ: Οἱ μὲν, ἐκ τῶν ἐν Σαμοθρᾴκῃ λέγοντες ἱερῶν μοῖραν εἶναι τῶν Αἰνεία φυλαττομένην τὴν ἐνθάδε· Δαρδάνου μὲν εἰς τὴν ὑφεαυτοῦ κτισθεῖσαν πόλιν ἐκ τῆς νήσου τὰ ἱερὰ μετενεγκαμένου Αἰνείου δὲ, ὅτε ἔφυγεν ἐκ τῆς Τρῳάδος, ἅμα τοῖς ἄλλοις καὶ ταῦτα κομίσαντος εἰς Ἰταλίαν. *Quidam enim dicunt sacra, quæ hic servantur, esse partem eorum sacrorum, quæ Æneas translata ex Samothracia servabat: Dardanus enim ex insula ista in urbem a se conditam transportarat: at Æneas, quum ex agro Trojano fugit, cum aliis hæc quoque in Italiam deportarat.* Hinc Herodianus lib. I. cap. 14. incendio, quo templum Vestæ conflagravit temporibus Commodi, tantum Palladii, cujus hic nulla mentio, servati meminit.

15, 41, 3. *Fuere, qui adnotarent quarto decimo Kalendas Sextiles principium incendii hujus ortum*] Vir doctissimus, quem Lipsius hic castigat, Iosephus Scaliger est in secunda Editione libri de Emendatione temporum: nam in tertia error vitatus est.

alii eiusque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque & dies, inter utraque incendia numerent] Cod. meus: *inter conditam Urbem & utraque incendia.*

15, 43, 1. *Ceterum Urbis quæ domui supererant, non ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ*] Vulgati hactenus: *quæ domus supererant.* Unde Lipsius: *quæ domus perierant.* Amicus: *quæ domus corruerant.* At Salinerius & qui huic adest I. F. Gronovius vulgatam hoc sensu retineri „ posse putabant. Ceterum domus in locis, quæ „ Urbi post tantum spatii detractum & regia sua „ immensa occupatum reliqua fecerat Nero, ædi- „ ficatæ, non ut post Gallica &c. Nec dubitandum quin in hanc sententiam Tacitus locutus fuerit. Sed videndum an vulgata lectio hunc sensum admittat. Quem proclivius, ut videtur, fundit Flor. Codicis scriptura, unica tantum literula a vulgata abiens, dum *domui* exhibet pro *domus.* Quam propterea secutus sum. Ante enim dixit: *Nero usus est patriæ ruinis exstruxitque domum.* 15, 42, 1. *Ceterum Urbis*, subintellige partes, *quæ domui supererant.*

cohibitaque ædificiorum altitudine] Ita Flor. & Meus: Editi hactenus: *cohibita ædificiorum a.* absque copulativa.

additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent] Suetonius Ner. cap. 16. *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit; & ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumtu suo exstruxit.*

15, 43, 2. *Eas porticus* Nero *sua pecunia exstructurum &c.*] Editi hactenus: *Easque porticus.* Sed Flor. *Eas porticus.* Meus: *Nero eas porticus.* absque copula.

intra quod effectis domibus aut insulis, apiscerentur] Ita habet Flor. Vulgati hactenus, *adipiscerentur.*

15, 43, 3. *quæ frumentum Tiberi subvectassent*] Ante Rhenanum editum: *subvectæ essent.* quasi forma deponentium. Quod arrisit Salmasio: qui tamen temere adfirmat omnes Codices MSS. id præferre. Nam Flor. exhibet: *subvecta essent.* non *subvectæ*, ut Pichena. Meus autem exserte, *subvectassent.* Vide ad 13, 17, 2.

Ædificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur] Editi hactenus: *Albanoque*, sed MSS. Flor. & Meus disjunctive, ut edidimus.

quod is lapis ignibus impervius est] Rhenanus dedit *igni.* Ante eum: *ignibus.* quod cum sit in Flor. simul & Meo a me repositum est.

15, 43, 4. *Iam aqua privatorum licentia intercepta* &c. *custodes*] Subaudi *haberet* ex sequenti membro cum I. F. Gronovio.

15, 44, 1. *Mox petita a diis piacula*] Audiendus omnino hic I. F. Gronovius, qui delendam „pronuntiat præpositionem. Vult enim conquisi„ta piacula sive sacrificia piacularia & sacra, quæ „ diis fierent.

15, 44, 2. *& sellisternia ac pervigilia celebravere feminæ quibus mariti erant*] Hactenus hic legebatur: *& lectisternia* &c. Sed Cod. Flor. & Bud. habent: *sellisternia.* quomodo procul dubio a Tacito scriptum: quoniam epulum hoc Iunonis dearumque, quæ non cubantes, sed sedentes invitabantur, teste Valerio Maximo lib. II. cap. 1. ex. 2. *Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus servat: videlicet quia magis ad rem pertinet dearum quam mulierum disciplinam contineri.* Livius tamen lib. XX. cap. 10. non videtur distinguere: *Tum lectisternium per triduum habitum decemviris sacrorum curantibus. sex pulvinaria in conspectu fuere: Iovi & Iunoni unum, alterum Neptuno ac Minervæ, tertium Marti & Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio ac Cereri. Sellisternium* autem eodem modo dictum quo *lectisternium.*

Glossæ Cyrilli : Σελλάςρωζις *Sellisternium.* & ita forte scribendum apud Festum & Paulum V. *Sella.* ubi vulgo *Solisternium*, & *Sollisternium.* nisi & sic dixerint.

15,44,4. *quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat*] Manifeste hic nostris injurius Tacitus : sed ex rumore vulgi judicat, a Nicolao ejusque similibus decepti ; quo homicidia, incestus, ἀθεότης & similia crimina illis improperabantur. de quibus consulendus Tertullianus. Moderatior Plinius junior lib. X. ep. 97. *Affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire ; carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem : seque sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent : quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse ; rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.*

15,44,5. *exitiabilis superstitio*] Plinius d. l. *Sed nihil aliud inveni quam superstitionem pravam & immodicam.* Vide 13,32,2.

15,44,7. *aut flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur*] Sulpicius Severus lib. II. cap. 29. ex nostri scriniis : *quin & novæ mortes excogitatæ ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* sed interpolate. Nam MSS. Taciti non habent, *plerique in id reservati.* præterea non, *flamma usti.* sed Flor. *flammandi.* Meus : *flammati.* quod non videtur spernendum. Quemadmodum enim *flammatus Iupiter* apud Ciceronem lib. I. de Divin. cap. 11. qui dextra manu flammam tenet pro sceptro, sic *flammati uri* dicuntur, qui *tunica* induti *molesta* comburebantur. Iuvenalis Sat. VIII.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

ubi Scholiastes : *Vestis ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent.* & adludit idem Sat. I.

Pone Tigillinum, teda lucebis in illa
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

15, 44, 8. *habitu aurigæ permixtus plebi vel curriculo insistens*] Hactenus: *vel circulo insistens.* Sed Cod. meus, quomodo Lipsius divinavit: *vel curriculo i.* quomodo reposui. Vide ad 14, 14, 1.

15, 47, 1. *& sidus cometes, sanguine inlustri semper Neroni expiatum*] Grotius delet τὸ *semper*, tamquam ex interpretamento male insertum, quoniam sidus hoc non tam quotidianum aut frequens, ut Neronis in eo expiando mos notari potuerit. Nihilominus præter hunc ante triennium apparuit adhuc alius cometes, 14, 22, 1. & agnoscunt vocem hanc MSS. Præterea minus bene vir magnus locum Senecæ lib. VII Nat. Quæst cap. 17. *Nec est quod putemus hunc qui sub Nerone Cæsare apparuit, & cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui post necem divi Iulii, ludis Veneris genitricis, circa undecimam horam diei emersit.* ad hunc cometen trahit: quoniam Seneca principio fere insequentis anni 818. per caussam conspirationis Pisonianæ occisus. Hic vero apparuit fine anni 817. Ut inter hoc sidus & Senecæ mortem vix trium mensium intervallum fuerit. Per quod animo maximis, ut verisimile, curis districto, libris de natura conscribendis vacasse parum credibile est.

15, 47, 2. *aut in sacrificiis quibus gravidas hostias immolare mos est*] Festus: *Horda, prægnans. unde dies, quo gravidæ hostiæ immolabantur, hordicidia.* Quem locum suggestioni debeo I. F. Gronovii, cum ante quatuor & viginti annos in his studiis & hac urbe ei attenderem. Cui certe viro debemus, quod literæ nondum penitus in his terris exstinctæ sint.

15, 48, 1. *Ineunt deinde Consulatum Silius Nerva & Atticus Vestinus*] Ita Flor. nomina horum Consulum exhibet. Meus corrupte & mutile: *Silvius, Vestinus.* Lipsius pro *Silius* hic legit *Silianus* e Fastis & Lapidibus. Atque ita appellatur in veteri Inscriptione apud Panvinium, in qua: SILIANO ET ATTICO COS. corrupte vero apud Phlegontem de Mirab. cap. 23. ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Αὔλου Λουκιννίου Νερούα Σιλανιανοῦ, καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. Ubi corrigendum, Αὔλου Λικινίου Νερούα Σιλιανοῦ. uti jam aliis monitum. Sed inde non videtur necesse contra MSS. auctoritatem corrigere Taciti lectio-

lectionem: quoniam verisimile *Silium* hunc Consulatus tempore transiisse in gentem *Liciniam* atque ita *Silianum* appellatum. Videtur autem filius *P. Silii Nervæ* qui Consul a. 781. supra 4, 68, 1. Transiisse vero adoptione in gentem *Liciniam* partim corrupta apud Phlegontem scriptura prodit, partim hujus ut puto patruus, A. Licinius Nerva Silianus, qui Consul a. 760. qui forte ipse, a quo hic adoptatus est. *Atticus Vestinus* dicitur Onuphrio ex Inscriptionibus, quæ ipsi ad manum tunc non erant, *Q. Iulius Atticus*. Sed valde vereor imposuisse optimo viro memoriam. Phlegonti enim clare *M. Vestinus Atticus* dicitur. Meursio ad Phlegontem non constat ratio, dum Panvinii παρέργημα pro Fastis Capitolinis adspicit; ut taceam reliquos, ab unius errore seductos.

tum favore in C. Pisonem] In Panegyrico ad *Calpurnium Pisonem* (qui Tacito *C. Piso)* quod Lucani nomen præfert in scheda calamo exarata, quam vidit Iosephus Scaliger, tribuitur ei Consulatus:

Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
Gloria contigerit, qua tu, reticente Senatu,
Cum tua bis senos numeraret purpura fasceis,
Cæsareum grato cecinisti pectore numen:

Nusquam tamen alibi, quod sciam, exstat hujus Consulatus mentio. Cum vero Lucanus (modo is carminis hujus auctor) profiteatur se nondum vicesimum annum implevisse, cum illud scriberet:

Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum vicesima venerit æstas.

& Auctor vetus in vita ejus prodat interfectum, cum septimum & vicesimum ætatis annum ageret *pridie Kal. Majas Attico Vestino & Nerva Siliano Coss.* a. 818. consequens hunc Consulatum non fuisse gestum post a. 810. sed vel eo anno, vel ante. Anno autem 810. Neronem II, L. Pisonem Coss. edit noster 13, 31, 1. Unde ferme inducor ut credam hunc *C. Pisonem* eo ipso anno Consulem fuisse ex Kal. Iuliis, & fratrem aut patruelem exstitisse L. Pisonis, qui annum cum Nerone II, Consul aperuerat.

15, 49, 1. *Initium conjurationi non a cupiditate ejus fuit*] Sed a timore, 14, 65, 2. Sed Flor.

&

& Meus: *a cupidine.* Meus etiam, *conjurationis.*

15, 49, 3. *prohibueratque ostentare, vanus adsimulatione*] Cod. meus: *vanitatis insimulatione.* Locum Papinii e Genethliaco Lucani Lipsius & Vertranius male accipiunt, legendum enim:

Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noster tibi proferetur Orpheus.

ad quem vide Caspatis Barthii Animadversiones.

15, 50, 6. *aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret*] MSS. nil mutant. Nihilominus *ardente domo* cum Acidalio & Pichena explicare, *lucente*, dubito an patiatur linguæ hujus genius. Unde Muretus substituebat: *aurea e domo.* I. F. Gronovius: *madens vino.* Nicolaus Heinsius: *marcente domo.* id est familia nocturnis comessationibus marcida. Sic *marcens pax* G. 36, 1. H. 3, 36, 2. *Desidem & marcentem.*

15, 51, 4 *Neque Senatui quid manere, sed provisum quonam modo pœnas eversæ Reipub. daret*] Ita dedit Lipsius ex Cod. Vatic. cui adsentiuntur Flor. & Meus. Unde patet antiquam illam Taciti Editionem, cujus marginibus Rodolphus Agricola manu sua notas passim adjecerat, quam Franciscus Modius se ad Lipsium misisse testatur Novantiq. Lect. Ep. xv. non tantum continuisse lectiones ex MS. Cod. Agricolæ petitas, verum etiam conjecturas. Notat enim Modius ab Agricola in ista Editione notatum: *Neque se novum quid monere.* Agricolæ enim MS. habet ut dixi: *Neque Senatui quid manere.*

accingeretur modo navare operam & militum acerrimos ducere in partes] Hucusque *navaret* & *duceret* hic lectum. Sed quam damus lectionem Flor. & Oxon. exhibent, tum Taciti dictio flagitat.

15, 52, 1. *cujus amœnitate captus Cæsar crebro ventitabat*] Nicolaus Heinsius: *creber eo ventitabat.*

15, 52, 3. *ne L. Silanus eximia nobilitate*] Augusti atnepos: filius *M. Iunii Silani*, qui in Proconsulatu Asiæ ab Agrippina interfectus, 13, 1, 1. *Lucii* enim filius esse non potuit, qui Marci frater, quoniam hic ante perfectum matrimonium ad necem compulsus 12, 4, 2. & 8, 1. & *Iunius Torquatus,*

tus, qui tertius frater, ejus dicitur patruus 16, 8, 1. Vide Iuliæ neptis stemma ad 12, 3, 3.

15, 52, 4. *ne a libertate moveretur*] Cod. meus ut Vatic. *ne ad libertatem moraretur.* Unde Muretus: *ne ad libertatem moveretur.* Tamen vulgata, quæ nititur Flor. Codicis auctoritate, haud spernenda; cujus sensus: ne revocatus in memoriam libertatis Senatui ac populo Rempub. vindicaret.

15, 53, 1. *Tandem statuere Circensium ludorum die, qui Cereri celebrabatur, exsequi destinata*] In Kalendario veteri ad pridie Idus Apr. legitur: *Ludi Cerealici.* CM. XXIV. rursus ad XIII Kal. Mai. *Cerealici.* CM. XXIV. *dies Ægyptiacus.* Unde patet quæ hic narrantur mense Aprili hujus anni gesta. Quod firmat Anonymus vetus auctor Vitæ Lucani: *Sua sponte coactus vita excedere venas sibi præcidit, periitque pridie Kal. Majas Attico Vestino & Nerva Siliano Coss.*

15, 53, 3. *sive, ut alii tradidere, Fortunæ Ferentano in opido detraxerat*] Suetonius Oth. cap. 1. *Majores Othonis orti opido Ferentino familia vetere & honorata atque ex principibus Etruriæ.* Atque ita fere apud alios vocatur. Unde Cluverius lib. II. Ital. Ant. cap. 3. pro *Ferentano* rescribit *Ferentino.*

gestabatque velut magni operis sacrum] Ita exhibent Edd. usque ad Pichenam, qui dedit, *magno operi sacrum*, quoniam in Flor. *magno operis.* fere ut in Meo, in quo: *magnoperis.* Sed cum prior lectio rarior sit, hoc ipsum pro argumento est, non a librariis sed ab Auctore profectam. Lipsianum, *magnis operis*, omnino infelix.

15, 53, 5. *quamvis absurdum videretur, aut inani spei Antoniam nomen & periculum commodavisse*] Flor. *aut inane aut spem Antoniam.* Sed margo veteri manu, *at ad*. unde Pichena nobis exsculpsit. *aut inanem ad spem Antoniam.* cum ante legeretur: *Quamvis absurdum videretur & inane, aut ipsi Antoniam nomen & periculum commodavisse.* Sed MS. meus: *Quamvis absurdum videtur aut inani spei Antoniam nomen & periculum commendavisse.* Unde excerpserat ejus quondam dominus & ad oram Editionis, quam Modius Lipsio transmisit, notaverat: *aut inani spei Antoniam.* tamquam legendum: *Quamvis absur-*

absurdum videretur aut inani spei Antoniam nomen & periculum commodavisse. Quam lectionem cum non conjectura, ut putavit Lipsius, (cujus tamen felicitatem admiratus est) sed Codicis calamo exarati auctoritate nixa sit, non sum veritus arbitrariæ Pichenæ scripturæ præponere.

15, 54, 1. *donec proditio cœpit e domo Scevini*] Lipsius ut Plutarchum ab Auctore diversum cum eo conciliet, conspirationem, de qua is intelligendus, Vinicianam putat. Sed dubito an hæc concordia admitti possit. Viniciana enim posterior & Beneventi conflata atque detecta, teste Suetonio Ner.cap.36. præterea tam obscura ut præter Suetonium nemo illius meminerit. Verisimile autem in reditu Neronis ex Achaia cum in Vatinii gratiam substitisset Beneventi contra eum conspiratum. Quod cum Dio præterierit aut potius Xiphilinus, apud Tacitum vero perierit cum actis anni 820. nunc ignoramus. Immo de Pisoniana Plutarchum intelligendum & Urbis Romæ mentio & aliæ circumstantiæ suadent. Sed adeundus ipse lib. de Garrulitate.

15, 54, 2. *& in mucronem ardescere*] Ita Flor. sed Meus, ut Edd. usque ad Berneggerum: *& mucronem ardescere.* quomodo fere Lucanus lib. VII. v. 140.

Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper
Exarsit mucro.

15, 55, 1. *Igitur cœpta luce Milichus in hortos Servilianos pergit*] Meminit rursus H. 3, 38, 2. & Suetonius Ner. cap. 47. unde patet ad portam Ostiensem fuisse.

15, 55, 4. *adjungere crimen, ut sese pariter i. e. r. f.*] Hæc lectio a Pichena in contextum assumpta tamquam ab ingenio Rodolphi Agricolæ profecta, revera ejus Manuscripto debetur: quod si scivisset I. F. Gronovius non præposuisset ei Acidalii conjecturam: *adjungere crimen, cujus se pariter* &c.

15, 56, 1. *Ergo accitur Natalis*] Ita Cod. meus. & Edd. ante Rhenanum, qui fecit, *accitus.* quod deinceps insedit. Flor. *accit.*

15, 57, 2. *vinclo fasciæ quam pectori detraxerat*] Intelligitur *strophium* quod Nonio, *fascia brevis*,

quæ virginalem horrorem cohibet papillarum. ubi pro *horrorem* Hadriani Iunii Editio *tumorem* exhibet.

ad arcum sella] Hinc *arcuata sellula* apud Arnobium lib. II. *arcisellium* apud Petronium, in Fragmento nuper edito.

intacti tormentis] Flor. *intactis t.* Unde Salinerius *intentis*, pro *intentatis*. quod non displicebat amico. Sed Cod. meus ut Farnes. *intacti.* optime, ut recte Lipsius.

15, 58, 4. *innuentique an inter ipsam cognitionem destringeret gladium*] Hactenus hic legebatur: *annuentique* &c. *distringeret.* sed, *innuentique*, quomodo Acidalius conjecerat, clare habet MS. meus.

15, 59, 7. *Nomen mulieris Arria Galla; priori marito Domitius Silius*] Acidalius corrigit, *mulieri.* Sed Flor. & Meus MSS. vulgatam tuentur.

15, 60, 3. *non quia conjurationis manifestum compererat*] Ita Flor. & Meus. 15, 64, 3. *magnæ cogitationis manifestus.* & sic sæpe.

15, 60, 4. *Solus quippe Natalis & hactenus prompsit*] Dio tamen pro suo in Senecam odio conjurationis facit conscium lib. LXII. Et præcipuam contra se suspicionem præbuit, quod *ad eum diem*, quo Nero Romæ interficiendus, *ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat*, quasi speculaturus eventum.

15, 61, 1. *quod a visendo eo prohiberetur*] Ita MSS. Flor. & Meus & Edd. ante Rhenanum, qui induxit præpositionem.

15, 62, 1. *quod unum jam, tamen pulcherrimum habeat*] Edd. usque ad Rhenanum: *quod unum jam & tamen pulcherrimum habebat.* Rhenanus mutavit: *quod unum jam tamen & pulcherrimum habebat.* Pichena tamquam ex Flor. & Ed. Veneta: *quod unum jam attamen pulcherrimum habebat.* Sed requiro hic optimi viri diligentiam: Florentinus enim habet: *quod unum jam, tamen pulcherrimum habeat.* quomodo a Tacito scriptum obliquæ orationis indoles prodit. Meus pariter: *quod unum jam tamen.*

cujus si memores essent bonarum artium famam tam constantis amicitiæ laturos] Existimo cum Mureto & Acidalio pro *tam* rescribendum *tum.*

15, 63, 1. *& paullulum adversus præsentem formidine*

midine mollitus] Pichena ex Cod. Flor. dedit: *& paululum adversus præsentem fortitudinem mollitus.* sed laborat frustra in adstruenda hac scriptura. Ante eum Edd. *paululum adversus præsentem formidinem mollitus.* Cod. meus: *& paululum adversus præsentem formidinem molitus.* Sed vix dubitandum quin Tacitus scripserit, quomodo edi curavimus: *& paullulum adversus præsentem formidine mollitus.* uti suboluit pro parte primum Lipsio, penitus I. F. Gronovio, sagacissimis in hac arte viris. Id est interprete posteriore lib. II. Observ. cap. 20. „animus ille durus obfirmatusque contra omnes fortunæ incursus & morti ex multa ejus meditatione sine perturbatione obvius, dum admonetur acrius ipso conspectu, qualem uxorem ætate & moribus sine præsidio relinqueret, quam adflictam viso tali exitu mariti, simul timet quid ea futurum sit, neu quid indignum isthoc conjugio ei postea eveniat, paullulum inflexus & mollitus. *Adversus præsentem*, id est apud. ut Terentius Andr. 1, 5. *Sed nunc peropu'st, aut hunc cum ipsa aut me aliquid de illa adversum hunc loqui.*

temperaret dolori, ne æternum susciperet] Ita habet Cod. meus, sed Flor. *temperaret dolorem eternum susciperet.* Unde I. F. Gronovius exsculpit genus dicendi rarum: *temperaret dolorem æternum suscipere.* de quo vide ipsum lib. II. Observ. cap. 20.

15, 63, 2. *sibi quoque destinatam mortem adseverat*] Peccat ergo Dio contra primam historiæ legem, lib. LXII. Ὁ δὲ δὴ Σενέκας ἠθέλησε μὲν καὶ τὴν γυναῖκα Παυλῖναν ἀποκτεῖναι, λέγων πεπεικέναι αὐτὴν τοῦ τε θανάτου καταφρονῆσαι, καὶ τῆς σὺν αὐτῷ μεταλλαγῆς ἐπιθυμῆσαι. *Seneca vero Paulinam uxorem interficere voluit: dicebat enim se ei persuasisse mortem contemnere, eamque secum una mortem obire cupivisse.*

15, 63, 3. *Seneca, quoniam senile corpus & parco victu tenuatum*] Ita habet Flor. a manu prima sed fugientibus literis, quibus ab alio has non adsequente inscriptum, *parvo ictu.* quod ex Meo in quo: *parvo ictu tentatum.* aut simili Codice perperam depromptum. Restitui igitur primigeniam Flor. Cod. scripturam, quam Nicolaus Heinsius divinan-

vinando subolsecerat. De *parco* Senecæ *victu* vide ipsum ep. 108.

15, 64, 1. *Inhiberi mortem imperat*] Ita Edd. antiquæ. Sed MSS. Flor. & Meus: *inhiberi mortem.* absque τῷ *imperat.* & Budensis pariter hoc verbo destituitur Rhenano teste, qui propterea legit, *inhibere mortem.* Cujus conjecturam Berneggerus expressit. Ego malui Editiones veteres sequi, ut firmius fundamentum.

15, 64, 4. *frigidis jam artubus & clauso corpore adversum vim veneni*] Ita habet MS. meus. Flor. *frigidus jam artus & cluso.* quomodo testatur Rhenanus etiam Budensem habere.

15, 64, 5. *Ita codicillis præscripserat cum etiam tum prædives & præpotens supremis suis consuleret*] Lipsius in vita Senecæ cap. 8. fatetur se haud adsequi, quomodo Seneca supremis suis consulere potuerit tacito funere jubendo & solennia ejus vetan-„ do. Interrogatque an ne testamentum Nero rum-„ peret, qui forte heres in parte magna scriptus, &„ nolebat sibi per impendia aliquid perire? an in„ eo parcimoniam Senecæ tangit? Tandem fatetur verba examinata non huc ire, & alium videre jubet. Scilicet non concoquebat verba *etiam tum:* quoniam Tacitus paullo ante scripsit testandi facultatem a centurione Senecæ denegatam 15, 62, 1. Hinc Nicolaus Heinsius sagaciter notavit pro *etiam tum* legendum *etiamnum.* Sed nondum penitus sic persanatus locus, quoniam divitiæ non ademptæ Senecæ sed potentia. Unde transpositione duorum vocabulorum hic insuper opus videtur, legendumque: *cum etiamnum præpotens & prædives supremis suis consuleret.* Vult ergo codicillis, vetasse Senecam quo tempore in flagranti adhuc gratia apud Principem constitutus liberam habebat de ingentibus divitiis suis disponendi facultatem & simul æmulis propter hanc potentiam conflictabatur, ne defuncto sibi ulla funeris solennia fierent, quod crederet hoc novitati suæ maxime consultum.

15, 65, 2. *Non referre dedecori, si citharœdus dimoveretur, & tragœdus succederet*] Cod. meus: *Non differre.* Amicus: *non se ferre dedecori.* ut sit dictum, quomodo honori ducere. Sed Cod. Flor. nihil mutat,

tat, nec mutatione opus. *Dedecori* enim non a *dedecus* tertius; sed *dedecorum* secundus casus, subintellecto pronomine, *quid*.

15, 68, 4. *Ceterum Neronis odium adversus Vestinum* &c.] Suetonius ergo negligentior, dum unam tantum adsignat caussam cur *Vestinus* a *Nerone* interfectus, videlicet ut uxore ejus potiretur, in ejus vita cap. 35.

15, 69, 1. *quia speciem judicis induere non poterat*] Ita Berneggerus ex Veneta Editione dedit. Rhenanus, *indicii* dubium utrum ex Budensi an ingenio: nam Flor. & Meus: *indiciis*. corrupte. Sed Rhenani *indicis* forte non spernendum. Id est quia tamquam indicatum & proditum inter noxios condemnare non poterat.

15, 69, 4. *nec nisi provecta nocte emissi sunt*] Ed. Ven. & Cod. Flor. *omissi*.

postquam pavorem eorum ex mensa exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero] Cod. Flor. & Edd. vet. *& mensæ exitium*. Meus: *& mensæ exitum*. Rhenanus dedit: *imminens exitium*. Freinshemius conjecturam Francisci Medicis, cujus Pichena meminit, *ex mensa exitium*, in contextum recepit. Mihi non displicet Codicis mei lectio: Rhenanus longius abit a scriptis.

15, 71, 2. *Atque ille gaudium id credens*] Cod. meus non habet *id*. Unde amicus malebat, *gaudio credens*.

15, 71, 3. *Statius Proximus veniam quam ab Imperatore acceperat vanitate exitus corrupit*] MSS. nil mutant & constat sensus, qui hic: abolitionem sibi a Principe indultam irritam reddidit alio mox crimine, quod capite luit.

15, 71, 6. *Pellitur & Rufius Crispinus*] Huc usque hic editum: *Rufus*. Flor. *Rufrius*. Meus: *Rufsrius*. Sed vocatus *Rufius*, ut ostensum 12, 42, 1.

15, 71, 8. *Cæsonius Maximus*] Ita correxit Lipsius ex Martiale, cum ante *Cesenius*. Flor. tamen & Meus: *Cæsennius*. Quod si vera Lipsii emendatio, quoniam Consulatus huic *Maximo* a Martiale tribuitur, videndum an is *Cæsonius Pætus*, qui Consul cum Petronio Turpiliano a. 814. 14, 29, 1.

Atilla mater Lucani] Ita dicitur etiam 15, 56, 4. Flor. *Acilla*. Meus: *Acillia*.

15, 73, 3. *Iunium Gallionem Senecæ fratris morte pavidum*] Eusebius procul dubio errat, dum hoc anno interfectum *Gallionem* scribit. Dio enim fratres Senecæ pariter postea necatos prodit. Eusebii autem verba mendose Lipsio adducuntur, quæ in Pontaci Editione sic exstant: *Iunius Annæus Gallio frater Senecæ egregius declamator propria se manu interfecit.* deinde sequitur: *Olymp.* 211. *non est acta, Nerone in suam præsentiam differente.* Ante adoptionem appellatus est *Annæus Novatus.* Adoptatus autem videtur a *Iunio Gallione*, cujus frequens mentio apud Senecam patrem & ad quem scripsit Ovidius epistolam undecimam lib. IV de Ponto: uti colligitur ex Suasoria III M. Senecæ: *Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse.* Ad alterutrum autem horum pertinent *tinnitus Gallionis*, O. 26, 1. Existimo autem recte ab Usserio & aliis hunc Senecæ fratrem tradi *Gallionem Proconsulem Achaiæ* Act. cap. XVIII. coram quo Paulus a Iudæis accusatus. Accidit enim hoc Principatus Neroniani primordio, quo Seneca cum Burro Imperium administrabant. Et huc pertinere videtur locus Senecæ ep. 104. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis: qui cum in Achaia febrem habere cœpisset, protinus navem adscendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum.*

15, 74, 1. *Tum decreta dona & grates deis decernuntur*] Juretus: *tum decora dona.* Alii alterutrum delent. MSS. nil juvant.

15, 74, 5. *quod ad omina olim sui exitus verteretur*] Locus corruptus. Bud. *Quorumdam ad omnia dolum sui exitus verteretur.* Flor. *Quorundam ad omina dolum sui exitus verteretur.* Meus: *quod ad omen futurum sui exitus vertebatur.* Mox Flor. *Cornelii Taciti explicit liber XV. incipit liber XVI.*

AD

AD ANNALIVM
LIBRVM XVI.

16, 1, 1. *qui origine Pœnus, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retraxit*] Forſtnerus ex Ioanne Leone Afro hujuſmodi theſaurorum ſcrutatores, qui *Elcaneſin* Mauris, Feſſæ nuper adhuc repertos notat.

16, 1, 4. *Didonem Phœniſſam*] Lipſius & inſequentes, *Feniſſam*, dederunt, ſecuti quoſdam libros: ſed anteriores, *Phœniſſam.* quomodo MS. meus & etymologia poſtulat.

illas opes abdidiſſe] Similiter Ioſephus lib. I. B. I. cap. 2. & lib. III. A. cap. 12. ſcribit in Davidis ſepulchro tria talentorum millia repoſita, indeque per Hyrcanum ablata: quod Iacobus Salianus putat a Rabbinis confictum ad augendam Davidis magnitudinem, & a Ioſepho temere creditum.

16, 2, 1. *nec miſſis viſoribus per quos noſceret, an vera adferrentur*] Rhenanus dedit *aſſererentur.* quomodo etiam MS. meus. quod ab inſequentibus aliquot retentum, ſed cum in Flor. *adferre rentur,* ſic ut poſteriores duæ ſyllabæ novum verſum incipiant; & ſæpe, quoties vox ita dividitur in hoc Codice, ſyllaba in verſus fine ſcripta principio rurſus repetatur (prout obſervavit, qui Codicem hunc diligentiſſime contulit, Iacobus Gronovius) clarum hunc voluiſſe: *adferrentur.* quomodo Editiones ante Rhenanum, & Gronoviana nupera, quas ſecutus ſum; non velut ſectator Scioppii, qui *aſſerere* pro *affirmare* Theodoſiano demum ſeculo dictum crepat, ſed quod in dubiis a recentiſſimi Editoris judicio abire religio ſit.

16, 2, 2. *Dantur triremes & delectum navigium*] Quoniam cauſſa non apparet cur *navigium* a triremibus ſeparet, Boxhornius legit *remigium*, ut 14, 39, 4. probante I. F. Gronovio. quam conjecturam veriſimilem facit adjectio: *juvandæ feſtinationi.*

nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diverſa fama tulerat] Flor. *tulere.* Unde ſive

Box-

Boxhornius sive I. F. Gronovius, procul dubio vere: *prudentes diversa fama tulere.*

16, 2, 3. *oratoribusque praecipua*] MSS. voce auctius sed plerique corrupte: Flor. *auaratoribus oratoribusque.* Vatic. & Edd. ante Rhenanum: *abaratoribus oratoribusque.* quod Lipsius varie emendat: Pichena, *adulatoribus oratoribusque.* Sed MS. meus: *ab auctoribus oratoribusque.* haud dubie sincere. Nam per *auctores* poëtæ intelliguntur. uti patet 14, 20, 6. *Proceres Romani specie orationum & carminum, scena polluantur.* Apud Suetonium Ner. cap. 12. *deinde in orchestram senatumque descendit, & orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit.*

16, 2, 4. *sed nova ubertate provenire terras*] MS. meus: *sed novam ubertatem provenire terra.* Sed vulgatam adversus Boxhornii sollicitationem tuetur I. F. Gronovius Plauti Trucul. 2, 4. *cumque bene provenisti salva, gaudeo.* & 2, 6. *cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis.*

16, 3, 2. *dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat*] MS. Oxon. *dum hoc vel illo loco promi specus adseverat.* Unde Nicolaus Heinsius: *dum hunc vel illum locum promiscuus adseverat.* id est non constat sibi sed promiscue nunc hunc nunc illum adsignat locum. Flor. tuetur vulgatam. Meus non habet, *promissi specus.*

16, 4, 3. *excrementa viserentur*] Flor. ut Bud. *viserent.*

Postremo flexus genu & cœtum illum manu veneratus sententias judicum opperiebatur] Copulativa videtur librariorum errore in Pichenæ Editione transmissa, nam in anterioribus, uti MSS. Flor. & Meo exstat. Pichenæ tamen Editionem insequentes retulere.

16, 4, 4. *per injuriam publici flagitii*] Acidalius legit, *incuriam.* quod videtur verum. id est quibus parum curæ erat publicum dedecus.

plausuque composito] Cod. meus: *plausuque apposito.*

16, 5, 1. *severaque & adhuc antiqui moris retinente Italia*] Ita Cod. meus, cujus lectionem sub Agri-

Agricolæ nomine a diversis ante laudatam Freinsheinius jam contextui inseruit, turbato tamen duarum vocularum ordine. Siquidem edidit; *severaque adhuc & antiqui.* Sed ut dedi, Codex. idest eam incolentes Italiæ partem, in qua adhuc disciplina & severitas & prisci mores retinebantur. Ante hic legebatur: *severamque adhuc & antiqui moris retinentes Italiam.* quod Pichena infeliciter tuetur, tamquam *retinentes* esset inhabitantes. Sed *retinens antiqui moris* Taciti lingua: sic *nobilitatis* 2, 38, 7. *modestiæ* 5, 11, 2. &c.

16, 5, 2. *cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros,*] Cod. meus: *turbarentque gnaros.*

16, 6, 3. *ut Romanus mos*] Cod. meus: *ut Romanis mos.*

C. Cassium] De hoc vide notata 6, 15, 1.

16, 7, 2. *Silanus additur*] Hic fuit *M. Iunii Silani*, qui natus ex Æmilia Paulla & C. Appio Iunio Silano, filius: ergo Augusti atnepos. ut probavi 15, 52, 3.

16, 7, 3. *objectavitque Cassio*] Cod. meus: *objectatumque Cassio.*

16, 7, 4. *Ac ut memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur*] Flor. & meus non habent particulam *ut.* Unde clarum legendum ut Lipsius monuit: *Ac ne memoria.*

animo præruptum] Ita Lipsius ex Vatic. cum ante, *animo promptum.* quomodo etiam MS. meus. Sed nescio cur id firmet Ciceronis, *prorupta audacia. Prærupti* enim, ut *præfracti*, montes & rupes dicuntur præcipites. Inde translatio. Flor. Lipsianam emendationem adstruit.

16, 8, 1. *Nam Silanus intentior metu*] Flor. *intecior*, vel *intetior.* & superscriptum *interior.* sed Meus exserte: *metu intentior.*

& exitio patrui ad præcavendum exterritus erat] Nicolaus Heinsius legebat: *exercitus erat.* ut 14, 56, 6. *consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.*

16, 8, 2. *Inducit posthac vocabulo indicum*] Quos inter Heliodorus Stoicus philosophus & Silani magister, ut nos docet Juvenalis Scholiastes ad Sat. I.

ma-

magni delator amici. *Heliodorum dicit Stoicum philosophum, qui L. Iunium Silanum discipulum suum, cum argueretur conjurationis, inficiantem præter domesticam delationem, etiam testimonio oppressit.*

qui in Lepidam Caßii uxorem, Silani amitam] Ergo duas filias C. Appio Silano peperit Æmilia Paulla *Iuniam Calvinam* & hanc *Iuniam Lepidam*.

16, 8, 3. *Vulcatius Tullinus*] Lipsius: *Tertullinus*. ex H. 4, 9, 3. Flor. & Meus. nil mutant.

Calpurnius Fabatus] Hic Plinii Iunioris prosocer, sive uxoris avus, uti patet ex lib. IV. ep. 1. & lib. V. ep. 12. &c. Exstat Inscriptio vetus in Comensi agro ad hunc pertinens, quæ apud Gruterum legitur, quam, ut ibi exstat, subjicio:

C. CALPVRNIVS. L. F. OVF
FABATVS
VI. VIR. IIII. VIR. I. D. PR. M
PRAEF. PRAET. TRIB. MIL. LEG. XXI. RAPAL
PRAEF. COH. VII LVSITAN. ET
NATION. GETVLIC. ARSEN
QVAE. SVNT. IN. NVMIDIA
FLAM. DIVI. AVG.
EX PATRIMONIO. T. F. I.

16, 9, 1. *Tum consulto Senatus*] Ita Cod. meus. Flor. adludens: *Tum consulto Senatu*: Vulgati hactenus: *tum Senatusconsulto*. quod placebat minus.

& Senatus jus exspectabatur] Locus vexatissimus. Flor. *& Senatus ejus exspectabatur*. Meus: *& penates ejus exspectabatur*. Innumeræ fere in hunc locum conjecturæ exstant eruditorum: quibus donec affulgeat alicunde ex MS. indubitata lectio, Illustris viri Nicolai Heinsii operæ pretium addere, velut maxime verisimilem: *& senectus ejus respectabatur*. nam jam senex erat Cassius cæcus & morti vicinus, ideoque mors non irrogata, sed velut instans exspectata est. *Despectare* autem, *suspectare* & *respectare*, voces Tacito familiares. 15, 38, 3. *Sæpe dum in tergum respectant*. A. 37, 6. *nec alius alium respectantes*. Prælulerat huic emendationi Franciscus Medices, qui voluerat: *& senectus ejus exspectabatur*. quod quibusdam placuit: Heinsio sensum haud explere videbatur.

16, 10, 2.

16, 10, 2. *ad accusationem transgrediens Fortunatus libertus*] Flor. & Meus: *ad accusandum tr.*

16, 10, 4. *servabat sanguinem & vestes respersas*] Cod. meus: *sanguine vestes respersas.* quæ lectio vulgata tanto præstantior, quanto dilucidior.

nec ullis alimentis usa, nisi quæ mortem arcerent] Ita reposui ex MS. meo, cum ante, *nec ullis alimentis nisi* &c. quod cuivis evidens τὸ *usa* similitudine sequentis *nisi* absorptum; & sententia id plane postulet.

16, 10, 5. *audiret insontem*] Cod. meus: *ne occideret insontem.*

16, 10, 6. *donec Princeps immobilem se precibus & invidiæ juxta ostendit*] Ita Flor & Meus. Sententia tamen postulat *invidia*, sexto casu; puto, quam faciebat illi filia Veteris. I. F. Gronovius emendationis hujus auctor, sed ad famæ reverentiam aut maligni rumoris metum trahit.

16, 11, 3. *si qua asportari possent*] Cod. meus: *exportari.*

16, 11, 4. *properique & singulis vestibus ad verecundiam velati*] Cod. meus: *propereque in singulis.*

ut relinquerent suos superstites] Flor. *ut relinqueret.*

ac senior prius, tum cui prima ætas exstinguuntur] Acidalius legit: *ac seniores prius.* ut intelligatur, prius aviam, & patrem, ultimum filiam exspirasse. Quam conjecturam firmat Florentini MS. lectio, quantumvis corrupta: *ac seniore prius.* In Meo legitur: *ac senior prius; tunc cui prima ætas extinguitur.*

16, 11, 5. *mortem sine arbitro permittens*] Ita maluit Lipsius & ex Flor. Pichena edidit, cum ante Edd. *sine arbitrio permittens.* quod tuetur Cod. meus. Torrentius ad Suetonii Dom. cap. 12. inde faciebat: *suo arbitrio p.* Petrus Faber: *ejus arbitrio.* Quomodo 16, 33, 2. *Thraseæ, Soranoque & Serviliæ datur mortis arbitrium.* Auctor vitæ Lucani: *impetrato mortis libero arbitrio.* Sed I. F. Gronovius lib. IV. Observ. cap. 2. non dubitat, quin ab Auctore profectum fuerit: *mortem sine arbitrio remittens.* hoc est verbis Suetonii, liberum mortis arbitrium indulgens, vel remittens decreto definitam mor-

mortem; cujus arbitrium non haberent ipsi: aut etiam remittens, ne morerentur optione certi generis mortium ipsis ablata.

16, 12, 2. *Cornelio Orfito*] Qui Consul a. 804. 12, 41, 1.

Ideo Iunium mensem transmissum] Id est in anno expunctum, omissum, subrogato in ejus locum Germanico. MSS. nihil mutant. H. 4, 9, 4. *Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit.* & jam Freinshemius asseruit.

16, 13, 1. *pertulitque violentiam ad vicina Urbi*] Flor. a manu prima: *ad menia Urbi.* Bud: *ad mœnia vicium Urbi.* Sed vulgatam lectionem tuetur Codex meus.

16, 13, 6. *Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est Princeps, ut amissa urbi reponerent*] Ex hoc loco non intelligitur, qualis *clades* hæc *Lugdunensis* fuerit, damnum incendio datum, an terræ motu, Rhodanive aut Araris exundationibus; & propterea vix dubitandum quin Auctor ejus ante meminerit. Hoc autem fecisse existimo in actis anni 811. quo Lugdunum noctis unius incendio periit, 13, 57, 4. ubi vide.

16, 14, 1. *C. Suetonio L. Telesino Coss.*] *C. Suetonius Paullinus* Britanniam rexerat a. 814. 14, 29, 3. Quoniam H. 2, 37, 2. *vetustissimus Consularium*, a. 822. Pighius hunc putat secundum ejus Consulatum; primumque adscribit a 811. inter suffectos. Sed cum neque hoc loco neque apud Frontinum hic secundus dicatur, de illo priore dubitandum est. Præcipue cum Plinius unius tantum meminerit lib. V. cap. 1. *Suetonius Paullinus, quem Consulem vidimus primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem aliquot milium spatio. L. Telesinum* vocant *Pontium* Panvinius & Pighius, non alio argumento, quam quod *Pontii* tali cognomento fuerint. Sed perperam, uti notatum Ruperto ad Reinesium Ep. XLVIII. ex Lapidibus, in quibus *C. Lucius* vel *Luccius Telesinus.* Nam in uno apud Gruterum: C. LVCIO. TELESINO. C. SVETONIO. PAVLINO. COS. in altero apud eumdem:

DIIS MANIBVS
LVCCIAE. C. F.

TE-

TELESINAE
SACRVM.

Cum vero prænomen *Caji* utrique Consuli commune sit, forte reliquerat Auctor: *Cajis Suetonio, Luccio Telesino Coss.* ut 14, 1, 1. Philostratus lib. IV. de vita Apollonii, cap. 13. *Telesino* Consule Apollonium Romam appulisse scribit: lib. VII. cap. 5. *Telesinum* exsulasse, non sub Nerone, ut Lipsius, sed Domitiano.

multorum amicitiis innixum] Freinshemius: *innexum.* MSS. non mutant.

16, 14, 2. *Ventitare ad eum nuntios & consultationes*] Cod. meus: *consultatores.* quod vix dubito quin genuinum sit. Solo enim Florentino (unde Pichena edidit, τὸ *consultationes*) nititur: ante quem *consolationes*, ἀπροσδιόνυσον.

16, 14, 5. *nisi Tigellinus auctor exstitisset. Monitus prius Atejus, ne supremas tabulas moraretur.*] Acidalius recte vidit hæc nectenda, legendumque: *exstitisset, monito prius Atejo.* Idem postea judicavit Freinshemius. Acidalii conjecturam confirmat, quod in Flor. *monitus prius Atejo.*

16, 15, 1. *apud finem Ligurum*] Lipsius conjicit: *Fanum L.* sed MSS. constanter *finem.* Livius lib. XXXV. cap. 27. *Philopœmen protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitanum est, duxit.*

16, 15, 2. *Caussa festinandi ex eo oriebatur*] MS. meus & Ed. Rom. *caussa festinandi exoriebatur.* quomodo rescribendum, ut jam olim Gruterus vidit.

16, 15, 3. *jussa Imperatoris Ostorio aperit*] MS. meus: *jussa P. Ostorio aperit.* Flor. *jussa in.p Ostorio a.* Bud. *jussa impost. Ostorio a.*

16, 16, 1. *quam ne oderim tam segniter pereuntes*] Rhenanus, Lipsius, Acidalius legebant: *oderint.* & ita habet MS. meus. Nihilominus vulgatam lectionem, quæ Florentino & Edd. nititur, præferendam existimo: quam Salinerius primus recte cepit, I. F. Gronovius interpretatus est. Videlicet Tacitus caussam reddit cur non *oderit*, hoc est non omiserit mentionem tam segniter pereuntium. Id enim *odisse* vocat. Ut apud Ovidium Nestor lib. XII. Metam. v. 558.

Ne

Ne tamen ulterius quam fortia facta silendo
Ulciscar fratres.

16, 16, 3. *captivitate urbium*] H. 3, 70, 4. *dum inter Vespasianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium judicatur.*

16, 17, 1. *Rufius Crispinus*] Ante hic edebatur, *Rufus Crispinus.* perperam, ut monitum ad 12, 42, 1.

equites Romani, dignitate senatoria] Qui alio vocabulo, *illustres.* de quibus vide ad 2, 29, 4.

16, 17, 4. *aßimulatis Lucani literis*] Ita Cod. meus: Edd. aliquot perperam: *aßimilatis.*

16, 17, 6. *Additur codicillis*] Cod. meus: *addit codicillis* quæ lectio non ſpernenda: ſic enim ſubintelligitur *Nero*, ut patet ex membro ſequenti: *quæ compoſita credebantur* &c.

Rufium autem Crispinum] Pichena tamquam Flor. volente edidit, *Rufum tamen Crispinum.* Sed cum in Flor. juxta collationem ſæpius prædicatam: *Rufrium aũ.* quod non *tamen*, ſed *autem.* In meo clare: *ruffrium autem.* in Edd. ante Pichenam puto omnibus, *autem:* repoſui particulam temere loco motam.

16, 18, 1. *De C. Petronio*] Ita MSS. Flor. & meus. Vertranius perperam hunc *Petronium*, confundit cum Petronio Turpiliano, de quo vide 14, 29, 1.

pauca ſupra repetenda ſunt] 3, 24, 1. *caſum ejus paucis repetam.*

dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ tranſigebatur] MS. meus: *tranſigebantur.*

16, 18, 3. *Proconſul tamen Bithyniæ*] *Proconſul* dicitur antequam Conſul, quoniam *Bithynia* provincia proconſularis.

Et mox Conſul] Inter ſuffectos, quo anno non inveni.

16, 19, 4. *Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: ſed* &c.] Vel ex hoc loco patet errare, qui Petronium Arbitrum volunt eſſe hunc *C. Petronium*, ejuſque Satyricon, hos *codicillos.* Quoniam tabulas codicillares haudquaquam veriſimile tantam amplexas materiæ amplitudinem, quantam cepiſſe Petronii Satyricon vel ex paucis reliquiis colli-

colligitur. Magis vero ex eo, quod usque ad quindecim & sedecim libros hujus Satyrici citentur a Grammaticis. Quod confirmat inventum nuper Traguriamum Petronii Fragmentum hoc initio: *Petronii Arbitri Satyri Fragmenta ex lib.* XV *&* XVI. fine: *Expliciunt Petronii Arbitri Satyri Fragmenta ex lib.* XV *&* XVI. uti esse in ipso MS. mihi affirmavit Stephanus Gradius, Vaticanæ bibliothecæ, dum viveret præfectus, vir ut ingenio sic doctrina illustri: immo publice sub Statilii * nomine professus est. *Apolog.

16, 20, 2. *Nunicium Thermum*] Flor. *municium Thermum.* Meus: *munitium Therinum.* unde vix dubito, quin legendum: *Minucium Thermum.* & hic fuerit ex Q. Minucii Thermi, sub quo in Asia Prætore Cæsar prima stipendia fecit, posteris.

Tigellini simultatibus dedidit] Bud. Flor. & Meus: *deditum.* Vulgatam tuentur Edd. 16, 10, 5. *neve Consulatus sui quondam collegam dederet liberto.*

16, 21, 2. *quodque Juvenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat*] Ita Rhenanus puto de ingenio, cum ante: *parum expectabilem.* Nam in Flor. *parum & expectabilem.* in Meo: *parum spectabilem.* Sed cur non æque bona, modo non melior, lectio, *exspectabilem*, quam *expetibilem*? Certe analogia utrumque admittit. *Impetibilis* occurrit apud Plinium, Solinum & alios: *vincibilis* apud Terentium: *aspernabilis* apud Ammianum: alia ad hanc formam apud alios. Quæ Salmasius tam agendi quam patiendi notione veteribus usurpata notat.

ludis Cesticis a Trojano Atenore institutis] Flor. ut Vatic. *ludis cetastis*, Meus: *cerastis.* Dein cantus non videtur convenire ludis, quibus manibus certabatur. Hinc Pignorius legit *Iselasticis.* quomodo appellati ludi, quorum victores in patriam reduces *εἰσήλαζαν.* De quibus Plinius lib. X. ep. 119. Sed quis affirmaverit hos tales fuisse. Immo cum nemini licuerit apud Romanos sine auctoritate publica agona celebrare, ut ex Plinii lib. IV. ep. 22. l. 16. D. de Usu & Usufruct. leg. patet, Patavinis, inter tot dominantes antiquitus in Italia populos *Iselasticum* concessum, aut si fuerit ab imperatore populo servatum parum verisimile est. Vide de his Petrum Fabrum lib. II. Agon. cap. 10. & 17. Dein quid

quid vetat credi ſpectaculum hoc duplex fuiſſe gymnicum & muſicum: quale quinquennale Neapolitanorum, cujus meminit Strabo lib. V. Sic Domitianus inſtituit quinquennale Capitolino Iovi triplex, muſicum, equeſtre, gymnicum: teſte Suetonio Domit. cap. 4. Cum vero antiquitus tantum aut præcipue *cæſtibus* in his ludis certaretur, ab his dictos adhuc *cestĭcos*, cum in illis & vocis periculum fieret, nihil abſurdi. Ergo cum vulgata nitatur primis Edd. & *cestus* armatura pugilum vetuſtiſſima, nihil temere mutandum eſt.

16, 21, 3. *& cum deum honores Poppææ decernerentur*] Vulgati hactenus *decernuntur*. quod Urſinus aliique ex Interpretibus in *decernerentur* mutandum monuerunt: quibus obſequi non dubitavi, poſtquam MS. meum ſic habere comperi: qui tamen in præcedentibus variat, exhibens: *& quum deinde honores Poppææ decernerentur.* Ceterum huc pertinet Dionis locus lib. LXIII. in Excerptis Valeſianis: Καὶ ἐτρύφα, καὶ τὸ τῆς Σαβίνης ἡρῷον ἐκποιηθὲν καὶ κοσμηθὲν λαμπρῶς ὠσίωσεν, ἐπιγράψας αὐτῷ, ὅτι Σαβίνῃ αὐτὸ θεᾷ Ἀφροδίτῃ αἱ γυναῖκες ἐποίησαν. *Itaque luxui ac deliciis nihilominus vacabat, & templum Sabinæ, quod tunc forte abſolutum erat, magnificis ornatum donariis dedicavit hocce titulo faſtigio templi inſcripto: SABINAE DEAE VENERI MATRONAE FECERUNT.* Triſtanus templum hoc in *Lesbo* erectum ſcribit; neſcio quo fundamento.

funeri non interfuit] Flor. *interfuerit.* forte: *interfuerat.*

16, 22, 3. *privatis potius clientium negotiis vacaviſſe*] MS. meus: *clientum.*

16, 22, 6. *Huic uni incolumitas tua ſine arte, ſine honore*] I. F. Gronovius: *incolumitas tua, tuæ artes ſine honore.* quod non diſplicet: præcipue cum Pichena in Flor. dicat eſſe, *artes.* Meus vulgatam tuetur.

etiamne luctibus & doloribus non ſatiatur?] Cod. meus: *etiamnum luctibus* &c. abſque interrogatione. quod vulgatæ præferendum.

ſpernit religiones] Flor. & Meus: *ſpernit legiones.*

16, 22, 7. *aut transeamus ad illa inſtituta*] Cod. meus: *in illa inſtituta.* ut puto melius.

16, 22, 10.

16, 22, 10. *Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero*] MS. meus: *iræ promptum*. Sic alibi *promptus animi, potentiæ* &c.

16, 24, 2. *spe, exterritum Thraseam scripsisse, per quæ* &c.] Cod. meus: *sæpe exterritum Thraseam scripsisse jactans, per quæ.* quod si *spe* genuinum, ad Neronem referendum.

vocari Patres jussit] Flor. & Meus: *jubet*.

16, 25, 2. *audiret Senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas*] Flor. *supra humanos.* quod blanditur. id est homines. Cicero lib. XIII. ad Att. ep. 21. *possum falli, ut humanus.* Iustinus lib. XLII. cap. 3. *Primusque humanorum post Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cæli plagam domuisse dicitur.* Ad quæ loca plura suppeditantur a viris doctis exempla.

16, 26, 1. *de ipso Thrasea eadem; sed*] MS meus: *nihil de ipso Thrasea: sed* &c.

16, 26, 2. *superesse, qui forsitan manus ictusque, per immanitatem Augusti*] Cod. meus: *per immanitatem Augusti intentarent.* a manu prima. Postea a secunda alio atramento duobus ultimis vocabulis puncta supposita & in margine adscriptum, *ingererent.* ut velit: *per immanitatem ingererent.* Verum Flor. tum Edd. vulgatam tuentur, quæ recte habet sine verbo expresso. Est enim ἀποσιώπησις, sive reticentia, qualis apud Virgilium: *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.* uti Salinerius vidit. Grotium & alios offendit vox *Augusti* de Nerone usurpata: unde hic pro *Augusti* legit *auderent*: Acidalius & Boxhornius *ausuri.* Sed offendere non debuit, ita enim vulgo appellabatur. Suetonius Ner. cap. 46. *Cum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum est ab universis: Tu facies Auguste.*

16, 26, 3. *Detraheret potius Senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii*] MS. meus: *quem totiens perornavisset.* Sed τῷ *totiens* subjecta puncta induci jubent. Recte. Verbo enim *perornavisset* inest ornandi ad finem usque notio, ut Freinshemius contra Lipsium notat.

16, 27, 3. *ad segnitiam verterentur*] Flor. *uterentur.*

16, 27, 4. *e longinquis provinciis haud veniri*] Lipsii conjectura, quam Pichena cum in Flor. reperisset *had veniri* contextui inseruit, cum ante in Edd. *provinciis adveniri.* quomodo etiam in MS. meo, qui tamen in anterioribus variat, exhibens: *etenim quod mirum est longinquis provinciis adveniri.* Nicolaus Heinsius divinabat: *quid mirum e longinquis provinciis adsciri.* Senatores nempe.

16, 28, 1. *summam Rempub. agi*] Ita edidi ex Flor. cum hactenus: *summam Reipub. agi.* uti & 12, 5, 4. quia sic loquebantur. id est omnem Rempub. in discrimine esse.

16, 28, 4. *Denique agere Senatorem & Principis obtrectatores protegere solitus, veniret*] I. F. Gronovius legebat: *agere Senatorem, ut Principis obtrectatores protegeret, solitus.* Flor. tuetur vulgatam. Sed Meus: *ageret Senatorem, & Principis obtrectatores protegere solitus veniret.*

16, 29, 1. *Marcellus ut erat torvus & minax*] Ita Pichena edidit cum in Flor. reperisset: *Marcellus uter & torvus* &c. cum ante: *Marcellus inveheretur, torvus.* At MS. meus: *Marcellus vinceret.* unde de Pichenæ emendatione forte dubitandum est.

non illa nota & celebritate periculorum sueta jam Senatus mœstitia] Ita Flor. & Meus MSS. item Edd. ante Lipsium, qui de conjectura Rhenani *crebritate* vulgavit, quod Freinshemio aliisque retentum. Sed cum *celebritas* pro frequentia ponatur, ut *celebritas viæ* H. 2, 64, 1. frequentia autem pro multitudine cujuscumque rei: quid vetat, quominus sic accipiatur *celebritas periculorum*, in tanto præcipue Codicum consensu?

16, 29, 3. *Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam?*] Hujus historia nobis conservata a Suetonio Tib. 61. *Annalibus suis vir Consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito & clare a quodam nano adstante mensæ inter copreas, cur Paconius majestatis reus, tam diu viveret: statim quidem petulantiam linguæ objurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, ut de pœna Paconii quam primum statueret.*

neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, ex-

torrem

torrem agi] MS. meus: *carminis, sed quia protulerit ingenium.*

16, 30, 2. *Vetera hac. sed recens, discrimini patris filiam connectebat*] Flor. *sed recens & quot discrimini.* I. F. Gronovius putat *quot* duntaxat recidendum, & Taciti prorsus: *Vetera hac, sed recens, & discrimini p. f. c.* sic ut in duobus prioribus orationis membris intelligatur verbum substantivum.

16, 31, 2. *tu Cæsar, vos Patres*] Ita Flor. & Meus. Vulgati hactenus copulam *&* interponebant.

16, 32, 1. *nimiæ tantum pietatis ream, separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret*] Ita Flor. & Meus concorditer: quos secutus sum potius, quam vulgatos in quibus *separarent a se, quamcumque s. s.* quoniam alterum fortius & Tacito convenientius. *Separarent*, id est paterentur *dividere defensionem*, ut loquitur 3, 15, 2.

16, 32, 2. *tantum iræ P. Egnatius testis concivit*] MS. meus: *tantum invidiæ Egnatius testis concivit.*

16, 32, 3. *habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus*] Edd. ante Pichenam: *imaginem honesti & exerciti.* Sed hic ineptam duntaxat hanc lectionem, Lipsii conjecturam dignam videri, quæ recipiatur, pronuntiat. Verum omisit monere vir optimus (quod emendationis hujus præcipuum fundamentum) a Florentino eam confirmari. Cui ego nunc adjicio etiam mei Codicis auctoritatem, in quo exserte: *habitu & ore ad exprimendã imaginẽ honesti exercitus.* Nihilominus I. F. Gronovius lib. II. Observat. cap. 4. veterum Edd. scripturam tuetur. Sed vix dubito, quin si innotuisset doctissimo viro utriusque hujus Codicis scriptura, mutaturus sententiam fuerit. Etsi enim *exercitus* & *exercitatus* dicatur de eo, qui virtutis præceptis animum composuit, *exercitum* neutro genere dici, ut *honestum*, vix putem. Et tamen quin Tacitus per *imaginem honesti*, intelligat virtutis imaginem, non honesti viri vix dubitandum. Quomodo *exerciti* locum non haberet. Præterea *exercitus* sic alibi apud Tacitum: ut 14, 56, 5. *factus natura, & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.*

16, 33, 1. *Caßii Asclepiodoti*] Apud Xiphilinum vocatur *Caspius Asclepiodotus Nicanus.*

quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labantem non deseruit] Vulgati hactenus *labentem.* Sed MS. meus ut dedi, *labantem.* quod sensus postulat, & Taciti vocabulum. *Labi* enim est sensim cadere; *labare*, repente ruere. Sic 14, 12, 7. *Labante Agrippina.* H. 2, 86, 4. *Labantibus Vitellii rebus.*

æquitate deum erga bona malaque documenta] Sic ambo MSS. id est diis bonum malumque facinus pari incuria transmittentibus. Ἐπιχειρίζει, quidquid alii dicant, sed excusabilius; quoniam multos bonos viros concussit improborum felicitas. Hinc Bruto morienti excidere, quæ Herculi, apud Dionem lib. XLVII. in fine:

> Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ᾽ ἦσθ᾽. ἐγὼ δέ σε
> Ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ᾽ ἄρ᾽ ἐδούλευες τύχῃ.
> *O misera virtus, nomen inane: te quidem*
> *Ceu rem colebam: at serva tu fortunæ eras.*

Nec boni duntaxat difficulter concoxere hanc *Dei æquitatem, erga bona malaque documenta*, sed quidam etiam θεοσεβεῖς. Hinc David in Georgii Buchanani paraphrasi Psalmo LXXIII.

> *Quam pene lapsu pes mihi lubrico*
> *Gressum fefellit, dum pede metior*
> *Immensa parvo, dum trutina mea*
> *Expendo stultus judicium Dei!*
> *Fervebat ira pectus & æmulo*
> *Livoris æstu, quum scelerum omnium*
> *Contaminatos sordibus impios*
> *Florere cunctis conspicerem bonis.*

Vide H. 1, 3, 4.

16, 34, 1. *Tum ad Thraseam in hortis agentem Quæstor Consulis missus*] MS. meus: *Tum ad Thraseam consilia mortis agentem* &c.

vesperascente jam die. inlustrium virorum feminarumque cœtus frequentes egerat] Idem MS. *Vesperascente jam die: quem illustrium virorum fœminarumque cœtu frequentem egerat.*

16, 34, 2. *& auditu*] Flor. & Meus: *& auditis.*

16, 34, 3. *flentes quiritantesque*] Flor. *queritantesque.* Item Edd. ante Vertranium, qui de Rhenani conjectura *quiritantesque* dedit velut gravius.

Sed

Sed cum *quiritare* vel *quiritari* propric sit *clamare, tractum ab iis qui Quirites invocant*, ut Nonius docet; magis altera lectio loco huic convenit. Similiter apud Plinium lib. VI. ep. 20. *infantium queritatus* legitur, non *quiritatus*. MS. meus: *querentesque*.

neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur] MS. meus: *miscerent*. quomodo ut plurimum construitur *neu*, sive *neve*. Horatius in de Arte:

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult & spectata reponi.

Tamen *ne* etiam non; ut passim apud Plautum: quomodo vulgata defenditur.

16, 34, 4. *tentantem mariti suprema & exemplum Arriæ matris sequi*] Amicus: *ad exemplum*. MSS. non mutant.

16, 35, 2. *postquam cruorem effudit, humum super spargens*] MS. meus: *postquam crucrem fudit humum super aspergens*.

CONSVLES ROMANI

Post C. *Suetonium Paullinum* C. *Lucium Telesinum* apud Tacitum deperditi.

	Anno
Fontejus Capito, Iulius Rufus.	V.C. 820. Ch. 67.
C. Silius Italicus, Galerius Trachalus Turpilianus.	V.C. 821. Ch. 68.

AD

AD HISTORIARVM

LIBRVM I.

C. CORNELII TACITI HISTORIARVM LIBER I. Qui ANNALIVM XVII.] Divisionem horum librorum a Lipsio factam & nomen *Historiarum* reliqui, propter argumenta quæ apud ipsum exstant. Tantum omisi adjectionem, *ab excessu Neronis*, hic & in sequentibus libris ab eo de ingenio positam, ad imitationem Beroaldinæ *ab excessu D. Augusti*, præfixæ Annalibus. Cum vero in nullo, quod sciam, MS. *Historiarum* appellatio libris hisce detur, sed *Annalium*; inducor, ut credam aut ipsum Tacitum cum post *Historias* absolvisset *Annales*, ut omnes hi libri communi *Annalium* nomine vulgarentur, voluisse; aut statim post ejus tempora librarios *Annalium* nomen etiam ad *Historiarum* libros transtulisse. Certe antiquissimam esse hanc appellationem Florentinus Codex Longobardicis literis circa annum Christi, ut Pichena putat, CCCXCV; ut ego existimo, temporibus quibus Longobardi in Italia dominabantur, ex Codice circa illum annum scripto exaratus docere potest. In hoc enim ad calcem libri II. Historiarum, legitur literis Longobardicis adjectum: *Cornelii Taciti liber octavus decimus explicit. Incipit nonus decimus.* Et similiter in tertii & quarti fine. Præterea D. Hieronymum suo tempore sic reperisse in Taciti exemplaribus patet ex ejus loco in Zachariam Prophetam, a Lipsio adducto. Ne igitur tantæ antiquitati obsisterem, aut temere spernerem *Historiarum* appellationem, mediam viam ingressus concepi: *C. Cornelii Taciti Historiarum liber I. qui Annalium* XVII.

H. I, I, I. *Nam post conditam Urbem octingentos & viginti prioris ævi annos multi auctores retulerunt*] Vulgati hactenus: DCC & XX *prioris ævi annos.*

Sed Flor. Reg. & Meus adjecto centenario, expansa scriptura: *octingentos & viginti.* quomodo quin Tacitus scripserit haud dubitandum. Neque enim hic tantum Historicorum meminit, quos Respublica Romana tulit temporibus libertatis, sive usque ad bellum Actiacum, quod contigit anno V.C.723. tertio Nonas Septembres: sed omnium *prioris ævi*, id est totius retro temporis quod ab initio Urbis in *Ser. Galbam ittrum, T. Vinium Coss.* elapsum est. Dein horum *Auctorum* duas constituit classes: priorem eorum, qui *res Populi Romani*, id est veteris Reipublicæ, memoraverunt, quos laudat ab *eloquentia ac libertate:* alteram eorum, qui a prœlio Actiaco usque ad Galbæ initium composuere res Augusti, Tiberii, Caligulæ, Claudii & Neronis, quos veritatem infregisse ait, partim inscitia Reipublicæ ut alienæ, partim adulandi studio, aut etiam odio adversus dominantes. Quare loco ὑποστιγμῆς ponenda τελεία στιγμὴ post *retulerunt*.

H. I, I, 2. *atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit*] Ita Flor. & Meus concorditer. Vulgati hactenus: *omnem potestatem*. Bud. *omnium potestatem*.

H. I, I, 5. *Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam*] Plinius lib. VII. cap. 16. *Ipsi nos pridem vidimus eadem fere omnia præter pubertatem in filio Cornelii Taciti, equitis Romani Belgicæ Galliæ rationes procurantis.* Quem locum Lipsius ad Auctoris patrem hic trahit, cum ante de ipso accepisset, quoniam hypothesi suæ de ejus ætate adversari animadvertit. Ejus enim natalem in Claudii finem aut potius Neronis initium, sive annum V. C. 807. conjecerat. Quod si verum, anno 830, quo Plinius Historias suas publicavit, idem natus tres & viginti annos, ac nondum senatoria ætate, sive ea qua Romanis honores petere permissum: l. 8. D. de Mun. & Honor. l. 2. D. de Minor. Nam cum Plinius Iunior se & Tacitum *homines* vocet *ætate propemodum æquales* lib. VII. ep. 20. Plinius natus fuerit anno 816; uti colligitur e lib. VI. ep. 20. quid vetat Tacitum credere natum anno 805, aut etiam ante? Certe hanc Taciti ætatem omnino postulat tempus matrimonii ejus cum Agricolæ filia,

initi

initi statim post Agricolæ Consulatum, A. 9, 8. Nihil igitur impedit, quo minus Plinii locus de Tacito Historico accipiatur.

sed incorruptam fidem professis, nec amore quisquam, & sine odio dicendus est] MS. meus: *professo, neque amore* &c.

H. 1, 1, 6. *uberiorem securioremque materiam senectuti seposui*] Quod tamen non præstitit: suspicor, propter diuturnum Trajani Imperium, quippe quod duravit in annum 870. Unde mutato consilio, superiori periodo describendæ se accinxit.

H. 1, 2, 1. *Opus aggredior opimum casibus*] Ita plane præfert MS. meus, tum Ed. Romana: nec video cur *opus opimum casibus*, pro refertum, abundans, magis debeat offendere, quam *arva opima virum* apud Virgilium. Plures tamen non concoxere.

ipsa etiam pace sævum] MS. meus: *in ipsa etiam pace s.* & sic Edd. ante Rhenanum, qui *in* expunxit.

Tria bella civilia] MS. meus: *Terna bella civilia.*

H. 1, 2, 2. *perdomita Britannia, & statim missa*] Ita MSS. Flor. & Meus: item Edd. ante Pichenam, qui Lipsii conjecturam, *& statim amissa*, recepit, contradicentibus merito Savilio & Mercero. Neque enim *amissa* Britannia sub Domitiano: sed postquam tota ab Agricola *perdomita* A. 10, 1. post ejus decessum tota non videtur retenta. Quo forte respiciunt A. 41, 2. *Et ea insecuta sunt Reipub. tempora, quæ sileri Agricolam non sinerent.*

coortæ in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes] Edd. ante Rhenanum: *cohorte in Roxolanos Sarmatarum ac Suevorum gentes.* Hic τὸ *Roxolanos*, quod a Bud. abesset, omisit. Dein Pichena Lipsii emendationem expressit, *coortæ Sarmatarum* &c. Sed cum in MS. meo *cohorte in Sarmatarum.* in Flor. *coortæ in nos Sarmatarum.* quomodo Muretus notaverat: Florentini Codicis lectionem velut veram sequi non dubitavi.

Mota etiam prope Parthorum arma] MS. meus: *mota prope etiam P. a.* Flor. *motæ prope etiam P. a.*

H. 1, 2, 3. *Haustæ aut obrutæ urbes fecundissima Campaniæ ora. Urbs*] Flor. & Meus. item Edd. ante Pichenam interposita copulativa: *ora: & Urbs.*

H. 1, 2, 4. *infecti cædibus scopuli*] MS. meus: *infecta cædibus scopula.*

H. 1, 2, 5. *agerent verterent cuncta odio & terrore*] Ita Flor. & Meus MSS. item Edd. ante Rhenanum, apud quem, *agerent ferrent cuncta. Odio & terrore corrupti in dominos servi.* quod a Lipsio retentum, a Pichena neglectum, & rursus velut dictionis gemma assertum I. F. Gronovio. Sed cum dubium sit utrum de ingenio an libris depromptum illud *ferrent* (in Rhenani enim Castigationibus de eo altum silentium) contra τὸ *verterent* nitatur MSS. & Edd. ante Rhenanum, ab horum auctoritate discedere religio fuit. Præcipue cum *vertere* pro mutare & evertere apud Tacitum perquam sit frequens: & mutata distinctio, *Odio & terrore corrupti in dominos servi*, sensum fundat nimis angustum: tamquam nulli servi aut liberti dominos aut patronos prodiderint, nisi qui aut odissent eos, aut minis tormentisve ad id faciendum adacti essent; cum ratio dictet etiam præmiorum pollicitationibus id factum.

H. 1, 3, 4. *Nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve justis indiciis approbatum est, non esse curæ deis securitatem nostram, esse ultionem*] Hactenus in plerisque Editionibus: *magisve justis judiciis.* Sed cum in Flor. & Meo MSS. item in Ed. Rom. *magis vetustis indiciis.* non dubitavi alterum sequi. *Indicia* enim hic non sunt prodigia, ut Gruterus opinabatur, sed signa & argumenta. H. 1, 26, 4. *Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa.* In meo autem MS. *magis ve tustis indiciis approbatum non esse* &c. & super priore syllaba τ *tustis*, adscriptum *cer.* Ceterum Bocalinus, in Dissertationibus, Tacitum ab ἀσεβείας crimine ei a Lipsio hic improperato absolvere nititur, dum verba, *securitatem nostram*, contendit intelligenda de populo Romano, ut 15, 31, 2. *Scilicet externæ potentiæ sueto non erat notitia nostri.* & G. 33, 3. *maneat quæso duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui.* in quibus locis quin τὸ *nostri*, de populo Romano capiendum, nullum dubium est. Sed hac defensione Bocalinus versutiorem se caussidicum prodit, quam bonum Grammaticum.

ticum. Si enim de populo Romano voluisset Tacitus intelligi hanc *securitatem*, ex genio linguæ dixisset, *securitatem illius*, quoniam paullo ante *populi Romani* meminerat, non *securitatem nostram*. quod nisi ad genus, cujus ipse individuum, referri non potest. Ita tamen sibi in hoc suo invento placet, ut Lipsium, velut calumniæ manifestum, injuria haud levi afficere non reformidet.

H. I, 4, 3. *pars populi integra & magnis domibus annexa; clientes* &c.] Ita Flor. & Meus: ne quis cum Pichena auscultetur Lipsio, *annexi clientes*, emendanti. Id est honestiores e plebe & affinitate aut amicitia nobilibus conjuncti, præterea clientes &c.

H. I, 5, I. *& ad destituendum Neronem arte magis & impulsu quam suo ingenio traductus*] Plutarchus in Galba: Νυμφίδιος γὰρ Σαβῖνος ὢν ἔπαρχος, μετὰ Τιγελλίνου τῆς αὐλῆς, ἐπεὶ τὰ Νέρωνος ἀπέγνωστο παντάπασι, καὶ δῆλος ἦν ἀποδρασόμενος εἰς Αἴγυπτον, ἔπεισε τὸ στρατιωτικὸν ὡς μηκέτι παρόντος ἀλλ' ἤδη πεφευγότος, αὐτοκράτορα Γάλβαν ἀναγορεῦσαι· καὶ δωρεὰν ὑπέσχετο κατ' ἄνδρα τοῖς αὐλικοῖς καὶ στρατηγικοῖς προσαγορευομένοις, δραχμὰς ἑπτακισχιλίας πεντακοσίας· τοῖς δ' ἐκτὸς στρατευομένοις, πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ χιλίαις, ὅσον ἀμήχανον ἦν συναγαγεῖν μὴ πλείονα, μυριάκις κακὰ παρέχοντα πᾶσιν ἀνθρώποις ὧν Νέρων παρέσχε. *Nymphidius Sabinus præfectus prætorio cum Tigellino, ubi res semel deploratæ Neronis fuerunt, & ostendit ille fugam meditari se in Ægyptum; induxit milites, quasi non ultra adesset, sed cepisset jam fugam, ut Imperatorem Galbam appellarent: ac donativum pronuntiavit viritim cohortibus, prætorianis & urbanis tricena millia * nummum legionariis quina millia *. quantam summam fieri non poterat ut quisquam cogeret, quin sexcenties plus quam Nero flagellaturus esset omnes mortales.*

* 75 Philipp.
* 125 Philipp.

H. I, 5, 2. *scelere insuper Nymphidii Sabini Præfecti imperium sibi molientis agitatur*] Bocalinus putat minus recte consilium *Nymphidii* de occupando Imperio hic appellari *scelus*, quoniam id ab ingrato Galbæ animo profectum, quo is in *Nymphidii* locum Cornelium Laconem surrogavit; quasi hæc

remotio necessitatem istam imposuerit, aut jus conspirandi dederit. Ita credo didicit ab Hetrusco. Sed sanior philosophia vocat *scelus*. Neque enim ex eo quod demissus Præfectura Prætorii, sequebatur ejus vitam peti, nisi fatum stoliditate provocaret; non magis quam Virginii Rufi, postquam is Hordeonium Flaccum succedere sibi passus est. Præcipue cum intelligeret ipse remotionis hujus caussam interiorem; quod nomine Galbæ plus fuisset pollicitus, quam is solvendo unquam esset.

H. 1, 5, 4. *angebat adspernantes*] Vulgati hactenus: *angebat coaspernantes*. sed *coaspernari*, nescio an alibi obvium, & ut sit, hic minus idoneum. Præterea MS. meus: *angebat aspernantes*. Flor. *angebat* — *aspernantes*. & in superscriptione quoque interlineari: *aspernantes*. Muretus quoque legit, *aspernantes*. Unde sic edendum curavi.

quam olim virtutes venerabantur] Ita clare MS. meus, cujus lectionem prætuli vulgatorum *verebantur*. quod velut minus commodum mutatum ibant quidam in, *reverebantur*.

H. 1, 6, 3. *trucidatis tot millibus*] Xiphilinus in Excerpt. Dionis lib. LXIV. ἐς ἑπτακισχιλίους ἀπέθανον. *ad septem millia cæsi*. reliquos postea decimatos ait: in quo Tacitus concinit H. 1,37,3. Turbat autem ibi, quod οἱ δορυφόροι τοῦ Νέρωνος, *Prætoriani Neronis*, hi appellentur: cum Plutarchus ostendat fuisse classicos. Scribit enim in Galba: Ἐπεὶ δὲ προσιὼν, ἀπεῖχε τῆς πόλεως περὶ πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους, ἐνετύγχανεν ἀκοσμίᾳ καὶ θορύβῳ τῶν ἐρετῶν τὴν ὁδὸν προκατεχόντων καὶ περικεχυμένων πανταχόθεν. Οὗτοι δὲ ἦσαν οὓς εἰς ἓν τάγμα ὁ Νέρων συλλοχήσας ἀπέδειξε στρατιώτας· καὶ τότε παρόντος ἐκβεβαιώσασθαι τὴν στρατείαν, οὔτε ὀφθῆναι τοῖς ἀπαντῶσιν, οὔτε ἀκουσθῆναι παρεῖχον τὸν αὐτοκράτορα, ἀλλ' ἐθορύβουν βοῇ, σημεῖα τῷ τάγματι καὶ χώραν αἰτοῦντες. *Postquam jam progrediens pervenit ad tertium fere ab Urbe lapidem: incidit in tumultum inconditum classicorum: qui viam insidebant, erantque undique ei circumfusi. Hi erant, quos in unam legionem Nero decuriatos ordinibus militaribus ornaverat: ac tunc flagitantes stipendia sua roborari, neque conspicere prodeuntibus obviam neque appellare permitte-*

bant

bant Imperatorem: sed tumultum ciebant clamore signa legioni & locum postulantes.

H. 1, 7, 1. *Clodii Macri*] Hujus nummi adducuntur ad H. 2, 97, 4.

Fonteji Capitonis] Videtur is, qui Consul cum Rufo anno 820. juxta Cassiodorum & Fastos Græcos. Sed qua auctoritate Onuphrius huic *Lucii* det prænomen (quod Pighius sequitur) tum quo argumento *Caji*, qui Consul a. 812. faciat fratrem, non exputo. Vide ad 14, 1, 1. In Freinshemii Indice confunditur, cum duobus *Cajis* quorum alter Cos. a. 765, alter 812.

Macrum in Africa haud dubie turbantem] Ante Lipsium: *res haud dubie turbantem.* Sed τὸ *res* nec in Flor. nec Meo conspicitur. Unde recte a Lipsio inductum.

H. 1, 7, 2. *crimen ac dolum compositum ultro*] MS. meus: *ultro compositum.*

H. 1, 7, 3. *& inviso semel Principe, seu bene seu male facta premunt*] MS. meus: *premuntur.* quod præferendum. 15, 49, 3: *quod famam carminum ejus premebat Nero.* Reg. corrupte: *præminuit.* Certe vulgatam, quantumvis tolerabilem, tam male concoxit Annibal Scotus, ut contra Codd. fidem ediderit: *& invisum semel Principem* &c.

H. 1, 7, 4. *Iam offerebant venalia cuncta præpotentes liberti*] Hactenus hic vulgabatur: *Iam afferebant.* quod alii ut σολοικοφανὲς inducebant, alii diversimode reformabant. Sed meus Codex calamo exaratus eximit scrupulum, exhibens, *Iam offerebant.* quod haud dubie Taciti. Similiter hæc vox corrupta 13, 38, 3. Rem explicat Suetonius Galb. cap. 15. *At contra, nihil non per comites atque libertos pretio addici, aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates, pœnas innocentium, impunitates noxiorum.*

H. 1, 8, 1. *& pacis artibus, bellis inexpertus*] Ita Flor. & Meus MSS. item Edd. ante Rhenanum, qui, *belli inexpertus*, dedit; quod insequentibus retentum. Minus bene. Nam *inexpertus* cum secundo casu active sumitur: ut *inexpertus lasciviæ.* 16, 5, 1. *inexpertus belli labor* H. 2, 4, 7. quomodo *belli inexpertus*, qui bellum nunquam vidit. *Bellis*

vero *inexpertus*, passive, qui non exercitatus in bello gerendo: ut H. 2, 75, 1. *legiones civili bello inexpertæ*. Præterea meus MS. voce auctius: *& pacis artibus clarus, bellis i.* quomodo Faërnus voluit. Sic *bello clarus* H. 3, 44, 2. A. 29, 3. *militia clarus* alibi. Quamquam & abesse possit.

H. 1, 8, 2. *Proximæ tamen Germanis exercitibus*] MS. meus: *Germanicis*.

H. 1, 8, 4. *Tarde a Nerone desciverant*] MS. meus: *qui tarde a Nerone desciverant*.

H. 1, 9, 1. *adeo furentes infirmitate retinentis ultro etiam accendebantur*] Tò *etiam* nec a Flor. nec a Meo agnoscitur. Unde videtur inducendum.

H. 1, 9, 2. *donec missu Galbæ, Vitellius aderat*] Ambo MSS. Flor. & Meus: *A. Vitellius aderat.* quomodo rescribendum. ut, *ad L. Vitellium* H. 3, 77, 1. pro, *ad Vitellium*.

H. 1, 9, 3. *seu crebris expeditionibus doctæ hostem potius odisse*] MS. meus: *odissent*.

H. 1, 10, 2. *mox attritis opibus*] Ita MS. meus, tum Edd. ante Lipsium, qui *atteritis* dedit ex Vatic. quod tuetur Tibulli *atteruisse*. Sed cum Tacitus alibi *attritum*, 15, 16, 1. H. 3, 50, 7. verisimile constanti ortographia usum. Ut taceam Velium Longum improbare alteram formationem, cum scribit: *terui & trivi non adscribo huic disputationi sed consuetudini, sed novæ & veteri adnotationi. Nam Virgilius secutus antiquos, cum possit dicere* teruisse *non impediente metro, maluit dicere*, Nec te pœniteat calamo trivisse labellum. &, Hinc radios trivere rotis.

H. 1, 10, 3. *quotiens expedierat*] In expeditione erat, 15, 15, 1. H. 1, 88, 2.

secreta male audiebant] MS. meus: *secreto male audiebat.* ut Rhenanus conjicit. H. 1, 19, 4. *agitatum secreto*.

H. 1, 11, 2. *Africa ac legiones in ea &c. contenta qualicumque Principe*] Lipsius, *Africa & legio.* Flor. nihil quidem hic juvat, sed paullo post; *contenta q. P.* Meus a manu prima, *Africam*, &, *contentaque*. a secunda *contentam*.

H. 1, 11, 3. *Duæ Mauretaniæ*] In nummo Hadriani: ADVENTV. AVG. MAVRETANIAE.

&

& ſic alii. in Lapidibus etiam, MAVRITANIA. quomodo ante Pichenam Edd. & MS. meus.

& quæ aliæ Procuratoribus cohibentur] MS. meus: *procurationibus.*

H. 1, 11, 4. *atque ipſa in primis Italia, cuicumque ſervitio expoſitæ in pretium belli ceſſuræ erant*] Flor. & Meus. *expoſita in pretium belli ceſſura erant.*

H. 1, 12, 3. *multi occulta ſpe*] MS. meus: *multis ſtulta ſpes.* Flor. *militis occulta ſpe.* Forte: *multis occulta ſpes.* ut Pichena voluit.

ambitioſis rumoribus] Flor. *ambitionis.* uti Edd. ante Lipſium, qui *ambitioſis.* quod confirmat Cod. meus.

eodem actu inviſior erat] Ita Flor. & Meus.

H. 1, 13, 2. *Vinius pro Othone*] Flor. & Meus: *pro M. Othone.*

H. 1, 13, 3. *ex rumoribus nihil ſilentio tranſmittentium*] Flor. & Meus: *& rumoribus.* Bud. *& ex rumoribus.* & poſtulat copulam ſenſus, qui vult, Galbæ partim propria obſervatione, partim aliorum ſermonibus innotuiſſe Othonis ac T. Vinii amicitiam.

H. 1, 13, 4. *adoleſcentiam petulanter egerat*] MS. meus: *rexerat.*

H. 1, 13, 5. *eoque jam Poppæam Sabinam*] Particula *jam*, quæ ab Acidalio deletur, in Flor. & Meo conſpicitur. Vide 13, 45, 6.

H. 1, 14, 2. *Mario Celſo*] Qui Legatus XV legionis, ex Pannonia ad Corbulonem miſſæ. 15, 25, 4.

Ducennio Gemino] Qui Conſularis & vectigalibus publicis præpoſitus 15, 18, 3.

Piſonem Licinianum] Plutarchus Galb. *Piſonem* dicit Κράσσου καὶ Κρητίωνος ἔκγονον, οὓς Νέρων ἀνῃρήκει. quod Hermannus Cruſerius vertit: *ex Craſſo & Piſone, quos interfecerat Nero, ortum.* Unde patet pro Κρητίωνος legiſſe Πείσωνος. tamquam duo patres intelligantur naturalis & adoptivus. Sed naturalis a Claudio cæſus. Quod ſi adoptivus a Nerone necatus, intelligitur *C. Calpurnius Piſo*, de quo 15, 48, 1. Sed Lipſius ex Tacito reponit, Σκριβωνίας. Verum nec ſic ſanatus locus, quod *Scribonia* cum marito non ab Nerone, ſed Claudio ſublata, teſte Seneca in Apocol. Unde Plutarchi verbis

bis majus inhærere ulcus videtur, quam ut vel Aristarchi manu eximi possit. Pater autem hujus, jubente temporis ratione, *M. Licinius Crassus Frugi*, qui Cos. cum L. Calpurnio Pisone a. 780. 4, 62, 1. de quo Suetonius Claud. cap. 17. *Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus & in prætexta; Crassus Frugi equo phalerato, & in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.* Senecæ tam *fatuus, ut etiam regnare posset*: tamque Claudio *similis, quam ovo ovum.* Unde *Pisonis Liciniani* stemma sic constituendum videtur.

M. Li-

M. Licinius Crassus Cos. a. 724. M. Licinii Crassi Divitis nepos.

|

M. Licinius Crassus Cos. a. 740.

|

M. Licinius Crassus Frugi, Cos. a. 780. a Claudio cæsus. —— Scribonia a Claudio cæsa.

|

M. Licinius Crassus, Cos. a. 817. a Nerone cæsus.

Cn. Pompejus Magnus Crassus, a Claudio cæsus.

C. Calpurnius Piso Licinianus, adoptatus primum a Pisone, dein a Galba, ab Othone cæsus. —— Verania.

|

Calpurnius Galerianus.

Licinius Crassus Scribonianus.

Licinia Crassi Frugi Pontificis F. Magna, L. Pisonis Pontificis uxor. Inscript.

accersiri] Ita MSS. I. F. Gronovius : *arcessi.* quomodo scribi analogia postulat. *Arcesso* enim est ab *arcio* vel *accio*, quod ex *ar* pro *ad* & *cio* vel *cieo*. Antiqui enim *r* pro *d* posuerunt, unde *arcedere* pro *accedere* apud Turpilium, *arvectum* pro *advectum* apud Catonem. Hinc *arcesso*, ut *capesso*, *facesso*, *lacesso*.

H. 1, 14, 4. *Piso M. Crasso & Scribonia genitus*] Lipsius putat illo *M. Crasso Frugi*, qui Cos. cum C. Lecanio Basso a. 817. sub Nerone. Et in hac sententia videtur fuisse Plutarchus. Sed obstat Seneca, patrem hujus a Claudio cæsum scribens in Ludo de morte Claudii : *Occidit in una domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Assarionem, nobiles tamen, Crassum vero tam fatuum, ut regnare posset.* & paullo post: *Quandoquidem Divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Pompejum Magnum & L. Silanum, socerum filiæ suæ Crassum Frugi, hominem tam similem sibi, quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiæ suæ* &c. Unde haud dubitandum quin pater fuerit *Crassus Frugi*, qui Cos. a. 780; frater, qui Cos. a. 817.

ea pars morum, quæ suspectior solicitis] Ita exhibet MS. meus melius, quam vulgati hactenus: *quo suspectior s.*

H. 1, 15, 1. *& mihi egregium erat tunc, Pompeji & M. Crassi subolem in penates meos adsciscere*] Flor. & Meus MSS. *nunc Pompeji.* unde videtur, *Cn. Pompeji*, scribendum. Sed quomodo Piso ex *Cn. Pompeji Magni* posteris non produnt Interpretes. Fuit autem is per matrem Scriboniam Pisonis abavus, uti patet ex Scriboniorum stemmate, quod inseruimus 2, 27, 3.

Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adjecisse] Freinshemius malebat : *Sulpicia ac Lutatia.* sed MSS. nil mutant : & subintelligitur *nobilitatis*, quod mox sequitur.

H. 1, 15, 4. *est tibi frater pari nobilitate, natu major*] Licinius Scribonianus Crassus H. 4, 39, 5.

ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas] Amicus malebat : *nihil præteriti.*

H. 1, 15, 6. *Fidem &c. retinebis*] Bocalinus hic reprehendit Tacitum, quod *fidem* numeret inter virtutes Principi convenientes, cum tantum privatorum

torum sit: Principes nullis nisi commodi & utilitatis vinculis constringantur. Egregium monitorem, genuinum Machiavelli discipulum!

H. 1, 16, 5. *quod nunc mihi unum objicitur*] MS. meus: *q. n. unum mihi o.*

H. 1, 17, 3. *& male coërcitam famam supprimentes augebant*] Id est rumorem subinde per quosdam garrulos aut suspicaces emanantem illi ipsi, qui refutando compescebant & inhibere conabantur, propagabant.

H. 1, 18, 3. *quartam & duodevicesimam legiones*] Ita Edd. usque ad Pichenam, qui *duo & vicesimam* dedit, auctoritate Notæ marginalis Lipsii, & postulante, ut putabat, historia. Sed deinceps ad H. 1, 55, 4. retractans sententiam docet *duodevicesimam* legendum: atque ita exhibent MSS. Flor. & Meus. Ille quidem a secunda manu, sed priore sic erasa, ut non appareat amplius.

H. 1, 18, 4. *Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium*] MS. meus: *additum aut pretium.*

H. 1, 19, 1. *non longior quam apud militem sermo*] Ita Flor. & Meus: & sic solet alias. Vulgati hactenus: *apud milites.*

multi voluntate, effusius qui noluerant: medii, ac plurimi, obvio obsequio privatas spes agitantes] Ita emendavit atque distinxit Freinshemius, cum ante: *multi voluntate effusius, qui noluerant medie, ac plurimi obvio obsequio* &c. Et de distinctione concedendum videtur propter 1, 7, 1. Sed cum in Flor. & Meo MSS. tum Edd. ut puto omnibus inveniatur, *medie*; idque optimum habeat sensum, emendatione supersederi potuit. Tria enim fautorum genera recensentur, veri qui voluntate; falsi qui verbis & gestibus effusius, ne detegerentur, favebant; & proprii commodi sectatores, qui mediam inter priores viam ingrediebantur & numero vincebant. In meo autem MS. *medie at plurimi* &c. quod adhuc melius. Nec suspecta esse debuit vocis rarius occurrentis Latinitas, cujus exempla apud Firmicum.

sine publica cura] Amicus malebat: *sine publici cura.* MSS. non mutant.

H. 1, 19, 2. *dictum a Pisone in publico*] MS. meus: *in publicum.*

H. 1, 19, 5.

H. 1, 19, 5. *ambitu remanendi aut eundi*] MS. meus: *ambitu retinendi.* unde Nicolaus Heinsius faciebat: *renitendi.*

H. 1, 20, 2. *Bis & vicies millies sestertium*] Ita reposuit Freinshemius a Lipsio aliisque monitus, ex linguæ usu. MSS. & Edd. *bis & vicies mille s.*

H. 1, 20, 5. *Antonius Taurus & Antonius Naso*] Amicus suspicabatur: *Autronius Naso.* In Farn. *Aurelius Naso.*

H. 1, 21, 4. *Pisonis nondum coaluisset*] Scilicet eum auctoritate Galbæ. Ita MSS. Acidalius perperam, *convaluisset.*

H. 1, 22, 1. *adulteria, matrimonia, ceterasque regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes*] Suspecta vox *matrimonia*, quam tamen agnoscunt Flor. & Meus MSS. Forte fuit: *adulteria matronarum.* Suetonius Ner. cap. 27. *Quoties Ostium Tiberi deflueret, aut Bajanum sinum prænavigaret, dispositæ per litora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ & matronarum institorio copas imitantium atque hinc inde hortantium ut appelleret.*

H. 1, 22, 3. *e quibus Ptolemæus Othoni in Hispania comes*] Suetonius Oth. cap. 4. hæc tribuit *Seleuco.*

H. 1, 22, 4. *tamquam peritia & monitu fatorum p. a.*] Sic *peritia futurorum* apud Suetonium Tib. cap. 67.

H. 1, 23, 3. *cum Campaniæ lacus & Achaiæ urbes classibus adire soliti Pirenæum & Alpes, & immensa viarum spatia, ægre sub armis eniterentur*] Savilius hic Tacitum carpit quod legionariis Galbæ tribuat, quod Prætorianis Neronis proprie competebat. Forte pars prætorianorum, Galbæ obviam missa, respicitur: quod narraverat Auctor in actis anni 821, quæ periere.

H. 1, 24, 1. *Flagrantibus jam militum animis*] Ita MSS. Flor. & Meus. unde non audiendus Iuretus, qui ex eo, quod in Bud. non sit *animis*, legit: *flagratibus jam militum.*

H. 1, 25, 3. *metu mutandæ militiæ exterrebantur*] MS. meus: *militiæ terrebantur.* & sic Edd. ante Pichenam. Flor. *militiæ trebantur.* sed superscriptum manu recenti: *exterrebantur.*

H. I, 26, 2. *postero Iduum die*] Ita MS. meus clare & Edd. Flor. *postero Iduum dierum.*

H. I, 27, 3. *per Tiberianam domum*] Hanc præteriit Suetonius in recensione operum a Tiberio exstructorum Tib. cap. 47.

ad Miliarium aureum] Savilius ad hunc locum secutus antiquarios quosdam scribit, *milliarium aureum* appellatum, quod inde esset milliaribus initium. Minus recte. Præterquam enim quod huic sententiæ ipse loquendi modus adversetur, qui milliarium distantiam non ab Urbis meditullio, sed Urbe, hoc est portis aut mœniis quibus Urbs terminatur numeratam fuisse indicat, extra dubitationem hoc posuit Holstenio teste Lapis primus in via Appia extra portam Sebastiani ante complures annos inter antiquitatum ruinas detectus, & a Senatu populoque Romano ad Urbis ornamentum in Capitolium translatus, ubi ad gradus laterales cum publico testimonio erectus visitur. Iureconsulti vero nec ab Urbis mœniis, nec miliario aureo, sed continentibus ædificiis, id est suburbiis, mille passus numerabant, l. 154. D. de V. S.

H. I, 28, 1. *Iulius Martialis tribunus*] An cujus meminit Martialis lib. VII. ep. 16.

H. I, 29, 3. *pro gradibus domus*] Horum meminit Suetonius Ner. cap. 8. *pro palatii gradibus Imperator consalutatus.* Vitell. cap. 15. *statimque pro gradibus palatii apud frequentes milites cedere se Imperio, quod invitus recepisset, professus.* Dio lib. LXVIII. Πλωτίνα δὲ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, ὅτε πρῶτον ἐς τὸ παλάτιον ἐσῄει, ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς καὶ πρὸς τὸ πλῆθος μεταστραφεῖσα εἶπε, Τοιαύτη μέντοι ἐνταῦθα εἰσέρχομαι, οἵα καὶ ἐξελθεῖν βούλομαι. *Hujus uxor Plotina, quam primum ingrederetur in Palatium essetque adhuc in gradibus conversa ad multitudinem; Talis*, inquit, *huc ingredior, qualem me exire cupio.*

vocatos] MS. meus: *evocatos.*

H I, 29, 4. *quo domus nostræ aut Reipub. fato, in vestra manu positum est*] Flor. & Meus: *fatum.* Sed *fato* defenditur auctoritate Edd. Rivii & uti reor anteriorum: & magis placet. Apparet autem ex hac Pisonis confessione Galbam & Pisonem egisse imprudentissime, quod cum intelligerent salutem

suam

suam in manu Neronianorum militum positam, horum favorem liberalitate donativi sibi non conciliaverint. Nisi verba hæc Pisoni a Tacito præter rem tributa velimus.

H. 1, 29, 5. *ut qui adversas res expertus cum maxime ducam ne secundas quidem minus discriminis habere*] Hactenus hic edebatur: *ut qui adversa expertus cum maxime ducam ne secunda q.* sed cum in Flor. *ut qui adversas res expertus cum maxime dicam ne secundas q.* in Meo: *ut qui adversum rēp. expertus cum maxīe dicam ne secundas q.* emendavi ex Flor. *adversas res.* & , *secundas.* Pro *dicam* autem quod in eodem & Meo tum Ed. Ven. quin cum Freinshemio legendum *discam*, vix dubitandum.

H. 1, 30, 2. *quibus luxuria specie liberalitatis imponit*] Ita Rhenanus: & recte. Tamen Flor. & Meus ut Bud. *speciem.*

Perdere iste sciet, donare nesciet] MS. meus: *ista sciet donare nescius.*

H. 1,30,3. *Stupra nunc & comissationes* &c.] Notat Bocalinus orationis hujus formam aptam fuisse ad movendum cœtum hominum virtute præditorum; minime vero militum, *quos Neronis memoria ac desiderium prioris licentiæ accenderet.* H. 1,25,3. *atque ita quatuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes venerabantur.* H. 1, 5, 4. Ad hos enim commovendos potius donativorum, prædarum, rapinarum promissionibus opus. Nec mirandum minus apte dixisse, qui callidior in faciendo non fuerit. Nisi potius dolendum ad Principatum, nisi per malas artes retinendum, vocatum virum innocentissimum. Ita malo, quam Tacitum tamquam Pisoni minus congruentia tribuerit premere.

H. 1, 30, 4. *Si Respub. & Senatus, & populus, vacua nomina sunt*] Id est inania, otiosa, appellatio modo sine corpore & specie, ut Cæsar Dictator loquebatur. Ita Flor. Meus & Bud. MSS. quod prætuli scripturæ Editionum: *vana nomina sunt.*

H. 1, 30, 6. *Transcendet hæc licentia in provincias*] Neque hæc etiam satis apte dicuntur juxta Bocalinum: quoniam ipse Galba, a quo adoptatus Piso, ab

ab exercitu in Hispania, & Gallis sub Vindice ad Imperium evectus.

H. I, 31, 1. *ut turbidis rebus evenit, forte magis & nonnullo adhuc consilio, parat signa quod postea*] Ita edidit Pichena, cum ante: *evenit, timore magis* &c. Flor. autem: *evencior te magis, & nonnullo adhuc consilio par signas quod postea.* Meus: *evectior* (suprascriptum *erectior*) *re magis & nonnullo adhuc consilio parat signa quod postea.* Freinshemiana lectio simplicior & verisimilior quam Pichenæ: *evenit, more magis, & nullo adhuc consilio parat signa, quam ut postea creditum, insidiis & simulatione.* etsi latere adhuc aliud clament lectiones MSS. corruptæ.

H. I, 31, 2. *Vipsanii in porticu*] Flor. *Vipsania in porticu.* quod rectius. alias enim *Agrippæ* dixisset. Intelligitur autem *porticus Neptuni* seu *Argonautarum*, ab *Agrippa* in IX Regione exstructa: ut Alexander Donatus & Famianus Nardinus probant.

e Libertatis atrio] Quod erat in Aventino simul cum templo & bibliotheca ab Asinio Pollione primo inter Romanos ex manubiis publicata. Plinius lib. VII. cap. 30 & XXXV, 2.

accerserent] *Arcesserent.* Vide H. I, 14, 2.

H. I, 31, 3. *Legioni classicæ diffidebat*] Savilius alicubi miratur unde tot *classici* emerserint, cum septem eorum millia ad pontem Milvium a Galba cæsa, ceteri decimati, e reliquis hæc legio, quæ *prima adjutrix*, constiterit. Sed cum hi a Nerone paullo ante exitum ad militiam promoti fuerint, unde *inermes milites* appellantur H. I, 6, 3. verisimile initio Galbæ nondum centuriatos mixtis auxiliis egisse. Sic vel duodecim millia efficere potuere. Vegetius lib. III. cap. 1. *In levioribus bellis unam legionem, mixtis auxiliis, hoc est decem millia peditum & duo millia equitum, crediderunt posse sufficere.* Aquila & signis adhuc destitutos Suetonius prodit Galb. cap. 12.

H. I, 31, 6. *Illyrici exercitus electi Celsum infestis pilis proturbant*] MS. meus & Bud. *ingestis pilis.* quod placet præ vulgata.

H. I, 32, 4. *eundi ultro si ratio sit, eamdem mox facultatem: regressus si pœniteat, in aliena potestate*] Id est si consultum sit sponte se offerre seditiosis

idem

idem nihilominus paullo post Imperatorem facere posse: si semel se obtulerit non posse regredi nisi illi patiantur. In hunc lapidem multi impegerunt.

H. 1, 33, 3. *Non exspectandum*] Freinshemius malebat: *An exspectandum.* sed MSS. nil mutant.

H. 1, 34, 1. *speciosiora suadentibus accessit*] Suetonius his adversatur Galb. cap. 19. *Haud multo post cognoscit teneri castra ab Othone: ac plerisque ut eodem quam primum pergeret suadentibus (posse enim auctoritate & præsentia prævalere) nihil amplius quam continere se statuit: & legionariorum firmare præsidiis, qui multifariam diversique tendebant.*

H. 1, 34, 2. *Præmissus tamen in castra Piso*] Bocalinus non adsequitur, quomodo Piso ad Prætorianos etiam missus, quod *infensus T. Vinio*, quoniam is nusquam Prætorianis invisus dicitur: immo contra, quoniam pro Othonis adoptione apud Galbam nixus erat, apud hos gratia floruisse, verisimile putat. Sed respicitur ad universale odium, quo cum conflictabatur *deterrimus mortalium* H. 1, 6, 1. Unde ab ipso Othone traducitur H. 1, 37, 7.

H. 1, 35, 1. *plebs in plausus & immodica studia* &c. *ruere intus, ac se Galbæ ostentare*] Puto mutata distinctione medendum huic loco: *refractis palatii foribus ruere, intus ac se Galbæ ostentare. Ruere* enim *intus* aures Latinæ respuunt: & si ferrent, unde pendeant, *in plausus & immodica studia*, non suppetit. Nisi quis τὸ *intus* induci malit.

præreptam sibi ultionem querentes. Ignavissimus quisque &c.] Nicolaus Heinsius distinguebat: *præreptam sibi ultionem querentes ignavissimus quisque.*

H. 1, 35, 2. *sumpto thorace Galba*] Suetonius Galb. cap. 19. *loricam linteam* vocat.

irruenti turbæ neque ætate neque corpore sistens] MS. meus: *corpore insistens.* Sed in Flor. & Meo: *neque ætate*: quod Rhenanus a Bud. abesse scribit. Nicolaus Heinsius: *neque ætate neque ore par sistendæ.*

H. 1, 35, 3. *Commilito, inquit, quis jussit? insigni animo ad coërcendam militarem licentiam*] Hæc verba Galbæ prima fronte magnanimitatem quamdam & constantiam præferunt: sed intentius considerant intempestiva apparent & stolida. Unde fere accedo Bocalino horum laudationem in Tacito non tole-

toleranti. Si enim sacramenti ratio a quovis milite postulat, ut qui eripere Imperium & vitam velit, cui sacramentum est dictum, impune non modo occidatur, sed occidi etiam debeat, quid opus ad hoc alterius jussu? Sic paullo ante Nymphidius cum satellitibus injussu Galbæ interfectus: & hinc Piso ad cohortem H. 1, 30, 6. *quiescendo commune crimen facitis.* Neque hoc ignorasse nefarium hunc ex responso ejus patet, apud Plutarchum: Ὁ δὲ βλέψας πρὸς αὐτὸν, Τίς σε (εἶπεν) ἐκέλευσε; τοῦ δὲ ἀνθρώπου τὴν πίστιν εἰπόντος, καὶ τὸν ὅρκον, ὃν ὤμοσε, καὶ τοῦ πλήθους ἀποβοῶντος, ὡς εὖ, καὶ κροτοῦντος, ἐμβὰς εἰς τὸ φορεῖον ἐκομίζετο. *Quem Galba intuitus: Quis tibi, inquit, jussit? Qui cum respondisset, Fides & sacramentum, quo adactus esset: & plebs acclamaret, Recte sane, plausumque daret, Galba in lectica delatus est.*

H. 1, 36, 3. *prehensare manibus*] Flor. & Meus: *pressare manibus.* an *prensare*, innuunt? Sic infra h. 1. 66, 1. pro *prehensando.* Flor. *prensando.* Meus: *pressando.* Sed vulgata æque bona. Livius lib. I. cap. 47. *His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, circumire & prehensare minorum maxime gentium Patres.*

complecti armis] Ita Flor. & Meus Codd. scripti. quorum lectio si vera, *armis* ab *armus* deducendum. id est collo & humeris bracchia circumponere. ut apud Virgilium: *latos huic hasta per armos Acta tremit.*

H. 1, 36, 5. *classiariorum legio*] Flor. & Meus: *classicorum legio.* Vulgata tamen alibi frequens.

H. 1, 37, 2. *Et cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit*] Ita reposui ex Flor. & Meo, pro *levitatis.* quoniam istud mordacius, quippe ironice prolatum. Meus etiam *permisit* habet pro *promisit.* minus probe: hoc enim *postulentur* respicit.

militum trucidaverit] Ita Flor. Meus: *trucidaverit militum.* Vulgati ante Pichenam: *civium t.*

H. 1, 37, 4. *Cornelii Marcelli in Hispania*] Hic inter Procuratores a Galba in Hispania cæsos. Suetonius Galb. cap. 9. & 12. mentio hujus 16, 8, 3.

Vettii Chilonis] Ambo Codd. scripti: *Betui Chilonis.* Vulgata a Rhenano primum excogitata, Lipsio iisque probata, Freinshemio tandem in con-

textum recepta est, in quo ante, *Beruichilonis*. Sed nemo ex omnibus hisce docet, quis *Vettius Chilo* fuerit Unde æque incertos relinquit hæc emendatio. Nec forte rejiciendum, *Betui Chilonis*, duorum MSS. cum *Betua & Battua*, antiquitus Batavorum insula, unde forte *Chiloni* huic origo & nòmen.

H. 1, 37, 6. *quam quod Polycleti, & Vatinii, & Elii, paraverunt*] Flor. *Polycliti & Vatinii & agi alii perierunt.* Meus: *Polycliti & Vatinii & Egii & alii qui perierunt.* Edd. pleræque ante Pichenam: *quam quod Polycleti & Vatini & Egii & alii paraverunt.* Hic conjecturam Lipsii repræsentavit. Sed vix verisimile vocabula, *& alii*, vel, *& alii qui*, ex prava repetitione præcedentium nata in omnibus libris. Unde aliud quid sub his latere existimo. Forte: *quam quod Polycleti, & Vatinii, & Helii, & Haloti, paraverunt.* De *Helio* vide ad 13, 1, 3. *Haloti* mentio 11, 66, 3. De hujus potentia colligere possumus ex Suetonio Galb. cap. 15. *Quin etiam populo Romano deposcente supplicium Haloti & Tigellini solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes præstitit, atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit.*

H. 1, 38, 1. *accersit ab exsilio*] *Arcessit.* vide H. 1, 14, 2.

etiam deos infaustam adoptionem adversantes] Ita Flor. in meo tamen MS. *aversantes.* nec discerno quid melius.

H. 1, 38, 4. *Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod*] Flor. & Meus: *cunctationis.*

H. 1, 38, 5. *Aperiri deinde armamentarium jussit*] MS. meus uti Edd. ante Pichenam: *aperire.*

H. 1, 39, 2. *utque evenit in consiliis infelicibus, optima v.*] MS. meus: *utque evenire in consiliis infelicibus solet, optima v.*

H. 1, 40, 1. *lugubri prospectu*] MS. meus: *lugubri aspectu.* Flor. *arospectu.*

H. 1, 40, 2. *Ire præcipites & occupare pericula jubet*] Savilius putat perperam omissum locum, unde jussus hic profectus, nimirum *castra*, ex Suetonio Oth. cap. 6. Sed ex toto narrationis filo, nihil evidentius, quam Othonem dum interficerentur Galba & Piso, *castris* se continuisse. *Raptum*

enim

enim *in castra* scribit H. 1, 28 & 29. Galba & Pisone cæsis *ruisse cunctos in castra* ad gratulandum ei imperium H. 1, 45, 1. *Exacto per scelera die per stragem jacentium in Capitolium*, scilicet ex castris, *atque inde in Palatium vectum* H. 1, 47, 2. quid clarius?

H. 1, 40, 3. *proculcato Senatu*] MS. meus: *conculcato*.

H. 1, 41, 1. *Vexillarius comitantis Galbam cohortis*] Id est signifer. sic H. 3, 17, 2. Pro *comitantis* autem quod a Rhenano est, malim: *comitatæ*. Florentinus enim: *comitate Galbam c.* Meus: *comitatus Galbam c.* uti & Edd. ante Rhenanum.

Atilium Vergilionem] MS. meus: *Accillum Vergilionem* Apud Plutarchum Galba: Ἀτίλλιος δὲ Σεργιλλίων εἰκόνα Γάλβα περισπάσας ἐς τὴν γῆν ἔκρουσε.

H. 1, 41, 2. *destricta adversus dubitantes tela*] Ita scripsi pro *districta*. vide ad 1, 32, 2.

juxta Curtium lacum] Flor. & Meus: *Curtii*. & sic H. 2, 55, 2. Nil tamen mutavi, quoniam Dionysio lib. II. Κούρτιος λάκκος.

H. 1, 41, 3. *Si ita e Repub. videretur*] Flor. *si ita Rep. videretur*. Meus: *si ita reip. videretur*. apparet voluisse: *si id e Repub. videretur*.

H. 1, 41, 5. *nam pectus tegebatur*] MS. meus: *nam pectus thorax tegebat*. supra H. 1, 35, 2. *sumpto thorace*.

H. 1, 42, 2. *confessus est*] In MS. meo deest verbum substantivum.

H. 1, 42, 3. *primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro legionario milite in utrumque latus transverberatus*] Nicolaus Heinsius inducendam censebat utrobique præpositionem *in*. quod Latinius.

H. 1, 43, 3. *non religione, nec cærimoniis*] MS. meus: *non cerimoniis*.

H. 1, 44, 2. *vacare gaudio cœperat*] Lipsius, *vagare*, ex Vatic. dedit, atque ita etiam Flor. habet. Sed Edd. anteriores & MS. meus, *vacare*, ut Freinshemius reposuit. Id est omni eventus dubii suspicione deposita secure se gaudere posse credebat.

H. 1, 44, 4. *Plures quam centum & viginti libellos præmia exposcentium*] Ita MS. meus expansa scriptura. Edd. hactenus: *Plures quam* CXX. Mox ambo MSS. *præmium exposcentium*.

tradito Principibus more, munimentum ad præsens in posterum ultionem] Ita habent ambo MSS. & sensus est optimus: quem Salinerius, Gruterus, Freinshemius, Gronovius, recte omnes contra Lipsium & alios correctores adstruunt.

H. 1, 45, 1. *Alium crederes Senatum, alium populum*] Id est ita erant brevi momento mutati, ut eosdem non putares. Non taxat Auctor hanc Senatus ac populi ut Bocalinus putat adulationem, sed modum, quem tenuere, reprehendit. Alibi enim docet, stolide offendi per abrupta dominantes. Vide A. 42, 7.

H. 1,46,1. *Licinius Proculus*] Hunc Ioannes Bertrandus putat Iurisconsultum, quem Pomponius Nervæ successisse scribit, unde dicti *Proculejani*. Sed hanc sententiam refellit l. 47. D. de Leg. II. cujus inscriptio: *Proculus lib. VI. Epistolarum.* initium: *Sempronius Proculus Nepoti suo salutem.*

H. 1, 46, 4. *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus*] Palmaria hæc Pichenæ emendatio contextui a Freinshemio inserta, in quo ante: * *Pars manipulis, pars per commeatus*: nititur magnam partem duobus MSS. Flor. & Meo, in quibus: *Quarta pars manipulis pars per commeatus.*

H. 1, 46, 5. *secordia insuper elanguerat*] Tò *insuper* a MS. meo abest.

ad seditionem & discordias] MSS. Flor. & Meus: *ad seditiones.*

H. 1, 46, 6. *ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum promisit*] Iidem MSS. *& fiscum suum* &c.

H. 1, 47, 1. *Vocat Senatum Prætor urbanus*] Quoniam ambo Coss. interfecti. Cicero lib. X. ad Fam. ep. 12. *Placuit nobis ut statim ad Cornutum Prætorem Urb. litteras deferremus; qui quod Consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum. Senatus est continuo convocatus.*

H. 1, 47, 2. *& omnes Principum honores*] H. 2, 55, 3. *In Senatu cuncta longis aliorum Principatibus composita statim decernuntur.* de Vitellio. H. 4, 3, 5. *Senatus cuncta Principibus solita Vespasiano decernit, lætus & spei certus.*

H. 1, 47, 3. *per strages jacentium*] MS. meus: *per stragem jacentium.* quomodo Muretus notavit.

Pi-

Pisonem Verania uxor] An filia *Q. Veranii*, qui Cos. cum C. Pompejo a. 802. 12, 5, 1.

frater Scribonianus] Licinius Scribonianus Crassus. H. 4, 39, 5. sic dictus, quod natus matre Scribonia. H. 1, 14, 4.

H. 1, 48, 2. *Magnum Claudius*] *Cn. Pompejum Magnum Crassum*: Suetonius Claud. cap. 28. Seneca in Apocol. Hunc Rupertus suspicatur *Cn. Pompejum Ferocem Licinianum* appellatum sub Caligula, cum *Magni* cognomento uti, teste Seneca, prohiberetur, cujus meminit Inscriptio vetus apud Gruterum. Quod si verum a *Pompejo* quodam adoptatum *Liciniani* cognomentum arguit; qui forte *C. Pompejus*, qui Cos. cum Q. Veranio.

Crassum Nero interfecerant] *M. Licinium Crassum*, qui Cos. a. 817. qui filius *M. Licinii Crassi Frugi*, qui Cos. a. 780. & a Claudio est cæsus. Sic conciliantur Tacitus & Seneca: quos inter pugna, judice Lipsio.

H. 1, 48, 3. *T. Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit*] Vulgati hactenus, XLVII: sed Flor. & Meus unanimes, *quinquaginta septem*, expansa scriptura. quomodo reposui; quoniam ætas hæc melius convenit viduæ filiæ, H. 1, 13, 3. in primis militiæ sub Cajo: a cujus primordio ad hoc tempus, seu anno 789 ad 822 elapsi anni XXXIII. Consequeretur enim juxta priorem lectionem *T. Vinium* principio Caji quatuordecim duntaxat annos natum. Quod absurdum.

H. 1, 48, 4. *cum vigilias & cetera militiæ munia eadem lascivia temerasset*] Ita Freinshemius edidit de conjectura Rhenani. Flor. & Bud. *temperasset*. Meus: *inspectasset*.

H. 1, 49, 1. *e prioribus servis*] Faërnus ex V. C. si Ursino fides, legit: *e primoribus servis*, ut 4, 10, 2. *Lygdus ætate & forma carus domino, interque primores ministros*. & sic pariter voluit Savilius. Nihilominus Flor. & Meus vulgatam tuentur, quam Gruterus recte de iis explicat, quos ante Principatum Galba habuerat.

H. 1, 49, 3. *tribus & septuaginta annis*] Ita Flor. & Meus. Suetonius Galb. cap. 23. *Periit tertio & septuagesimo ætatis anno Imperii mense septimo*. At

Dio lib. LXIV. Ἔζησε δὲ Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ἀφ' ὧν ἦρξε μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς. *Vixit Galba annos septuaginta duos: imperavit menses novem, dies tredecim.* Immo ipse Suetonius a se dissentit, quando cap. 4. *Serv. Galba Imperator M. Valerio Messalla, Cn. Lentulo Coss. natus est, IX Kalend. Ianuarii.* Nam a XXIV Decembris, a. 751, quo natus; ad XV Ianuarii, a. 822, quo interfectus, elapsi duntaxat anni septuaginta, cum diebus viginti tribus. Pugna hæc animadversa Savilio.

H. 1, 49, 4. *Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus*] MS. meus: *alieni non appetens, sui parcus, publice avarus.* quod si verum, pro *publice* reformandum, *publici.* ut notavit Nicolaus Heinsius: videturque a Sallustio sumptum Catil. cap. 5. *alieni appetens, sui profusus.* Rursus Tacitum imitatus videtur Sidonius, ut notavit Pichena, lib. III. ep. 5. *vir alieni non appetens, sui parcus.*

H. 1, 49, 5. *& metus temporum obtentui*] Ita Flor. & Meus: ne quis putet, ut Lipsius innuit, ab Rhenani ingenio profectum τὸ *obtentui*; pro quo is malebat *obtinuit*, quod libri ante Rhenanum præferunt.

H. 1, 50, 4. *solum id scires, deteriorem fore qui vicisset*] H. 1, 57, 2. *Scires illum priore biduo non penes Rempub. fuisse.*

H. 1, 51, 1. *præmia quam stipendia malebat*] Id est prædas. 1, 16, 1. *& ex civili bello spem præmiorum ostendebat.* Propertius lib. II. & IV.

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia verset anus.

Hinc *præmiari* apud Suetonium Tit. cap. 7. *præmiatores* apud Nonium. Sed jam asserta hæc vocabuli notio contra Boxhornium & alios I. F. Gronovio ad Livii Epit. lib. LXXXIX.

H. 1, 51, 2. *ad usum & ad decus*] Ita Flor. non ut Bud. *ad dedecus.* quod ex prava repetitione prioris syllabæ, in versus fine natum, uti ostendit Meus in quo: *ad usus & ad de-decus.* Unde recte Lipsio simul cum Rhenani conjectura improbata hæc lectio.

H. 1, 51, 5. *super avaritiam & arrogantiam præcipua validiorum vitia contumacia Gallorum irritati*]

Ita

Ita edidit Pichena ex MS. Flor. in quo: *ſ͞ avaritiam.* Freinshemius retinet cum Editis: *ſecundum avaritiam.* exiſtimans notam Florentini Codicis æque *ſecundum* valere poſſe, quam *ſuper.* Sed iſtud negant, qui Codicem hunc ipſi verſavere. Vide ad 11, 38, 4. In meo tamen MS. *ſecundum avaritiam.* & ad ſenſum res eodem redit, ſive *ſuper avaritiam* dicas, id eſt præter; ſive *ſecundum*, id eſt poſt.

& publice donatos in ignominiam exercitus] Urſinus ſcribit Faërnum ex V. C. reſtituiſſe: *& publice civitate Romana donatos.* Sed neſcio quantum huic aſſeverationi tribuendum, cum MSS. alii nihil mutent. Unde ab ingenio potius quam Manuſcripto profectam hanc lectionem ſuſpicio eſt. Quare *publice donatos* cum Lipſio intelligo agris, quos Galba Treviris Lingonibus aliiſque eripuerat. H. 1, 53, 4. Dictum autem ut 4, 36, 2. *Objecta publice Cyzicenis incuria cærimoniarum divi Augusti.* & Suetonii Jul. cap. 83. *Populo hortos circa Tiberim publice & viritim trecenos ſeſtertios legavit.*

H. 1, 52, 2. *allevatæ notæ*] Suetonius Vitell. cap. 8. *Caſtra vero ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negavit: atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia dempſit.* De his Lipſius lib. V. de M. R. cap. 18.

H. 1, 52, 3. *Et Vitellius apud ſeveros humilis. Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant*] Grotius pro *ita* legit *id.* Deſiderius Beroaldus, *at.* vel, *iſta.* Sed MS. meus: *Et Vitellius ut apud ſeveros humilis: ita comitatem* &c. quod ſenſum explet. Etſi τὸ *ut* a ſecunda manu additum.

Simul aviditate impetrandi, ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur] Hactenus hic vulgatum: *aviditate imperandi.* quod parum conveniens. Neque enim hic de Vitellio ſermo, ſed laudatoribus ejus & encomiaſtis, qui dum quodvis quocunque modo ab eo *impetrare* conantur, etiam quæ ille vitio & perperam faciebat, pro honeſte factis interpretabantur. Hinc I. F. Gronovius, cum nobis adoleſcentibus explicaret, Tacitum de ingenio legebat, *impetrandi*, pro *imperandi*: quod in Notis ejus, quæ deinceps publicatæ, omiſſum miror. Cum ve-

ro hæc lectio totidem literis in MS. meo exstet, exhibere non dubitavi.

H. 1, 52, 4. *Alienus Cæcina*] Ita Flor. & Meus. Ursinus putabat legendum, *A. Cæcina.* tamquam *Cæcina* gentilitium esset non cognomentum: ad quod probandum *A. Cæcina Largus*, 1, 31, 2. *P. Cæcina Largus*, 11, 33, 3. *Cæcina Tuscus*, 13, 20, 3. adducuntur. Sed aliud suadet *Licinius Cæcina* H. 2, 53, 1. immo vulgatam extra controversiam ponunt Xiphilini & Theodosii e Dione Excerpta, in quibus Ἀλιηνὸς seu Ἀλλιηνὸς aliquoties hic ipse *Cæcina*. Nota præterea gens *Alliena* partim ex nummis partim ex Lapidibus. Videtur autem dictus *A. Allienus Cæcina.* Suetonius Tit. cap. 6. *In his A. Cæcinam consularem virum, vocavit ad cœnam, ac vix dum triclinio egressum, confodi jussit: sane urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset.* Nisi pro *A. Cæcinam* Suetonius scripserit *Allienum Cæcinam.* Hic enim omnino intelligitur, quippe qui Consul cum Valente a. 822. H. 2, 71, 3. & ne supersit scrupulus, de quo, gentilitio expresso, eadem Dio lib. LXVI. Κἀν τούτῳ ἐπεβουλεύθη μὲν ὑπό τε τοῦ Ἀλιηνοῦ καὶ ὑπὸ τοῦ Μαρκέλλου, καίπερ φίλους τε αὐτοὺς ἐν τοῖς μάλιστα νομίζων, καὶ πάσῃ εἰς αὐτοὺς ἀφθονωτάτῃ τιμῇ χρώμενος. οὐ μὴν καὶ ὑπ' ἐκείνων ἀπέθανε. Φωραθέντες γὰρ, Ἀλιηνὸς μὲν αὐτοῦ ἐν τῷ βασιλείῳ ἐξαναστὰς ἐκ τοῦ συσσιτίου, εὐθὺς ἀπεσφάγη, τοῦ Τίτου κελεύσαντος, μὴ καὶ φθάσῃ τι τῆς νυκτὸς νεοχμῶσαι· τῶν γὰρ στρατιωτῶν συχνοὺς προπαρεσκεύαστο. *Dum hæc gererentur Alienus & Marcellus contra Vespasianum conjurant, quos ipse sibi amicissimos esse arbitrabatur, & omni genere honorum abunde prosecutus erat: neque tamen ab iis interficitur: idque propterea quod patefacta conjuratione Alienus in palatio, statim ut surrexit e convivio, jussu Titi occisus est, ne quid noctu prior moliretur. Jam enim magnum numerum militum comparaverat.* Unde castigandi Onuphrius & Pighius, apud quos *A. Licinius Cæcina* Cos. ex Kal. Septemb. dicto anno: confundentes sic *Alienum Cæcinam*, cum *Licinio Cæcina*, de quo H. 2, 53, 1. Quod si ab *Alia* flumine, ut Asconius Pedianus innuit, factum τὸ *Alienus* non male unico *l* id scribi

bi videtur. Sed Lapides & nummi habent duplex.

H. 1, 52, 6. *collegium Cæsaris*] Consortium Consulatus duplicis & Censuræ cum Claudio. Suetonius Vitell. cap. 2.

H. 1, 52, 7. *Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis, quam speraret*] Ita MS. meus, tum Rhenani Editio. Reliquæ: *quam ut speraret.*

H. 1, 54, 3. *ac nisi ipsi consulerent*] Ita Flor. & Meus: item Edd. ante Rhenanum; qui dedit: *ac ni sibi consulerent.* quod insequentibus retentum. Sed nulla mutandi necessitas. *Consulere* enim absque tertio casu, pro providere passim obvium.

H. 1, 54, 4. *mox eadem acrius volens*] Flor. & Meus: *volvens.* quod Taciti verbum, 3, 38, 2. *bellum adversus nos volverat.* H. 1, 54, 1. *Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus, bellum volvebat.*

H. 1, 55, 3. *quarta ac duodevicesima legiones*] Ita MS. meus, sed a manu secunda: a prima enim habuit: *quartam & duodecimam.* Sed paullo post, ni fallor a prima: *duodevicesima cunctanter.* H. 1, 56, 2. absque ulla litura: *duodevicesimæ legionis:* & eodem capite rursum. Patet autem ex hoc loco, tum ex iis, quæ Pichena hic notat, supra H. 1, 18, 4. corrupte hactenus lectum: *quartam & duoetvicesimam legiones.*

dirumpunt imagines Galbæ] Acidalius & Freinshemius malebant, *deripiunt*, scilicet de hastilibus, ut H. 1, 41, 1. *dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.* Sed Flor. & Meus nihil mutant: & *dirumpunt*, valet scindunt, frangunt in partes. Dolabris enim instructus miles quamcumque materiem *dirumpere* valebat. Florus lib. IV. cap. 10. *Sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, quum argentum ejus passim dolabris concideretur*, &c. *perfugit in Syriam.*

H. 1, 55, 5. *aut suggestu locutus*] Posset videri: *e suggestu.* vel, *pro suggestu.* Ita enim fere loquebantur. Sed MSS. nil mutant.

H. 1, 56, 1. *sed segnis, pavidus & socordia innocens*] Ita Flor. & Meus concorditer: nisi quod hic, *secordia*, pro *socordia*, ut fere semper. Quomodo autem Hordeonius Flaccus *socordia innocens* non videtur adsecutus Boxhornius, dum lucem quærit corrigen-

rigendo: *inter nocentes.* Duo enim genera injustitiæ sunt, unum eorum qui inferunt (Ciceronis verba sunt lib. I. de Off. cap. 7.) alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Qui vero *socordia*, sive naturali aliquo defectu impeditur, quo minus cavere possit, ne ab aliis damnum detur, inter illos referendus, qui propulsare non possunt, & propterea *socordia innocens.* Vide Grotium lib. II. de Jure Belli & Pacis cap. 17. n. 10.

H. 1, 57, 1. *die postero*] Flor. & Meus: *die proximo.* Sed margo Flor. al. *postero.*

Coloniam Agrippinensem &c. *ingressus*] Pichena ait se præpositionem *in* ante *Coloniam A.* reposuisse ex Florentino. Sed nec in illo, puto Longobardico, juxta collationem, nec in Meo, hæc comparet. Pro *ingressus* autem in Flor. *gressus.* Meo, *egressus*, exaratum. Forte scripsit, *prægressus.* ut putabat amicus.

H. 1, 57, 3. *ut quisque corpore, opibus, ingenio validus*] Lipsius eumque secutus Acidalius putant vocem *ingenio* hic non habere locum. Sed MSS. habent: & Pichena ad senes, invalidos & tenuiores refert, qui cum neque corporibus neque opibus juvare Romanos possent, juvabant saltem *ingenio*, scilicet ceteros populares ambitu, concionibus & consiliis accendendo. Bocalinus ad judicium aut affectum militum refert.

H. 1, 57, 4. *quibus præsentia ex affluenti, & parta victoria magnæ spes*] MS. meus: *quibus præsentes ex affluenti.* Sed Flor. non mutat.

H. 1, 58, 4. *stratis jam militum odiis*] Freinshemius hic de conjectura subjecerat *satiatis*, pro *stratis*, quod a I. F. Gronovio reductum, exemplisque adstructum lib. III. Observ. cap. 22. tueturque id MS. meus. Florentinus extrita canina: *statis.*

H. 1, 59, 1. *Julius deinde Civilis periculo exemptus*] H. 4, 13, 1. dicitur *Claudius Civilis.* unde alterutro loco peccatum ab Auctore vel librariis Savilius pronuntiat. Sed cum MSS. in hoc loco sint unanimes, & Civilis frater *Julius Paullus*, sororis filius *Julius Briganticus* dicti, de errore amplius cogitandum est. Forte *Claudius Julius Civilis* dictus.

H. 1, 59, 4.

H. 1, 59, 4. *Valerius Asiaticus*] Forte filius *Valerii Asiatici*, qui a Messallina ad mortem actus. 11, 3, 2.

Junius Blaesus] Filius *Iunii Blaesi*, Pannonico exercitui praesidentis principio Tiberii, ac tum tribunus. 1, 19, 4.

H. 1, 60, 1. *Trebellius Maximus*] De hoc dictum ad 14, 46, 2.

H. 1, 60, 2. *Roscius Caelius*] Ita Flor. & Meus.

atrocius proruperant] Flor. a manu prima *prorumperat*. cui dein *n* superscriptum. Meus: *prorupperant*. De ambobus sermonem esse patet ex sequentibus.

H. 1, 60, 3. *ad Vitellium perfugerit*] MS. meus: *profugerit*.

H. 1, 61, 1. *Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibusque Vitellius*] Savilius hic quaerit, si verum quod *Trebellius desertus ad Vitellium profugerit*: tum quod Suetonius Paullinus H. 2, 32, 2. *Britannicum militem hoste & mari distineri*. & Tacitus ipse H. 1, 9, 2. *In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus, innocentius egerunt.* quomodo vero conveniant, quae hic referuntur, *adjuncto Britannico exercitu*. & H. 2, 57, 2. *Ipse e Britannico delectu, octo millia sibi adjunxit*. Sed nullam inter haec pugnam, & *Britannicum exercitum* partes Vitellii secutum, clarissime patet ex eo, quod Vitellius in Trebellii Maximi locum paullo post miserit Vettium Bolanum. H. 2, 65, 5. qui ab exercitu ibidem agnitus, auditis postea Vespasiani molitionibus, ambiguus factus est. H. 2, 97, 2.

H. 1, 61, 3. *cum aquila quintae legionis*] Lipsius Cod. Vatic. habere notat: *cum aquilex quintae l.* unde ipse conjicit: *cum aquila X quintae legionis*. vel, *quintae decimae*. Sed *quinta* tantum in acie occurrit ad Bedriacum. H. 2, 43, 3. quinta & quintadecima in praelio ad Cremonam. H. 3, 22, 2. Unde quintadecima primum cum Vitellio advenisse videtur. MS. meus: *cum aquilis quintae l.* Sed Florentinus non mutat.

quorum robur legio una, prima & vicesima fuit] Ita habent Flor. & Meus MSS. item Edd. omnes usque ad Freinshemium qui de judicio Lipsii τὸ *pri-*

ma ut glossematium ejecit. Sed cum parum verisimile tritissimam vocem interpretamento duplicatam, & Tacitus velit in exercitu triginta millium, quem duxit Cæcina, duntaxat *unam* legionem fuisse, nimirum *primam & vicesimam*; cum libris quam Freinshemio legere malui.

H. 1, 61, 4. *addita utrique Germanorum auxilia*] Savilius per *Germanos* hic præcipue putat intelligendos Transrhenanos. Et horum mentio H. 2, 17, 4. *Irritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse.* Et Frisii (majores) *Transrhenana gens* H. 4, 15, 5. Sed cum pauci *Transrhenanorum* post cladem Varianam Imperio Romanorum relicti fuerint; & subjiciat Auctor: *e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit.* probabilius Cisrhenanos præcipue intelligi; quippe duas vastissimas Galliæ Belgicæ provincias constituentes, quarum alteri *superiori*, alteri *inferiori Germaniæ* nomen primo inditum: superior deinceps *prima*, inferior, *secunda* appellata est. De quibus videndus Cluverius lib. II. Germ. Ant. cap. 37.

H. 1, 62, 4. *nomine* Germanici, *Vitellio statim addito*] Suetonius Vitell. cap. 8. *Consentiente deinde etiam superioris provinciæ exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen Germanici delatum ab universis cupide recepit.* Hinc passim in nummis *Vitellii* obvium hoc cognomentum: & ejus filius sic pariter dictus. H. 2, 59, 6. H. 3, 66, 4.

Cæsarem *se appellari etiam victor prohibuit*] Suetonius Vitell. cap. 8. *Cæsaris in perpetuum recusavit.* Sed noster H. 3, 58, 6. *Quin &* Cæsarem *se dici voluit, adspernatus antea.*

H. 1, 62, 5. *aquila leni meatu*] MS. meus: *leni.* prout Edd. ante Pichenam, qui ex Flor. ni fallor, *leni.*

H. 1, 63, 1. *raptis repente armis*] Flor. *raptis aerepente.* unde I. F. Gronovius: *raptis derepente.* Meus a vulgata non abit.

non ob prædam, aut spoliandi cupidine; sed furore] Ita emendavi ex MS. meo, cum hactenus in vulgatis legeretur, *cupidinem.* quod Acidalius divinando adsecutus est.

H. 1, 63, 3.

H. 1, 63, 3. *stratis per vias pueris feminisque*] Flor. & Meus : *feminis puerisque*.

quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace tendebantur] MS. meus : *tendebant*. Id est offerebant. ut Virgilii : *parvumque patri tendebat Iulum*. Vulgata eodem redit.

H. 1, 64, 1. *Nuntium de cæde Galbæ & imperio Othonis, Fabius Valens in civitate Leucorum accepit*] Per *civitatem Leucorum* intelligit agrum. *Leucos* Plinius *liberos* facit lib. IV. cap. 17. quorum urbes *Tullum & Nasium* apud Ptolemæum : unde patet Lotharingiam potissimum intelligi. Ceterum in Suetonio desideret quis diligentiam, qui Vitell. cap. 9. *Ac subinde Galbæ cæde annuntiata, compositis Germanicis rebus partitus est copias, quas adversus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret.*

Nec militum animus in gaudium, aut formidinem permotus, bellum volvebat] Ita Flor. & Meus MSS. tum Edd. ni fallor omnes. & sic 3, 38, 2. *qua tempestate Cotye fratre interfecto, bellum adversus nos volverat.*

H. 1, 64, 2. *Gallis cunctatio exempta*] MS. meus vocula amplius : *Sed Gallis cunctatio exempta.*

H. 1, 64, 4. *Iurgia primum mox rixa* &c. *prope in prœlium exarsere*] Freinshemius de conjectura edidit, *jurgio*. qua necessitate non exputo. Immo cum MSS. Flor. & Meus tum Edd. omnes : *Iurgia* : & *jurgium* sit contentio verborum, etiam inter benevolos ; *rixa* concertatio vehementior & pugnæ proxima ; reducenda omnino prior lectio.

H. 1, 64, 6. *Cohortem duodevicesimam Lugduni*] Ita totidem literis exhibet MS. meus : Florentinus : *cohortem* XVIII *Lugduni*. Meminit hujus cohortis 3, 41, 2. Distinctæ itaque cohortes numero, ut legiones. H. 1, 80, 2. *Septimam decimam cohortem e colonia Ostiensi, in urbem acciri Otho jusserat*. quæ ἑπτακαιδεκάτη σπεῖρα Plutarcho.

H 1, 64, 7. *Manlius Valens*] MS. meus a manu secunda : *Manilius Valens*. Supra 12, 40, 1. mentio *Manlii Valentis* legionis in Britannia Legati.

quamquam bene de partibus meritus] H. 1, 59, 4. *Accessere partibus Valerius Asiaticus* &c. *& Iunius Blæsus Lugdunensis Galliæ rector, cum Italica legione & ala Taurina, Lugduni tendentibus.*

H. 1, 65, 1. *Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam*] *Discordiæ* hujus historiam conservavit nobis Dio lib. XLVI.

H. 1, 65, 2. *Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ in fiscum verterat*] *Lugdunenses* enim Neroni fidi, propter egregiam liberalitatem: de qua 16, 13, 6.

H. 1, 65, 4. *se coloniam Romanam*] *Coloniæ* antiquitus duorum generum: *Romanæ*, quæ jus civitatis; Latinæ, quæ Latii; quibus postea accessere Italicæ, quæ habebant Italiæ. Hæc autem a. 694. lege lata per Cæcilium Metellum Prætorem tributis exempta est. De quo Dio lib. XXXVII. Lugdunum Italicis accenset Paullus l. 8. § 1. D. de Cens. *Lugdunenses Galli, item Viennenses in Narbonensi juris Italici sunt.* Condita autem Lugdunum a. 711. Consequens igitur respicere Lugdunenses ad suam originem, qua se digniores Viennensibus putant, quoniam bonam partem ex Romanis constiterat.

si fortuna contra daret] MS. meus: *si fortuna contra cederet.* Flor. *c̄tra deret.*

H. 1, 66, 1. *restingui posse iracundiam exercitus*] MS. meus: *restringi posse iram exercitus.* quod forte non spernendum. 15, 57, 2. *vinclo* &c. *ad arcum sellæ restricto.*

arma, genua, vestigia prehensando] Flor. *prensando.* Meus corrupte: *pressando.* Sed *prehensare* 14, 10, 2. H. 3, 28, 3. *arma prehensare.* ut *complecti armis* H. 1, 36, 3.

H. 1, 66, 2. *trecenos singulis militibus sestertios*] Ita Flor. & Meus concorditer: nisi quod in hoc a recentissima manu τῷ *trecenos* subjecta puncta.

tum vetustas dignitasque coloniæ valuit] MS. meus: *tum vetusta dignitas coloniæ valuit.*

H. 1, 66, 4. *ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit*] Plinius lib. III. cap. 4. *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vasio & Lucus Augusti; opida vero ignobilia* XIX.

H. 1, 67, 2. *rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur*] Rhenanus lib. III. Rer. Germ.

exifti-

existimat *castellum* hoc fuisse ubi nunc opidum, cui a thermis nomen Baden in pago Tigurino.

H. 1, 68, 3. *in montem Vocetium perfugere*] Ita Flor. & Meus consentientes. Rhenanus partem montis Juræ, quæ hodie den Botzberg / sic appellatam putat.

H. 1, 68, 5. *direptis omnibus*] Flor. & Meus concordes: *dirutis omnibus.*

Aventicum gentis caput] In damni bello hoc dati levamen Vespasianus *Aventicum* fecit coloniam, uti patet ex sequenti Inscriptione apud Franciscum Guillimannum:

. . . . LEGATO. . . . .
FLAVIAE. FIRMAE. ET. LEGATO. IMP. NERVAE. TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. LEG. VI. FIRMAE. SODALI. FLAVIALI. PRAETORI. AERARI. MILITARIS. LEGATO IMP. NERVAE. TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. CONSVLI. LEGATO. IMP. NERVAE TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI. AD. CENSVS. ACCIPIENDOS. COLONIA PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. AVENTICVM. HELVETIORVM. FOEDERATA. PATRONO.

Sub Constantio jam desertam testatur Ammianus Marcellinus lib. XV. cap. 11. *habent & Aventicum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Gallis adhuc *Avenche*: Germanis Wiflisburg vel Wibelsburg.

H. 1, 69, 2. *Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat*] MS. meus: *Nec Vitellius quidem verbis ac minis temperabat.* In Florentino hic deest folium.

H. 1, 69, 3. *ut est mox vulgus mutabile subitis & tam pronum in misericordiam, quam immodicum sævitia fuerat*] Ed. Ven. *ut est mos vulgo mutabilem subitis: & tam pronum in misericordiam: quam immodicum sævitia fuerat.* Quod secuti Rivius & Beroaldus. Rhenanus cum in Budensi reperisset, *mutabile,*

de

de ingenio dedit: *ut est mos vulgo mutabili subitis & tam prono in misericordiam, quam immodicum sævitia fuerat.* idque etiam Lipsio & Pichenæ retentum. Freinshemius parte prioris lectionis reducta, parte de arbitrio correcta: *ut est mos vulgo, mutabilem subitis & tam pronum in misericordiam, quam immodicus sævitia fuerat.* quod retentum I. F. Gronovio. Sed veram Taciti lectionem conservavit nobis Cod. meus, in quo: *militis animum mitigavit. ut est mox vulgus mutabile subitis & tam pronum in misericordiam quam immodicum sevitia fuerat.*

effusis lacrymis, & meliora constantius postulando] Ita plane MS. meus: & sic H. 4, 32, 3. in eodem & Edd. antiquis: *sic accensum, sed meliora referre jussum, dimittit.* ubi Pichena, *molliora.*

H. 1, 70, 1. *alam Syllanam*] MS. meus: *alam Silanam.* & mox: *Silani.* Similiter H. 2, 17, 1. idem Meus: *ala Silana.* ubi Flor. *ala Siliana.* Unde suspicio mendi confirmatur. Videtur autem sic appellata a præfecto: ut *Scriboniana*, H. 3, 6, 4. *Sulpicia, Frontoniana* & similes, in Inscriptionibus antiquis.

H. 1, 70, 2. *exciti, & ob bellum Vindicis revocati*] Ita Edd. Beroaldi & ut puto Rom. prima. Rhenanus ex Ven. *remorati*: quod insequentibus deinceps retentum. Sed cum Ed. Beroaldi tum MS. meus: *revocati.* & alterum minus placeat, reposui primitivam lectionem. Vult autem alam hanc ex itinere Ægyptum versus, revocatam ob bellum Vindicis.

instinctu decurionum] Qui præerant turmis singulis. Vegetius lib. II. cap. 14.

H. 1, 70, 4. *& Germanorum vexillis, cum ala Taurina*] Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ Rivii, Beroaldi, Rhenani: *vexillis, in alpe Graja.* Sed cum certum sit Cæcinam non *alpibus Grajis*, sed Peninis, in Italiam descendisse. H. 1, 61, 2. & Codices calamo exarati hic varient, certo certius mendi aliquid huic loco contractum. Budensis enim Rhenano teste: *in alpe trianna*, Farnesianus & Hispanus prodente Lipsio: *in alpe triaria.* Vaticanus: *cum alpe tarina.* Unde Lipsius, *cum ala Taurina*, Savilius, *cum ala Petrina* exsculpsere. Verum hic tanto successu, ut Lipsius suam ipse conjecturam pro illa

abdi-

abdicaverit; & Freinshemius velut palmariam correctionem, & Lipsio, Mercero atque Pichenæ probatam, in contextu exhibere non fuerit veritus. Fundamentum hujus lectionis H. 4, 49, 4. *Inter quæ Claudius Sagitta, præfectus alæ Petrinæ, prospera navigatione prævenit Papirium centurionem a Muciano missum.* ubi inter Vitellianos præfectus *alæ Petrinæ.* Sed hoc fundamentum haudquaquam tale, ut contra expressam scripti Codicis auctoritatem valeat subsistere. In meo enim MS. sine ulla litura: *& Germanorum vexillis cum ala taurina.* quomodo Lipsius ex Vatic. divinaverat. Nec refert, quod H. 1, 64, 4. *ala Taurina*, quæ Lugduni tendebat, a Valente, qui Cottiis alpibus in Italiam commeavit, dicatur abducta: quoniam plures potuerunt esse alæ hoc nomine. Sic in Inscriptionibus *ala prima Gallorum & Pannoniorum cataphracta. ala prima Flavia Gætulorum. ala prima Thracum.* H. 1, 68, 2. *Rætica alæ.* Exhibui igitur Manuscripti lectionem.

adversus Petronium Urbis Procuratorem] MS. meus a manu prima: *urbi Procuratorem.* quomodo Lipsius & Pichena pariter repererunt in MSS. pro quo ille: *ibi Procuratorem.* quod hic exemplo firmat H. 2, 16, 3. *Claudium Phirricum trierarchum Liburnicarum ibi navium.* Freinshemius mavult, *Petronium Urbicum.* quod probatur Reinesio. Quidquid sit, probabiliores horum conjecturæ, quam Salinerii sententia, qua τὸ *urbs* ita poni existimat, ut sæpe *civitas.* Quod utinam exemplo Latino confirmasset. Nam an Græcis ita sumatur vocabulum πόλις alia quæstio est.

H. 1, 70, 5. *Noricos in ceteræ victoriæ præmia cessuros*] MS. meus: *in certa victoriæ præmia cessuros.*

H. 1, 71, 3. *Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostes metueret conciliationes adhibens*] Usque ad Berneggerum hic legebatur: *sed ne hostis metum reconciliationis adhiberet.* nullo sensu. quod plurifariam diu tentatum, tandem a Berneggero de conjectura generi sic reformatum est: *sed ne hosti metum reconciliationis adhiberet.* qui *adhibere metum* dictum vult ut *adhibere necessitatem*, & *adhibere cruciatus.* ut sit sensus: ne Vitellium adversus se acriorem redderet desperatione veniæ. vel, ut exemplum daret Vitellio nunc hosti, posse secum in gratiam hostes

tuto

tuto redire. Sed hunc sensum verba non patiuntur. *Metuo* enim cum aliquo *reconciliari* non est, metuo ut in alicujus gratiam restituar, sed contrarium, metuo ne restituar. Unde *metus reconciliationis*, ut *metus mortalitatis* apud Quintilianum, *metus existimationis vivorum* apud Ciceronem, diceretur. E quibus patet Freinshemii lectionem temere ab ejus socero expressam. Cum vero in MS. meo exstet: *sed ne hostes metueret, conciliationes adhibens.* idque testetur Pichena pariter sibi in MS. repertum, unica duntaxat literula excepta (*conciliationis* enim ponit pro *conciliationes*) non dubitavi hanc velut verissimam lectionem sequi. Primo quoniam sensum fundit planissimum. Caussam enim reddit Auctor cur Otho inter intimos amicos Celsum adsumpserit; videlicet ut adhibendo hujusmodi conciliationes gratiæ hostes suos non tantopere metuere cogeretur, quoniam isti videntes hanc ejus clementiam mitiores erga eum erant futuri: & propterea acute addit, *non quasi ignosceret*, inter intimos amicos habuisse. Deinde, ne quis dubitet, Dio sensum hunc penitus expressit lib. LXIV. Ἀλλ' οὐ γὰρ εἶχεν, ἅπαξ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν εἰσελθών, ἀναδύναι· καὶ ἐνέμεινεν ἐν αὐτῇ καὶ δίκην ἔδωκε, καί τοι πολλὰ καὶ μέτρια πρὸς θεραπείαν τῶν ἀνθρώπων ποιήσας· οὐχ ὅτι οὕτως ἐπεφύκει, ἀλλ' ὅτι οἰδούντων αὐτῷ διὰ τὸν Βιτέλλιον τῶν πραγμάτων, οὐκ ἤθελε καὶ τοὺς ἄλλους ἐκπολεμῶσαι. *Neque tamen potuit ob has caussas imperium quod semel susceperat, deponere; sed in eo permansit ac pœnas dedit: quamvis multa faceret moderate ad conciliandos animos multitudinis, non quod eo ingenio esset, aut moribus, sed quod rebus ejus adhuc propter Vitellium turgentibus, nolebat ceteros sibi inimicos facere.*

statim inter intimos amicos habuit] Vulgati hactenus libri *intra.* Sed MS. meus, ut edidi. Sæpe autem corrupta hæc præpositio apud Auctores. Unde in Thesauro L. L. notatur *intra* quandoque poni pro *inter.*

H. 1, 71, 4. *Læta primoribus civitatis*] Τὸ *primoribus* est a Rhenani ingenio: cum ante, quomodo & MS. meus: *pro moribus.*

H. 1, 72, 2. *quia velocius erat vitiis adeptus*] Ita MS.

MS. meus, tum Ed. Ven. eamque insecutæ: non *qua.* ut quidam voluere.

crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia scelera exercuit] MS. meus: *crudelitatem mox inde avaritiam, & v. s. e.*

H. 1, 72, 5. *Unde nulla innocentiæ cura, sed vices impunitatis*] Mallem, ut Salinerius: *Unde nulla innocentia curæ, sed vices impunitatis.* Id est non respiciunt ad innocentiam sed ad futuros potentes sibi devinciendos, quo per tales, si res mutentur, impunitatem habeant, in vicem collatorum beneficiorum. Sed MS. meus tum Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Rhenanum usque tuentur vulgatam.

H. 1, 73, 1. *Galvia Crispinilla*] Dioni Καλουία Κρισπινίλλα.

& adversa dissimulantis Principis fama] Hinc Dio lib. LXIV. Ὅ, τε γὰρ βίος αὐτοῦ καὶ ἡ δίαιτα, τό, τε τῷ Σπόρῳ συνεῖναι, καὶ τὸ τοῖς λοιποῖς τοῖς Νερωνείοις χρῆσθαι, πάνυ πάντας ἐξεφόβει. *Jam enim eo genere vitæ, quod instituerat, quodque cum Sporo consuetudinem habebat, ceterisque Neronianis utebatur, omnes perterriti erant.* dubito an satis vere. Certe Tacitus aliter H. 1, 71, 1. *Otho interim, contra spem omnium non delitiis, neque desidia torpescere.*

H. 1, 73, 2. *famem populo Romano haud obscure molita*] Ita malui cum MS. meo, quam *populi Romani* cum vulgatis hactenus. Ægyptus autem in quadrimestre, Africa in reliquum anni tempus frumentum Italiæ suppeditabat, teste Iosepho lib. II. B. I. cap. 28.

consulari matrimonio subnixa] Vulgati hactenus, *innixa.* Sed cum Pichena repererit in quodam MS. *subnixa* & sic pariter in Meo exstet, idque judice I. F. Gronovio sensu prægnantius, pro superba, elata, repræsentare non dubitavi.

H. 1, 73, 3. *quæ bonis malisque temporibus juxta valent*] Rhenanus a Budensi abesse docet ablativum *temporibus.* & propterea aliter explicat. Sed MS. meus & Edd. habent.

H. 1, 74, 1. *& muliebribus blandimentis infecta*] Ante Rhenanum hic legebatur, *blanditiis.* Sed *blandimentis* agnoscit etiam MS. meus.

offerebant pecuniam & gratiam, & quemcumque quie-

quietis locum prodigæ vitæ legisset] Dio oblatum ait *κοινωνίαν τῆς ἀρχῆς. societatem Imperii.* & quidem sæpius. Sed Plutarchus cum nostro, *χρήματα πολλὰ αὐτοῦ καὶ πόλιν, ἐν ᾗ βιώσεται ῥᾶστον καὶ ἥδιστον βίον μεθ' ἡσυχίας. pecuniam affatim & opidum, ubi in otio securißime & jucundißime vitam ageret. Offerebant* autem correctioni Rhenani debetur: ante quem Edd. *offerebantur.* pro quo in MS. meo: *afferebantur.*

H. 1, 74, 2. *Paria Vitellius ostentabat*] Ita malui cum MS. meo, quam *ostendebat* cum vulgatis hactenus. H. 5, 24, 2. *Nam Cerealis per occultos nuntios* Batavis pacem, Civili veniam *ostentans, Veledam propinquosque monebat.*

H. 1, 74, 3. *revocatis quos Galba miserat legatis, rursus ad utrumque Germanicum exercitum* &c. *misit*] MS. meus & Ed. Ven. eamque insecutæ ad Rhenanum usque: *rursus alios ad utrumque.*

H. 1, 74, 6. *quod tanto ante traditum Vitellio Imperium, ad Othonem vertissent*] Augent ultra verum tempus, quo Vitellius Othonem in Imperio anticipavit. Intervallum enim duntaxat dierum XIII. Vitellius enim postridie Kal. Jan. a Fabio Valente & inferiore exercitu in Colonia Agrippinensi salutatus Imperator, III. Non. Jan. a superiore. H. 1, 57, 2. Galba cæsus XVIII. Kal. Febr. sive XV Januarii die H. 1, 27, 1. Lipsius *αὔξησιν* vidit, sed tam in Vitellii quam Othonis exordio aberravit.

Neque ideo prætorianorum fides mutata] MS. meus: *mutari.* pro mutabatur.

H. 1, 76, 3. *Nec Aquitania quidem* &c. *diu mansit*] Flor. *Ne Aquitania.* Sed Meus, ut editur.

H. 1, 76, 4. *sed erat grande momentum in nomine Urbis ac prætextu Senatus*] Flor. hic, & paullo post, *prætexto.* & sic loquitur H. 2, 100, 4. *prætexto classem alloquendi.* Suetonius Iul. cap. 30. *Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.*

H. 1, 76, 2. *a Iulio Cordo*] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Edd. omnes, ut mirer Alciatum ex Inscriptione nihil ad hunc pertinente legere *Manilio Cordo.*

H. 1, 76, 5. *omnesque versæ in Orientem provinciæ*] Lipsius in aliquot libris, Pichena in uno se reperisse testantur: *omnesque versus Orientem.* quomodo exhibet etiam MS. meus. Vulgatam tuentur Edd.

Edd. antiquæ, tum MS. Flor. in quo a manu prima: *omnisque versa in Orientem provincia.* levi errore: tum ipse Auctor G. 1, 3. *Rhenus Ræticarum alpium in accesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur.*

H. 1, 76, 6. *Vipstani Aproniani*] Ita scripsi pro *Vipsanii Aproniani*, quomodo hactenus, secutus Lapidum auctoritatem: de quibus ad 14, 1, 1. MS. meus: *Vipsani* habet, Ed. Ven *Vispani.*

nam & hi malis temporibus partem se Reipub. faciunt] Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Pichenam usque: nam *in malis temporibus partem se reip. fecerat.* Hic vero partim ex Flor. partim de ingenio subjecit alteram lectionem. Nam in Flor. ipso teste, sicut & in Meo, legitur: *nam & in malis temporibus partem reip. faciunt.*

H. 1, 77, 2. *Iungitur Verginio Pompejus Vopiscus*] Ita habent MSS. Bud. & Meus, tum Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Lipsium usque. In cujus Ed. legitur. *Poppæus Vopiscus.* quo fundamento adhuc quæro: quod insequentibus retentum. De *Verginio* actum supra.

H. 1, 77, 3. *Cælio ac Flavio Sabinis, in Iulias*] *Cælius Sabinus* Jureconsultus, de quo Pomponius l. 2. §. 46. D. de O. J. *Cassio Cælius Sabinus successit, qui plurimum temporibus Vespasiani potuit.* Rupertus prænomine *Marcum* appellatum putat ex Plinio lib. XXXV. cap. 12. Sed *M. Cælius*, cujus ibi mentio, ad Reipub. tempora pertinet. *Flavius Sabinus* Vespasiani frater: de quo H. 1, 46, 2.

Ario Antonino & Mario Celso, in Septembres] Edd. usque ad Rhenanum: *Archio Antonio.* qui ex Bud. dedit: *Ario Antonio.* Unde Lipsius: *Ario Antonino.* Sed MS. meus: *Arrio Antonio.* Scribendum: *Arrio Antonino.* Avus fuit maternus Antonini Pii. Capitolinus in hujus vita cap. 1. *Mater Arria Fadilla, avus maternus Arrius Antoninus, bis Consul, homo sanctus, & qui Nervam miseratus est, quod imperare cœpisset.* Plinius lib. IV. ep. 3. & lib. V. ep. 5. Græca ejus carmina celebrat.

H. 1, 77, 4. *Pontificatus auguratusque honoratis jam senibus cumulum dignitatis addidit*] MS. meus: *culmen dignitatis addidit.* Flor. nil mutat. Ne quis

in

in anterioribus auscultetur Gutherio, corrigenti: *honoratis jam insignibus.* Cujus errorem castigavit I. F. Gronovius.

H. 1, 77, 5. *Cadio Rufo*] Qui lege repetundarum damnatus accusantibus Bithynis. 12, 72, 5.

Sevino Promptino] Ed. Ven. item reliquæ ad Lipsium usque: *Sevino Pontio.* MS. meus a m. p. *Sevino proprius.* a s. *promptius. Promptino* niti videtur MS. Florentino.

H. 1, 78, 1. *Hispaliensibus & Emeritensibus familiarum adjectiones*] Ita Rhenanus: ante quem, *Hispaniensibus.* quomodo & MS. meus. Præstaret, *Hispalensibus. Familiarum adjectiones*, id est novos colonos. 13, 31, 2. *coloniæ Capua atque Nuceria, additis veteranis firmatæ.*

Lingonibus civitatem Romanam] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Edd. nihilominus suspecta Lipsio lectio hæc, propter ea quæ de *Lingonibus* exstant H. 1, 53, 4. in quo Lipsium Savilius secutus est. Tamen parum probabile in tanto Codd. consensu hic peccatum. Quod vero objicitur *Lingones* Vitellii partibus addictos, ac propterea hoc Othonis beneficio indignos, parum me movet, quoniam Principatus principio & antequam de *Lingonum* in Othonem animo adhuc penitus constaret, aut ut Vitellio alienarentur, privilegium hoc in eos collatum narrationis evincit series. Quemadmodum quod Hispalensibus & Emeritensibus, provinciæque Bæticæ concessum, verisimile factum antequam Romæ cognitum, conversam ad Vitellium Hispaniam. H. 1, 76, 2. Nam quod *Lingonibus* inter Hispanos locus sit (quod alterum Lipsii argumentum) a temporis, quo hæc gesta, serie pariter pendet. Ceterum ex hoc loco patet jam tum vulgari cœpisse *civitatis Romanæ* jus. Quod deinceps Imperator Antoninus, cum omnibus in orbe Romano viventibus communicavit, Ulpiano teste l. 17. D. de Statu hominum. Quod Salmasius * de Antonino Caracalla intelligendum ex Excerptis Dionis apud Constantinum Porphyrogennetum docet. Idque aliquatenus confirmat Inscriptio vetus Græca in qua M. *Aurelio Litophoro Prosdecto civitas Romana* data dicitur ab Imperatore Commodo: quæ Eleusine in statuæ basi legitur,

* de Modo Usur. cap. 19.

gitur, juxta Iacobum Sponium, virum vita longiore dignissimum, & literariæ reipublicæ, quam insigniter ornabat, acerbo nuper funere ereptum. Est autem sequens:

ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗΙ
Η ΙΕΡΑ ΓΕΡΟΥΣΙΑ Μ. ΑΥ
ΡΗΛΙΟΝ ΛΙΘΟΦΟΡΟΝ ΠΡΟ
ΣΔΕΚΤΟΝ ΠΙΣΤΟΚΡΑ
ΤΟΥΣ ΚΕΦΑΛΗΘΕΝ ΠΡΕΣ
ΒΕΥΣΑΝΤΑ ΠΡΟΙΚΑ ΤΙΜ
ΘΕΝΤΑ ΔΕ ΥΠΟ ΘΕΟΥ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΗ ΡΩΜΑ
ΙΩΝ ΠΟΛΕΙΤΕΙΑ ΑΡΞΑΝ
ΤΑ ΤΟΥ ΚΗΡΥΚΩΝ ΓΕ
ΝΟΥΣ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
ΡΑΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΕΥΣΕΒ
ΙΑΣ ΕΝΕΚΑ
ΑΤΤΙΚΟΣ ΕΥΔΟΞΟΥ ΣΦΗΤ
ΤΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ.

Id est, *Cereri & Proserpinæ. Sacer senatus M. Aurelio Litophoro Prosdecto, Pistocratis F. Cephale, legatione gratis functo & donato per D. Commodum Romana civitate, præfecto præconum ordinis, præfecto sacri senatus, pietatis caussa. Atticus Eudoxi F. Sphettius fecit.* Per *civitatem* autem *Romanam* tam in Othonis aliorumque quam Caracallæ donatione *jus Latii* intelligitur. Uti patet ex Plinio Paneg. cap. 39. *His quoque quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura commisit simul & pariter, & more naturæ, quæ priores Principes a singulis rogari gestiebant, non tam præstandi animo quam negandi.* ubi Trajanus prædicatur propter sublatam inter jus *veteris Latii* & *novi* differentiam: cujus meminit Servius ad Virgilium lib. VII. Æneid. *Quis Latio antiquo fuerit status. Quia duo sunt vetus & novum: sicut & in jure lectum est.* Quæ differentia procul dubio originem suam debet mutatis *Latii* terminis. Plinius, superioris avunculus, lib. III. cap. 5. *Latium antiquum a Tiberi Circejos servatum*

tum est mille passuum quinquaginta longitudine. Tam tenues primordio imperii fuere radices. Colonis sæpe mutatis tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. Et ultra Circejos Volsci, Osci, Ausones, unde nomen modo Latii processit ad Lirim amnem. Qui autem *veteris* erant participes cognationum & patronorum jura habebant, qui *novi* non habebant. Idem Plinius lib. X. ep. 6. ad Trajanum. *Proxima infirmitas mea, domine, obligavit me Postumio Marino medico: cui parem gratiam referre beneficio tuo possum, si precibus meis, ex consuetudine bonitatis tuæ, indulseris. Rogo ergo, ut propinquis ejus des civitatem, Chrysippo Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicæ Epigoni, item liberis ejusdem Chrysippi, Epigono & Mithridati; ita ut sint in patris potestate, utque iis in libertos servetur jus patronorum.* ubi per *civitatem* intelligitur *Latium* & quidem *vetus*. Hanc autem idem mox distinguit a *jure Quiritium*, quando ad eumdem Trajanum: *Item rogo indulgeas jus Quiritium Lucio Satrio Abascanto, & Publio Cæsio Phosphoro & Panchariæ Soteridi, quod a te, volentibus patronis, peto.* Item lib. X. ep. 4. *Proximo anno, domine, gravissima valetudine usque ad periculum vitæ vexatus iatralipten assumpsi, cujus solicitudini & studio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem possum. Quare rogo des ei civitatem Romanam. est enim peregrinæ conditionis manumissus a peregrina.* & paullo post. *Item rogo des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, ornatissimæ feminæ, Heliæ & Antoniæ Harmeridi. quod a te petente patrona peto.* & lib. X. ep. 22. *Ago gratias, domine, quod & jus Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & civitatem Romanam Harpocrati iatraliptæ meo sine mora indulsisti.* In hoc autem Taciti loco per *civitatem Romanam* intelligi *Latium*, ut Plinius loquitur, vel *jus Latii*, tum ex iis, quæ hactenus adducta sunt, colligo, tum ex 15, 32, 1. *Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in jus Latii transtulit.* H. 3, 55, 3. *Latium externis dilargiri.* similiter Plinius alter lib. III. cap. 3. *Universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus jactatus procellis Reipublicæ Latii jus tribuit.* In Caracallæ autem constitutione, quin per *civitatem*

Roma-

Romanam jus duntaxat *Latii*, non *Quiritium* intelligendum dubitari non poteſt. Diu enim poſt hujus tempora *jus Quiritium*, in dominiis & libertatibus, adhuc uſurpatum teſtantur juris Auctores: ſuſtulitque illud primum Iuſtinianus l. unica. C. de nudo jure Quiritium tollendo. & l. 1. C. de Latina libertate tollenda.

H. 1, 78, 2. *Inter quæ neceſſitate præſentium rerum & inſtantibus curis excuſata*] Id eſt dum hæc peragit non quidem decora omnia, ſed tamen in bonam partem accepta, quia præſens neceſſitas & imminentia pericula ea requirere videbantur. MSS. Meus & Bud. *excuſatus*. Sed Flor. & Ed. Ven. tuentur vulgatam.

H. 1, 78, 3. *& fuere qui imagines Neronis proponerent*] Id eſt in publico ponerent. ſic MSS. Flor. & Meus, tum Ed. Ven. Suetonius Aug. cap. 24. *cum propoſito congiario multos manumiſſos inſertoſque civium numero comperiſſet, negavit accepturos quibus promiſſum non eſſet.*

quibuſdam diebus] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Ed. Ven.

NERONI OTHONI] Suetonius Oth. cap. 7. *Ac ſuper ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus Nero, nullum indicium recuſantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam provinciarum præſides, Neronis cognomen adjecit.* Hos inter Cluvius Rufus, de quo Plutarchus: Κλαύδιος (Κλούβιος) ὁ Ῥοῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα, οἷς ἐκπέμπουσι τοὺς γραμματηφόρους, τὸ τοῦ Νέρωνος θεῖον ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος. *Cluvius Rufus in Hiſpaniam tradit portata diplomata, quibus tabularios dimittunt, in quibus præclarum Neronis nomen adjectum nomini erat Othonis.* Addit Plutarchus id omiſſum, poſtquam primores eo offendi animadvertit.

H. 1, 79, 1. *magna ſpe ad Mœſiam irruperant*] Præpoſitio *ad*, quæ offendit aliquos, in MSS. Flor. & Meo, tum Ed. Ven. hic loci exſtat.

H. 1, 79, 2. *novem millia equitum, ex ferocia & ſucceſſu prædæ magis quam pugnæ intenta*] Ed. Ven.

& reliquæ ad Rhenanum : *& ferocia & successu prædæ.* MS. meus : *& ferociora successu & prædæ.*

tertia legio adjunctis auxiliis] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Ed. Ven. ne quis Savilio præbeat aures dubitanti an Tacitus non scripserit, *tres legiones :* quoniam tribus Legatis consularia ornamenta concessa. Nam forte reliqui duo pariter huic prælio interfuere, non præsentibus legionibus, quibus præerant. Forte Otho vitandæ æmulationis inter pares eumdem honorem, qui remanserant, tribuit.

H. 1, 79, 5. *tegmen, ferreis laminis, aut prædure corio consertum*] MS. meus : *tegimen.* Sed *tegimen, tegumen, tegmen, tegimentum tegumentum* & *tegmentum* apud nostrum aliosque veteres promiscue reperitur. De re Iustinus lib. XLI. cap. 2. ubi de Parthis : *Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt.*

H. 1, 79, 6. *Romanus miles facili lorica*] Flor. *facilis lorica.* quod videtur Taciti ; qui sic alibi, *sagulo leves.*

ubi sævitia hiemis & dolore vulnerum absumpti] Ed. Ven. *ibi sævitia : hic misericordia vulnerum absumpti.* quod insedit ad Rhenanum, qui ex Budensi : *Ibi sævitia, hic miseria vulnerum absumpti.* Unde Muretus de ingenio : *Ibi sævitia hiemis & vi vulnerum absumpti.* quod Freinshemius expressit. Nec ego immutassem, nisi flagitasset MS. meus, in quo absque ulla titubatione : *ubi sevicia hiemis & dolore vulnerum absumpti.*

H. 1, 79, 7. M. *Aponius*] Qui *Aponius Saturninus* H. 2, 85, 4. *M. Aponius Saturninus* in Fragm. Fratrum Arvalium : is, cui dormienti a Cajo tredecim gladiatores sestertio nonagies addicti, cum prætorius esset, teste Suetonio Calig. cap. 38.

Iulianus Titius] Videtur *Tertius Titius Iulianus* dictus. Infra enim H. 2, 85, 4. & alibi *Tertius Iulianus.* Nec aliter libri calamo exarati.

H. 1, 80, 1. *e colonia Ostiensi*] Præpositio *e.* quam submovit Rhenanus, MSS. habent Flor. & Meus.

armandæ ejus cura] Suetonius paullo aliter hæc narrat Oth. cap. 8. *Placuerat per classiarios arma transferri, remittique navibus. Ea cum in castris sub noctem promerentur insidias quidam suspicati, tumultum*

tum excitaverunt: &c. Plutarchus autem Tacitum non videtur intellexisse, quando hæc ita prodit: Κρισπῖνον δὲ πέμψαντος αὐτοῦ τὴν (τήνδ') ἑπτακαιδεκάτην σπεῖραν, ὡς τινας ἄξοντα, κἀκείνου νυκτὸς ἔτι συσκευαζομένου, καὶ τὰ ὅπλα ταῖς ἁμάξαις ἐπιτιθέντος, οἱ θρασύτατοι πάντες ἐβόων, οὐδὲν ὑγιὲς τὸν Κρισπῖνον ἥκειν διανοούμενον, ἀλλὰ τὴν σύγκλητον ἐπιχειρεῖν πράγμασι νεωτέροις, καὶ τὰ ὅπλα κατὰ Καίσαρος οὐ Καίσαρι παρακομίζεσθαι. *Cum autem Crispinum & septimam decimam cohortem misisset, ne certos attraherent: atque ille tenebris adhuc arma consarcinaret & vehiculis imponeret: fremebant audacissimi quique nihil Crispinum boni in animo habere, sed moliri res novas Senatum, atque arma ad Cæsaris perniciem, non Cæsari portari.*

H. 1, 80, 3. *affectatio quietis in tumultum evaluit*] Ita MSS. Flor. & Meus, ne quis audiat correctores. 14, 58, 6. *multa secutura, quæ ad bellum usque evalescerent.*

H. 1, 80, 5. *vulgus, ut mos est, cujuscumque motus novi cupidum*] Ita MSS. Flor. & Meus: item Edd. usque ad Rhenanum, qui *cujusque* dedit, nescio quare. quod tamen in sequentibus retentum.

H. 1, 80, 6. *tribunum & severissimos centurionum obtruncant*] Suetonius d. l. *repulsisque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis & occisis.* Plutarchus ἑκατοντάρχας δύο καὶ τὸν Κρισπῖνον αὐτὸν ἀπέκτειναν. *centuriones duos & Crispinum ipsum obtruncavere.*

H. 1, 81, 1. *celebre convivium, primoribus feminis virisque*;] Plutarchus ὀγδοήκοντα συγκλητικοὺς apud Othonem convivatos scribit. Suetonius nullius convivii meminit.

H. 1, 81, 2. abire propere omnes e convivio *jussit*] Plutarchus: καθ' ἑτέρας θύρας ἀφῆκε. *aliis ostiis dimisit.* Vult, postica palatii parte.

H. 1, 82, 5. *ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur*] Cum ordinarium donativum esset *quina dena*, quod in Imperii aditu a Claudio usque dare Principes soliti. Suetonius Claud. cap. 10. Ceterum Dio sinistra ansa donativum hoc apprehendit, lib. LXIV. Καὶ οἱ μὲν καὶ ἐπὶ τούτῳ χρήματα, ὡς καὶ δι' εὔνοιαν αὐτὸ τοῦ Ὄθωνος πεποιηκότες, ἔλαβον. *Cujus rei caussa Otho & pecuniam iis largitus est,*

 perin-

perinde atque si id facinus studio ipsius fecissent.

H. 1, 83, 1. *Otho, quamquam turbidis rebus*] MS. meus a manu prima: *Otho quam turbidis rebus.* a secunda τῷ *quam* additum; *uis.* Freinshemius pro *quamquam* malebat, *quoque.*

H. 1, 83, 3. *neque ut animum ad virtutem cohortarer*] Rhenanus: *neque ut ad animum, ad virtutem cohortarer.* credo ex Budensi. Nam ita pariter exhibet Cod. meus. Priori tamen *ad* eodem atramento puncta subjecta.

H. 1, 83, 4. *non cupiditate vel odio*] MS. meus: *non cupidine.* quomodo Rhenanus dedit.

H. 1, 83, 6. *ut multa etiam centuriones tribunosque tantum juberi expediat*] Ita MSS. Flor. & Meus Ed. Ven. *multa etiam per centuriones.* Rhenanus *multa per centuriones.* male.

Si, cur jubeantur, quaerere singulis liceat] Vulgati hactenus libri. *Si ubi jubeantur.* Sed Flor. *sicubi jubeantur.* Meus: *si quur jubeantur.* quod, tamquam Taciti, secutus sum.

H. 1, 84, 1. *Vos quidem istud pro me.*] Ita Flor. & Meus MSS. item Ed. Veneta & quae hanc secutae ad Rhenanum usque, qui *istuc* dedit: quod deinceps retentum. Subintelligitur, patrastis.

H. 1, 84, 5. *cujus splendore & gratia sordes & obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus*] I. F. Gronovius legit, *praestringimus.* id est hebetamus, obtenebramus. verissima conjectura. Saepe autem peccatum in vocabulis a praepositione *prae* incipientibus propter abbreviationem, quam non adsequebantur librarii. Cujus exempla apud Obertum Gifanium Indice in Lucretium v. *Praestringere.*

H. 1, 84, 7. *Muta ista & inanima intercidere ac reparari promiscua sunt*] Ed. Ven. & Beroaldi: *muta ista & inania intercidere ac reparari promiscue possunt.* In hac lectione Lipsius emendavit *inanima*; Freinshemius, *promiscua su*[illegible]. ille ut puto de ingenio, hic MSS. auctoritate. Bud. & Meus: *promiscua sunt.* Flor. pro suo more: *promisca sunt.*

H. 1, 85, 1. *Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos*] MS. meus: *Ea oratio perstringendo mulcendoque militum animos.* Et ante Rhenanum quoque Edd. *Ea oratio.*

H. 1, 85, 4.

H. 1, 85, 4. *ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversis*] Ita exhibent Edd. Veneta & Rivii. Puteolani a Beroaldo repetita: *animo vultuque conversis.* quomodo etiam MS. meus: a quibus perperam discessit Rhenanus exhibens: *animum vultumque conversi.* quod hactenus retentum. Si enim Græca placebat constructio, quam Editio Veneta præfert, orationis series postulat *conversis* non *conversi*, uti monuit I. F. Gronovius. Subintelligitur enim verbum substantivum: tamquam esset. *Sed plurimum trepidationis in publico* erat *conversis animum vultumque, ut quemque nuntium fama attulisset.* id est animum vultumque alium atque alium fingebant, ne si quid formidabile de Vitellio, desperare de firmo Othonis statu: si quid contrarium audiretur, non satis præferre gaudii existimarentur. Quare Venetæ Editionis scripturam revocavi.

H. 1, 85, 5. *& privato Othoni nuper atque eadem dicenti, nota adulatio*] Edd. usque ad Lipsium: *eadem dicendi adulatio.* Sed quam ille dedit ex Vatic. lectionem, Flor. & Meus etiam exhibent.

H. 1, 85, 6. *In clamore tamen, & ubi plurimæ voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes*] Grotius notat non cohærere sermonem & propterea legit: *aucto tumultu.* Sed MS. meus: *aut tumultus verborum.* Flor. tum Edd. veteres nihil mutant.

H. 1, 86, 3. *prorupto ponte sublicio*] I. F. Gronovius legit, *proruto.* Idem error commissus 15, 40, 1. *secura hujusmodi casuum*] Flor. & Meus: *ejusmodi.*

H. 1, 86, 5. *& via Flaminia iter belli esset obstructum*] Suetonius Oth. cap. 8. *Et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad XX etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit.*

H. 1, 87, 2. *quod reliquos cæsorum ad pontem Milvium, & sævitia Galbæ in custodiam habitos, in numeros legionis composuerat*] MS. meus: *in custodia habitos.* ut Rhenanus voluit. In Flor. hic desideratur folium. Sed Edd. veteres ut editur. Et sic loquuntur etiam Auctores: exempla collegit Gerardus Vossius lib. de Constructione cap. 65. Ceterum hic rursus miror Savilii ingenium in dubium vocantis quæ Tacitus Othoni hic tribuit, quoniam sub Galba *legionis classicæ* meminit H. 1, 6, 3. & 31, 3. 6. Sed jam

ante ostendi initio Galbæ nondum centuriatam fuisse hanc legionem. Cum vero Auctor caussam cur *classis* Othonis *partibus fida*, alleget hoc ipsum Othonis in hanc legionem ex *classicis* conscriptam meritum, utique de hujus veritate dubitari non magis potest, quam de ullius alterius eventus fide a Tacito in literas relati. Nec obstat quod qui sævitia *Galbæ in custodiam habiti*, videantur æque ac *reliqui cæsorum ad pontem Milvium*, nomine *legionis classicæ* contineri, quæ ante Galbæ mortem sine cunctatione prætorianis accesserit. H. 1, 31, 6. Quoniam rationi conveniens non totam legionem, sed duntaxat aliquos ex ea, capita nempe, aut seditionis auctores, carceri mancipatos credere. Et propterea inter *reliquos cæsorum ad pontem Milvium*, qui ante *legio classica* vocati, & *sævitia Galbæ in custodiam habitos* distinguitur. Hos igitur carcere liberatos & illos *reliquos* aquila & signis adhuc destitutos Otho *in numeros legionis composuit*.

in numeros legionis composuerat] Ed. Ven. & quæ hanc secutæ ad Lipsium: *in numero*. Hic primus, ni fallor: *in numerum*. Postea vidit MS. Flor. (alium a Longobardico) tum Ed. Rom. habere: *in numeros*, quomodo etiam præfert MS. meus. Quæ ipsissima Taciti lectio hoc loco: videturque ita pariter emendandum 2, 80, 2. ubi vulgo: *auxilia Cilicum quæ reguli miserant, in numerum legionis composuerat.* etsi tueatur Freinshemius, qui *componere in numerum legionis* dici putat, ut referre numerum. Certe *numeri*, ordines, manus militares. H. 1, 6, 4. A. 18, 3. 32, 5.

facta & ceteris spes honoratioris in posterum militiæ] Ita Pichena ex quodam Flor. & sic pariter MS. meus. Ante: *facta & reliquis*.

H. 1, 87, 3. *& plerosque e prætorianis vires & robur exercitus*] *Plerosque* id est nonnullos. Quintilianus lib. VI. Instit. cap. 4. *Videas plerosque ira percitos exclamantes, ut judex audiat contrarium id esse quod admoneatur, sciatque ille, qui pronuntiaturus est, in caussa malum, quod tacetur.* Quod non notassem nisi Savilium notio hæc fugisset, qui ad H. 2, 11, 1. ingentem prætorianorum numerum classi in Narbonensem Galliam missæ impositum commini-

minifcitur ex hoc loco, & hinc Tacito obloquitur, Gallo poftea quinque cohortes prætorias affignanti. H. 2, 11, 4. ceteras Othoni. H. 2, 11, 6. Fuerunt autem hi *plerique* ex fingulis cohortibus fele&i vexillarii: fuum enim in acie locum obtinuerunt H. 2, 14, 4. Ceterum MS. meus ut Edd. ante Lipfium: *e prætorianis viris, ut robur exercitus.*

H. 1, 87, 5. *ad obfervandam honeftiorum fidem invitatus*] Lipfio merito fufpe&a vox *invitatus*, quidquid ad eam tuendam Boxhornius adferat. Etfi enim verum ad dignitates alios vocari, alios invitari: invitatio liberto tam parum quam vocatio quadrat. Præterea MS. meus, tum Ed. prima, Grutero tefte: *imitatus.* Unde quam leviffima mutatione faciendum puto: *incitatus.* Id eft cui hoc quoque negotium dederat, cum ceteroquin homo effet non malus, ut videret, ne quid perfidia peccarent nobiles.

H. 1, 88, 1. *Sepofitus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem*] Plutarchus: ἐν Ῥώμῃ Δολαβέλλας εὐπατρίδης ἀνὴρ, ὑποψίαν παρεῖχε τοῖς μισθοφόροις νεώτερα φρονεῖν. *Romæ Dolabella vir patricius fufpicionem præbuit mercenariis res novas cogitare.* Suetonius, cui *Cn. Dolabella*, fimile quid de eo fufpicatum jam fub Galba fcribit Galb. cap. 12. *Germanorum cohortem &c. diffolvit, ac fine ullo commodo remifit in patriam: quafi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, proniorem.*

H. 1, 88, 3. *Igitur mota Urbis cura*] Ita Edd. vet. fexto cafu. Rhenanus & MS. meus: *motæ Urbis curæ.*

ætate invalidi] MS. meus: *ætate invalida.*

H. 1, 88, 4. *& irritamenta libidinum ut inftrumenta belli mercarentur*] Savilius huc adducit *fpeculum patici geftamen Othonis*, ex Iuvenale. Sed non de ipfo Othone fed comitibus ejus hic fermo. Verius fervos intelligi ad minifterium menfæ pertinentes, qualibus dele&ari eum noverant, pincernas & alexes.

H. 1, 88, 5. *multi adflicta fide in pace*] Ita Edd. ante Rhenanum, rotundius & cum fequentibus convenientius, quam quod ab eo fubje&um & deinceps fervatum: *multis adflicta fides in pace.* licet id quoque firmet MS. meus.

H. 1, 89, 1. *secura tum Urbe, & provinciali bello*] Sic Rhenanus ex Bud. procul dubio: nam Meus agnoscit. Ante: *urbe a provinciali.*

H. 1, 89, 2. *tantum pacis adversa pertimuere*] Ita Lipsius rescidit, cum ante auctius: *tantum pacis adversa Reipub. pertimuere.* & fatendum τὸ *Reipub.* non convenire. Sed MS. meus: *tantum pacis adversæ in rep. pertimuere.*

H. 1, 89, 3. *si ducibus aliis bellatum foret, longa bello materia*] Ita malui cum MS. meo, quam vulgatis hactenus: *longo bello m.* H. 3, 15, 3. *auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem.*

H. 1, 89, 4. *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent*] *Ancilia* juxta Ovidium *moveri* cœpta postridie Kal. Martias, aut forte ipsis Kal. Clare enim prodit ante tertiam noctem hoc factum. In duobus Kalendariis, quorum alterum sub Constantino, alterum sub Constantio confectum, ad VII Idus Martias: ARMA ANCILIA MOVENT. *Mota* dies triginta Polybius innuit Excerpt. legat. cap. XXIII. * τριακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θυσίας, ἐν ᾗ ἂν χώρᾳ καταληφθῶσιν οἱ Σάλιοι ὄντες. *ut quocunque in loco fuerint deprehensi Salii tempore triginta dierum ejus solemnitatis ex eo ne discedant.* Sed Suetonius Othonis egressum tangit propius, inchoasse scribens expeditionem non modo, ut noster, *motis nec dum conditis ancilibus*, verum *& die, quo cultores Deum matris lamentari & plangere incipiunt.* qui in iisdem Kalendariis, SANGVEN. IX. Kal. Aprilis, Martii quartus vicesimus.

Adspernatus est omnem cunctationem] Secutus MS. meum addidi verbum substantivum, quod a vulgatis hactenus aberat.

H. 1, 90, 1. *Pridie Idus Martias*] Ad quem diem in Kalendariis ante adductis: MAMVRALIA. SENATVS LEGITIMVS.

reliquias Neronianarum sectionum nondum in fiscum conversas revocatis ab exsilio concessit] Id est quod supererat e donationibus Neronianis, quas Galba revocaverat decima liberalitatis parte apud quemque relicta, H. 1, 20, 2. 3. 4. nondum exactum & distractum, iis, quibus ab exilio in Urbem redire per-

permiserat, & quorum bona publicata fuerant, concessit. Hic verus sensus horum verborum: quem Freinshemius non est assecutus. Existimat enim descripta consignataque fuisse ex bonis damnatorum quæ fisco petebantur. Partem eorum statim aut mox exportatam, partem in ædibus forte priorum dominorum relictam. Eam tum Othonem restitutis exsulibus restitui jussisse: sed vanum id beneficium reddidisse actores fisci, qui nimirum antequam id decretum publicaretur, ea de re certiores facti mature rebus suis providerint. Quæ enim ratio credi jubet Othonem, qui tam liberaliter distribuerit, quod nondum exactum, non æque prompte distributurum, quod male exactum esset? Verum non sic reddidisset locum hunc vir doctus, si sequens membrum cum Edd. ante Rhenanum legisset.

justissimum donum, & in speciem magnificum, sed festinata jam pridem exactione usu sterile] Reposui τὸ *jam pridem* a Rhenano immerito extrusum. Quippe quod sensus postulat & cujus absentia Freinshemio fraudi fuit. Vult enim donum hoc utcumque justissimum & in speciem splendidum inutile fuisse, quia Galbiani ministri omnia pridem exegerant. Præterea habent illud MSS. Meus & quidam Flor. Lipsio visus: tum Edd. ad Rhenanum usque.

H. 1, 90, 3. *Galerii Trachali*] Qui Cos. cum C. Silio Italico a. 821. *Turpiliani* cognomentum ei dant Onuphrius & Pighius ex Cassiodoro: *Marci* prænomen unde, adhuc quæro. Mox MS. meus ut Ed. Ven. *ad implendas populi aures.*

H. 1, 90, 4. *sed ex libidine servitii, ut in familiis*] Id est ut inter servos. MS. meus non abit ab Edd.

H. 1, 90, 5. *Profectus Otho*] Die XXIV. Martii, juxta ea quæ ante disputata. Quod si Otho die XCV Imperii se interfecerit, ut Suetonius in vita ejus prodit quod juxta Tacitum auspicatus est ex XVIII Kalend. Febr. H. 1, 27, 1. consequens inter profectionem ex Urbe ejusque mortem interlapsos dies septem & viginti, quibus gesta, quæ describuntur libro sequente usque ad caput quinquagesimum.

AD HISTORIARUM

LIBRUM II.

H. 2, 1, 4. *decor oris*] Ita recte Rhenanus videtur emendasse. Ed. Ven. *decori*. Beroaldi: *decoris*. MS. meus: *decorus*.

præsaga responsa] I. F. Gronovius legit: *præsagia, responsa*. MS. meus non mutat.

loco ominum etiam fortuita] Ita primus edidit Berneggerus, dubio procul recte. ut H. 1, 86, 5. H. 4, 26, 2. Ante perperam: *loco omnium etiam fortuna*. Sed *ominum* jam aliis visum: *fortuita* primum Grotio. Tamen Freinshemius se hujus correctionis tulit auctorem. MS. meus: *loco ominum etiam fortuna*.

H. 2, 2, 2. *Berenices reginæ*] Ad hanc pertinet Inscriptio sequens, Athenis adhuc exstans, relata Sponio:

ΗΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΚΑΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ
ΜΕΓΑΛΗΝ ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙ
ΛΕΩΣ ΘΥΓΑΘΕΡΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟ
ΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟ
ΝΟΙΑΣ ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟ
ΛΕΩΣ ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟΓΕΝΟΥΣ
ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

suo quam patris imperio modestior] MS. meus: *moderatior*. & sic pariter Pichenæ repertum in MS.

H. 2, 2, 3. *læva maris prætervectus*] Illa maris mediterranei loca, quæ Corintho Syriam (apud Savilium perperam, ex Syria Corinthum) petentibus ad lævam sunt.

inde Suriam audentioribus spatiis petebat] Theodorus Marcilius legit, *lentioribus spatiis*. Sed MSS. Flor. & Meus cum Edd. unanimes vulgatam propugnant; tum ipse sensus, per altum mare, remo-

tiori

tiori a littoribus & periculosiore cursu Syriam petitam innuens. Veteres enim etsi pyxidis nauticæ adminiculo destituti fuerint & propterea hiberno tempore rarius navigarent, per æstatem tamen cœli ductum astrorumque secuti, præcipue in mari interno, æque ac fit hodie, navigarunt. Plinius lib. II. cap. 47. *Iisdem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant.*

H. 2, 3, 1. Conditorem templi regem Aëriam *vetus memoria, quidam* ipsius deæ nomen id *perhibent*] Hæc lectio a Rhenano est, ex 3, 62, 4. *Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor Aërias,* &c. cum ante ederetur: *regem Venerianum.* quomodo etiam MS. meus. Flor. *uerianus.* Sed duæ posteriores literæ nota expressæ, quæ alibi *us.* Alciatus *Uranium* legit, sed de ingenio, non Codicibus manuscriptis, ut putavit Meursius. Rhenani emendationem firmat quod *Cyprus* etiam *Aëria* dicta, teste Hesychio. Ceterum Herodotus Ascalone, Palæstinæ opido, τῆς οὐρανίης Ἀφροδίτης fanum fuisse, indeque hanc derivatam scribit lib. I. cap. 105.

H. 2, 3, 2. *Fama recentior tradit*, a Cinyra sacratum templum] Ita scribitur regis hujus nomen in Flor. tum apud alios veteres. Unde apud Hesychium pariter scribendum, ut Meursius notavit: Κίνυρας (non Κιννυρὰς) Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνάκης παῖς, βασιλεὺς Κυπρίων. Hunc ab Agamemnone regno privatum apud Photium scribit Theopompus. Plinius ex Anacreonte centum & sexaginta annos vixisse refert lib. VII. cap. 48. Unde opes ipsius a Pindaro & Platone celebrantur.

& Cilicem Tamiram intulisse] Ita fere a Rhenano est editum (*Thamyram* enim reliquit, non *Tamiram*) cum ante: *e Cilicia myram* (vel *myrram*) *intulisse.* prorsus corrupte. Exsculpsit autem ex Bud. hanc lectionem, in quo: *& cilicentam miram intulisse.* quam Flor. adstruit plenius exhibens: *& Cilicen Thamyram intulisse.* Sed *Tamiram* scribendum Meursius ex Hesychio ostendit, apud quem: Ταμιράδαι, ἱερεῖς τινὲς ἐν Κύπρῳ.

H. 2, 3, 3. *tantum Cinyrades sacerdos consulitur*]

Apud Hesychium: Κινυράδαι ἱερεῖς Ἀφροδίτης. Hoc sacerdotium oblatum Ptolemæo, qui lege Clodia confiscatus, a Catone, Plutarchus scribit.

H. 2, 3, 4. *Hostiæ, ut quisque vovit; sed mares deliguntur*] Meursius * scribit se non conciliare Tacitum cum se ipso, qui cum hic hostias mactatas easque mares; & præcipue ex his hœdos dicat: paullo post scribat nefas fuisse effundere sanguinem; sed precibus, & puro igne, id est thure, adolere consuevisse. Sed non prodit Tacitus nefas fuisse effundere sanguinem: sed *sanguinem aræ offundere vetitum.* Minime igitur hæc pugnant.

* Cypr. cap. 16.

precibus & igne puro altaria adolentur] In Berneggeri Editione, operarum vitio, *altari*, editum, quod deinceps adhuc retentum. *Altaria* enim constanter Edd. & MSS. Flor. & Meus.

H. 2, 4, 7. *& inexpertus belli labor*] Ita dedit Rhenanus, ante quem: *& inexperti belli labor.* quomodo etiam Florentinus habet. Sed plerosque offendit vox *labor*, quoniam præcessit in superiori membro. Unde veram lectionem conservasse videtur MS. meus, in quo: *& inexperti belli labores.*

H 2, 7, 1. *Sed bellantibus aliis placuit exspectari bellum: cum victoribus victos numquam solida fide coalescere*] Hic locus varie editus: in Ed. Ven. *Sed bellantibus aliis placuit exspectari bellum: cum in victores victosque nunquam solida fides coalesceret.* quod insequentes Editiones occupavit, usque ad Freinshemium, qui Pichenæ conjecturam, Lipsio non improbatam, expressit: *placuit exspectari belli exitum: victores victosque numquam solida fide coalescere.* Et posterior quidem hujus lectionis pars a Florentino, in quo, *solida fide coalescere*, approbatur. Sed reliqua ab ingenio profecta, tametsi sensui non responset, a libris nimium abit. Cum vero in MS. meo offeratur: *S. b. a. placuit exspectari bellum: cum victoribus victos nunquam solida fide coalescere.* (quod Lipsio & Modio Agricolæ nomine laudatum, ignorantibus, utrum MS. an ingenio ejus debitum) & sic legatur partim in Ed. Ven. partim in alia, Lipsio teste, prisca, puto Romana; rectius me factu-

rum

rum existimavi, si horum auctoritatem sequerer. Non dissimulo tamen haud placere in hac lectione, *placuit exspectari bellum.* quoniam Vespasianus haudquaquam in animo habebat *exspectare*, donec sibi bellum inferretur, sed ipse id victori inferre meditabatur. Unde cum Mureto putem duntaxat *τὸ bellum* inducendum. Ut sit sensus Vespasianum Othone atque Vitellio de Imperio bellantibus haudquaquam consultum putasse horum bello intervenire tertium, sed quiescendo interim minatum se mox cum victore acturum. Ne vero consilium hoc minus salutare existimetur, additur ex ejusdem placito: *cum victoribus victos nunquam solida fide coalescere.* quo ostenditur Vespasianum bellantem cum victore in victo habiturum subsidium, quod non habiturus esset, si duobus bellantibus tertius intervenisset.

H. 2, 7, 3. *Vespasianus Mucianusque nuper Titi opera mixtis consiliis*] Ed. Ven. *nuper: caeterum olim mixtis consiliis.* Rhenanus: *caeteri olim.* quod deinceps retentum. Sed MS. meus: *nuper Titi opera m. c.* quod cum non displicuerit Lipsio, ignoranti unde profectum; & haud dubie sit Taciti, exhibere non dubitavi.

H. 2, 8, 1. *eoque pluribus vivere eum fingentibus*] MS. meus: *vivere confingentibus.*

H. 2, 8, 3. *& militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit, vel abnuentes interfici jussit*] Ita MS. Flor. idque postulat sensus. Edd. hactenus: *& abnuentes i. j.*

H. 2, 9, 1. *datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit*] Ita dedit Rhenanus ex Budensi. Edd. anteriores, tum MS. meus: *ad prosequendum eum, quibus.*

H. 2, 9, 3. *alloquendos sibi milites*] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Ed. Ven. & pleraeque aliae. Gruterus ex Ed. Rom. in qua *adequandos*, facit *adaquandos.* & in hac conjectura sibi placet. Et exstat verbum hoc apud Suetonium Galb. cap. 7. *ut ad lacum, ubi adaquari solebat duceretur capite involuto.* de jumento. Tamen utcumque se res de aquae tam in navibus quam insula defectu habuerit, allocutione inprimis opus fuit ad transitionem quam pro-

mittebant, suadendam. Et propterea conjectura hæc placet minus.

H. 2, 10, 2. *Annium Faustum*] MS. meus: *Anneum F.*

H. 2, 10, 4. *Ad hæc terrore & propria vi Crispus incubuerat*] Ita Beroaldi Ed. sed Ven. & Rivii. *Ad hæc terroris.* MS. Flor. *ad hunc terroris.* Meus: *ad hunc terrore.* Unde puto feliciter divinatum I. F. Gronovio: *ad hunc terrorem.* Id est præter hoc terriculum Senatusconsulti adhibebat Crispus omnes suas opes, utpote in privata caussa, quia fratrem ejus Neronis crudelitati Faustus objecerat.

H. 2, 10, 5. *quamvis invisum ac nocentem*] Sic Flor. Meus addita copula: *& quamvis invisum ac nocentem.*

H. 2, 11, 1. *motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus*] Ed. Berneggeri: *a Dalmatia.* credo errore operarum, etsi deinceps retentum. Nam anteriores tum MSS. Flor. & Meus, ut edidi. Ceterum ad hunc locum Savilius nonnulla congessit, quibus probare se putat Tacitum in narrando bello inter Othonem Vitelliumque gesto haud satisfacere Historiæ legibus. In quo adeo infeliciter mihi videtur versatus, ut Tacitum in plerisque quæ culpat, non intellexerit. Verum ut qui hæc dijudicare voluerint, minore tædio facere possint, ad loca singula, quæ accusantur, respondebo.

H. 2, 11, 3. *agmen legionum ala cohortesque præveveniebant*] Intelliguntur auxilia quatuor superiorum legionum, in quibus non multo minor militum numerus quam ipsis legionibus pro more. Savilius hic hæret.

H. 2, 11, 4. *Et ex ipsa Urbe haud spernenda manus*] Ita habent Edd. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Rhenanum usque, in cujus Editione uti & sequentibus cunctis omissa perperam particula copulativa: quam jubentibus MSS. Flor. & Meo, & flagitante sensu, rursus addidi. Hinc enim patet, quibus copiis præpositus Annius Gallus cum Vestricio Spurinna fuerint: corruuntque sic cavillationes, contra diligentiam Auctoris a Savilio factæ.

H. 2, 11, 5. *His copiis rector additus Annius Gallus cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas*

pra-

præmissus] *Spurinna Galli* aut Legatus, aut collega. H. 2, 23, 1. *Annium Gallum per literas docet.* H. 2, 19, 3. *ducis* nomine honestatur. Frustra autem Savilius rogat unde hi præmissi, cum Otho respiciatur, qui Roma profectus. Verba etiam *ad occupandas Padi ripas* non est adsecutus: quibus clare significat Auctor utrasque Padi ripas occupatas a duobus ducibus præmissis, & quæ austrum & quæ septemtrionem spectant; nec tamen per totum fluminis decursum: sed iis in locis, ubi Vitellianis transeundum erat. Idque factu fuisse opus attentus lector, sine admonitione sentit. Ripa enim australis insidenda, quoniam a septemtrione veniebant Vitelliani, Padum transituri: septemtrionalis, ut legiones e Dalmatia Pannoniaque venientes, sine periculo cum reliquo Othonis exercitu jungerentur: simul ne hostis ubivis transire posset. Ad hoc autem sufficiunt copiæ ab Auctore recensitæ, sed a Savilio male inspectæ, propter omissam copulam *&* in Edd. post Rhenanum, qua *quinque prætoriæ cohortes & equitum vexilla cum legione prima*, item *duo millia gladiatorum* (has ille tantum numerat) conjunguntur cum *binis millibus præmissis* e quatuor legionibus e Dalmatia Pannoniaque, quæ sequebantur; item cum *alis cohortibusque* harum legionum auxiliariis.

H. 2, 11, 6. *veterani e prætorio*] Qui sub vexillo habebantur ut omnes exauctoritati, & numero erant *mille*. Unde H. 2, 18, 1. *mille vexillarios* vocat. Quos Savilius in recensione totius Othoniani exercitus præteritos somniat.

H. 2, 12, 1. *quibus tentandis, aggrediendæque provinciæ Narbonensi*] Lipsius existimat duplex Othonianos habuisse mandatum, tentandarum alpium maritimarum, & Provinciæ invadendæ; idque his verbis contineri. Sed alpes maritimæ partem provinciæ Narbonensis constituebant.

H. 2, 12, 2. *ut adversus modestiam disciplinæ corruptus ita præliorum avidus*] Ita Flor. & Meus MSS. ut utrumque vitium intelligatur de Clemente, qui sicut nimis indulgens militibus sic pariter temerarius. I. F. Gronovius ad milites refert & propterea legit: *corruptos ita præliorum avidos.*

H. 2, 13, 2. *femina Ligus*] Ita & Sallustius Bell. Ju-

Jugurth. c. 93. *Forte quidam Ligus.* & sic Græci. Latinis frequentius *Ligur* & *Ligures*. Unde & meus MS. hic: *fœmina Ligur*.

latere respondit] Amicus putabat excidisse voculam, legebatque: *hic latere respondit*.

H. 2, 14, 3. *& quingenti Pannonii nondum sub signis*] Savilius nulla se imaginatione adsequi ait, unde huc delati *Pannonii*, & propterea suspicatur ex seqq. *Alpini*, hic rescribendum. Sed quæ hæc est crisis? An auxilia locis in quibus conscripta, semper affixa? Unde igitur *Vasconum lectæ a Galba cohortes* apud Geldubam, H. 4, 33, 5. *cohors Thracum* in Helvetia, H. 1, 68, 4. &c.

H. 2, 14, 6. *a latere saxis urgeret*] Hæc verba, quæ Rhenanus dicit non fuisse in suo MS. exserte habent Meus & Flor. cum quo etiam in sequentibus Meus consentit.

H. 2, 16, 2. *tanta mole belli nihil in summam p.*] Flor. *in summa*. item Meus, sed a secunda manu.

Corsorum viribus] Meus Cod. *C. navibus*.

H. 2, 16, 3. *Claudium Phirrhicum*] Idem: *Claudium Phiricum*. Flor. *Phirricum*.

Quinctium Certum] Cod. meus: *Q. Certum*.

H. 2, 17, 1. *faciles occupantibus & melioribus incuriosos*] Ita Flor. & Meus clare. nisi quod hic pro *occupantibus* exhibeat *occupationibus*. quod ideo moneo quoniam vir doctus corrigit, *m. incuriosis*. Neque enim hoc vult Auctor paratos fuisse obvio & invitanti, quoniam melior nemo esset aut curam adjungendi eos susciperet: sed quoniam ipsi parum solliciti caussa Othonis an Vitellii justior esset. Sed movit procul dubio insolentior constructio. Similiter tamen 14, 38, 3. *fames adfligebat serendis frugibus incuriosos*.

H. 2, 17, 3. *Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam*] Savilius hic sugillat, quod Tacitus non addiderit, qualis hæc cohors & unde Cremonam venerit. Sed mihi hoc satis clare indicasse videtur, ubi supra h. l. 11, 3. alas cohortesque quatuor legionum e Dalmatia Pannoniaque venientium agmen legionum prævenisse scribit.

H. 2, 17, 4. *raptis quibusdam exploratoribus*] Ita

Flor.

Flor. & Meus: *Rapere* ut Græci ἁρπάζειν & συναρπάζειν.

H. 2, 18, 2. *providentiam ducis laudantibus*] Cod. meus: *providentiam ducis laudare.* Flor. *laudari.* quo confirmatur Pichenæ ſententia, doctis jam probatæ, tres haſce voces perperam hic a librariis ex inſequentibus infertas. Non quod hæc verba ineptum hic faciant ſenſum: ſed quia non tam inops verborum Tacitus.

quin proditionem & accitum Cæcinam clamitabant] Hæc lectio eſt a Pichena, cui proluſerat Merceri ingenium: *quin proditione accitum C.* Berneggerus in contextu poſuit. In Flor. tamen & Meo, concorditer: *qui pro Othone & accitum Cæcinam clamitabant.* unde forte propius: *quin pro Othone & accitum Cæcinam clamitabant.* ut ſit ſenſus: tam parum memores ſacramenti, quo Othoni obſtricti eſſent, ut Cæcinam ultro acciviſſent. & pro etiam.

H. 2, 19, 1. *Is labor urbano militi inſolitus contudit animos*]. Sic clare Cod. meus. Flor. *contundit.*

H. 2, 19, 2. *Tum vetuſtiſſimus quiſque caſtigare credulitatem ſuam*] Berneggerus ex conjectura generi ſui hic edi curavit: *Tum inertiſſimus q.* quoniam hanc lectionem & ſcripturæ Editionum ante Rhenanum: *Tum mæſtiſſimus q.* & vero ſenſui convenientem credidit. Sed cum ſenſui nullo modo ſatisfacere poſſit hoc vocabulum (neque enim quid *inertiſſimus* quiſque, ſed quid fortiſſimus ſenſerit, attinebat) & Flor. item Meus habeant exſerte: *Tum vetuſtiſſimus q.* quomodo Rhenanus emendaverat, priſtinam lectionem reducere non dubitavi.

H. 2, 19, 3. *& inferentibus ſe centurionibus tribuniſque, laudare providentiam ducis*] In meo Cod. *laudare providentiam Principis.* quod a ſciolo ita mutatum, qui animadverterat verba hæc paullo etiam ante occurrere. Flor. *laudari providentiam ducis.* corrupte. Unde ut veriſſimum I. F. Gronovius exſculpit: *laudari providentia d.* id eſt laudabatur, nempe ab utroque genere.

H. 2, 21, 2. *dum regerunt*] Ita habet Ed. Rom. ſed Flor. & Bud. *dum repurtans gerunt.* niſi quod in Flor. *gerunt* ſit a recentiſſima manu. Meus Cod. *dum in hoſtes ingerunt.*

H. 2, 21, 3.

H. 2, 21, 3. *a quibusdam e vicinis coloniis*] Ita clare meus Cod. ad quem proxime accedit Flor. *a quibusdam & viciniis coloniis.* unde prætuli hanc lectionem vulgatæ hactenus, *e quibusdam vicinis coloniis*, ut planiorem.

invidiæ æmulatione] Ita Flor. Meus & Oxon. MSS. item Edd. usque ad Pichenam; qui de Mureti conjectura edidit, *invidia & æmulatione.* quod Berneggerus & sequentes postea Editores retinuerunt. Nec diffiteor, quin alibi hæc ut synonyma adhibeat. Nihilominus tot Codd. consensus Auctorem aliter hic locutum suadet. Nec ignotum id pleonasmi genus apud alios. Sic apud Iustinum lib. I. cap. 9. *indulgentiæ largitionibus.* juxta MSS. lib. VII. cap. 2. *gloria laudis.* lib. XVIII. cap. 7. *gloriæ laudes.* lib. XXXI. cap. 6. *assentationum adulationibus.* Apud Livium lib. VIII. cap. 24. *discrimen periculi.* Apud Suetonium Cal. 16. *fructus redituum.* Immo eadem figura sic locuti, qua *dormire somnum, pugnare bellum, lucere facem,* ab aliis collecta.

H. 2, 21, 4. *quocumque casu accidit*] Ita plerique MSS. & Meus. Rhenanus, quod insequentes retinuerunt, de ingenio dedit, *acciderat.*

H. 2, 21, 5. *& nox parandis operibus adsumpta*] Pichena & Freinshemius maluerunt ex Mureti conjectura *absumpta.* non video qua necessitate, cum *adsumpta* sensus æque toleret; &, quod caput, scripti præferant.

perfringendis operibus] Tò *operibus* ut nec in Flor. nec Bud. sic neque Meo comparet.

H. 2, 22, 5. *Et Cæcina, fama & pudore*] Ita meus Cod. Flor. *fama pudore.* absque copula quod non monerem nisi offendisset plerosque repetita paullo ante posita vox.

ne invisus ac vanus iisdem castris asideret] Cod. meus: *insideret.*

H. 2, 23, 3. *Bedriaci sistit*] Cod. meus hic & alibi: *Bebriaci.* sed Flor. *Bedriaci.* quam veriorem hujus nominis scripturam putat Cluverius. Pompejum Plantam, Iuvenalis Scholiastæ citatum, quem Lipsius se ignorare fatetur, suspicatur Reinesius Ep. XXVII, esse quem Plinius lib. X. Ep. 5. vocat Præfectum Ægypti, amicum Trajani.

In-

Inter Veronam Cremonamque situs est vicus] Cluverius *nimis laxe & parum chorographice Bedriaci* situm hic a Tacito designari putat. Ipse autem inter Mantuam & Cremonam illud ponit ad Ollium amnem, ubi hodie oppidum *Caneto*. Quod probare conatur Tabula Peutingerorum, in qua: *Cremona, De Loriaco* XXII, *Mantua* . . . ubi corrigit, *Cremona, Bedriaco* XXII, *Mantua* . . . Sed ut taceam sententiæ hujus fundamentum plane incertum, quam parum verisimile loci binis decretoriis præliis nobilitati situm Tacito, temporum æquali & in Italia nato, ignoratum. Quare probabilior Italorum sententia *Bedriacum*, oppidum *Binam* existimantium, ad eumdem fluvium, sed aliquanto superius, jacens. Immo ipsum nomen, quo hæc urbs hodie nominatur, non obscure hanc sententiam firmat, a *binis* olim præliis, quibus identidem Imperium ad alium translatum est, loco *Bedriaci* impositum. Hic enim vicus eo loci in via Postumia positus absque ullo errore *inter Veronam Cremonamque situs* dicitur, licet majore intervallo a *Verona* quam *Cremona* remotus; quoniam hæ duæ urbes, quas inter situs, in hac via præcipuæ. Intervallum enim inter *Binam* & *Veronam* circiter XLVIII milliarium hodiernorum, inter *Binam* & *Cremonam* tantum X, juxta Sansonis mappas. Totum autem intervallum *Veronam* inter & *Bedriacum* Antonius Primus sequenti bello duobus castris festinato agmine emensus est. H. 3, 15, 4. Nec contra hanc sententiam facit, locus H. 3, 27, 3. *mox vallum portasque legionibus attribuit* &c. *Proxima Bedriacensi via tertiani septimanique sumpsere; dexteriora valli octava ac septima Claudiana; tertiadecimanos ad Brixianam portam impetus tulit.* Neque enim in hoc loco *Bredriacensis porta*, ut Cluverius ait, a *Brixiana* discernitur, sed *Bedriacensis via* a *Brixiana porta*: nec sequitur si *Bedriacensis via* circa Cremonam, ergo Cremona etiam portam habuit tali nomine. Quod si tamen concedatur hæc sequela alterum quod ponit qui Cremona *Binam* eunt Brixiana porta exire, (unde *Binam* non esse *Bedriacum* porro infert) verum non existimo: neque enim *Bina* inter Cremonam & Brixiam in recta linea posita, sed oppidum *Ponte vico* cum ponte supra

supra Ollium, quatuor circiter milliariis supra *Binam* ad eumdem fluvium situm in Sansonis mappis. Potuit igitur Cremonæ & Bedriacensis porta fuisse, & Brixiana, ambæ diversæ: potuit Brixiana sola Brixiam duxisse & Bedriacum, sed viis diversis.

H. 2, 23, 6. *omnia quæcumque facta*] Flor. *omnia quo cũ facta.* Meus: *omnia que ducum facta.* Sed *ducum* a manu secunda, eraso quod fuerat a prima. Unde probo Freinshemii conjecturam scribentis: *omnia ducum facta.*

variis criminibus incessebant] Hactenus hic legebatur, *incesserant.* Sed cum sensus postulet, *incessebant*, & hoc in meo Cod. reperirem, exhibere non sum veritus.

H. 2, 23, 8. *Interea Paullini & Celsi ductu*] Flor. *Interea Paullini & consilii ductu.* Meus: *Interea Paullini consiliis & ductu.* *Celsus* tamen in sequentibus memoratur.

H. 2, 24, 3. *Ad duodecimum a Cremona, locus Castorum vocatur*] Savilius locum hunc octo minimum milliariis a Bedriaco dissitum prodit, cujus auctoritate nescio. Cluverius vicum putat *Pieve di S. Mauritio*, IX passuum millia a *Caneto*, XII a Cremona distantem. In Sansonis Mappis paullo ultra hunc locum ad *Delmonam* amnem ponitur *Pieve di Mortino*, scilicet in quartodecimo a *Cremona* milliari, sexto a *Caneto*, decimo fere a *Bina*. Unde hunc vicum *Castorum* olim vocitatum credi vetat situs. At in iisdem Tabulis in *Delmonæ* sinistro latere, non longe a ripa, occurrit oppidulum *Vescovato*, IX circiter milliaribus a *Cremona*, IV a *Bina*, remotum: hoc *Castorum* vocabulo prius indigitatum veritati propius duco. Sed de hoc gnari locorum viderint.

H. 2, 24, 3. *equites procedere longius jussi*] Flor. & Meus: *jussit.* in Meo etiam, *refugere*, pro *refugi.*

H. 2, 24, 5. *aggerem viæ tres prætoriæ cohortes altis ordinibus obtinuere*] Ante hic edebatur *arctis o. o.* Sed cum in Flor. & Meo MSS. sit, *altis o. o.* idque hic proprium, sic edendum curavi. Vegetius lib. III. cap. 15. *Si angustior locus sit vel multitudo sufficiat, inde etiam novem vel amplius acies ordinari convenit. Magis enim expedit, ut conferti pugnent quam longius sepa-*

separati. Via autem hic intelligitur *Postumia*. H. 3, 21, 3.

dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus] Usque ad Pichenam hic edebatur: *vexillaribus c.* & sic in MS. Flor. legitur. Pichena motus Merceri rationibus vulgatam lectionem movit loco, reposuitque, quod idem voluit, *auxiliaribus*. In meo MS. *vexillariis* scribitur, non *vexillaribus*. Qua lectione una rationum ob quas Mercerus mutatum ivit, perit; quod scilicet *vexillarium* non *vexillarem* & *vexillariis* non *vexillaribus* alios dici observarit. Nec *vexillariis* legionum non veteranis cohortes negari existimo, si observetur portiones legionum maximas sub *vexillis* procul ab suis aquilis habitas, ut H. 3, 22, 2. &c. Restat igitur sola Merceranæ emendationis tertia ratio, quod *auxilia* perpetuo militiæ Romanæ more legionis latus claudere debuerint. Sed & hunc consuetudinem fuisse ex illis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον fierent, patet ex octo Batavorum cohortibus, discordia temporum a legione quarta decima, cujus erant auxilia, digressis H. 1, 59, 2. Unde nihil opus fuisse mutatione consequens videtur.

H. 2, 25, 2. *a lateribus cohortes legionum adversa fronte*] Nec Lipsius nec Freinshemius hic deæ Criticæ litant. Salinerius vidit sensum: videlicet a lateribus cohortes legionum, statim atque hostis in insidias devenit, se utrimque in eum convertisse.

H. 2, 25, 4. *aperiri campum*] Cod. meus: *aperiri campos.*

H. 2, 25, 5. *vulneratur rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens*] Savilius de hoc rege quærit cujus regionis? quæ illuc fortuna devexerit? de illo postea quid actum? Quod quoniam putat frustra nunc quæri, Tacitum non obscure, ut solet, negligentiæ taxat. Sed quam vellem virum hunc & amœniore paullo & patientiore ingenio fuisse. Non ita temere nodos quæsivisset in scirpis, aut si reperisset, pro doctrina, qua instructus fuit, facile solvisset. Josephus enim hic abunde satisfacit, docens lib. VII. B. J. cap. 27. Antiochi (cujus mentio H. 2, 81, 1.) Commagenes regis filium fuisse, insigni fortitudine præditum, qui Vespasiano Principe cum pater regno

gno a Pæto Syriæ præside exutus esset ad Vologesem Parthorum regem transfugerit, simul cum fratre Callinico, postea impetratra venia simul cum patre & fratre in magno honore Romæ vixerit. Unde haud difficilis responsio ad reliquam quæstionem, qua fortuna in hanc expeditionem venerit? nimirum cum Romæ eò tempore quo Otho contra Vitellium movebat, commoraretur, aut obses, aut negotiorum patris procurandorum caussa, una cum tot illustribus viris Principem comitatum. Quæ a Iosepho nobis de hujus patre historia conservata periit apud nostrum cum Vespasiani gestis.

H. 2, 27, 1. *reverentius & æqualius duci parebant*] Cod. meus: *æquabilius.* quod videtur præferendum. *Æqualis* enim par, similis: *æquabilis*, unius tenoris, æquus, constans, moderatus. Unde *æquabilitas vitæ* apud Ciceronem.

H. 2, 27, 3. *ut cujusque legionis tentoria accessissent*] Flor. & Meus: *ut cujus legionis t. a.*

H. 2, 28, 2. *fremere legiones*] Savilius miratur fremuisse legiones eorum discessu, quos illis invisos reddiderat infamis licentia (ita vocat jactationem) nisi Tacitus sit falsus in proxime antecedentibus verbis. Sed jactatio hæc non respiciebat omnes legiones, sed duntaxat quartam decimam, cujus erant auxilia: hæc autem in castris adversis tum commorabatur. H. 2, 11, 2. Quomodo igitur hæc ἀσύστατα?

H. 2, 29, 3. *Tum Alphenus Varus*] Cod. meus: *Alphenius.* sed postea sibi non constat. Rupertus nepotem suspicatur *P. Alphenii* vel *Alfinii Vari*, qui de sutore Cremonensi Jureconsultus; & Consul a. 755. cum P. Vinucio.

H. 2, 29, 4 *patientia*] Sic MSS. Flor. & Meus: scilicet non obitarum vigiliarum. Lipsius maluit, *pœnitentia.*

H. 2, 29, 6. *paucos incusavit*] Lipsius, *paucis.* Sed MSS. Flor. & Meus nil mutant: dein verba, *ne dissimulans suspectior foret*, vix admittunt hanc emendationem. Nisi enim nominatim quosdam incusavisset, æque suspectus fuisset, breviter de seditione dicens ac plane tacens. Tantum cavit ne cujusquam supplicium deposceret.

H. 2, 30, 3.

H. 2, 30, 3. *& quodam inani favore*] Vir doctus malebat: *inanium favore.* ut 13, 8, 4. *specie inanium validus.* Sed MSS. nil mutant: & in vulgata *favor* passive ponitur.

H. 2, 31, 2. *contra illi initium belli nemo imputabat*] Cod. meus: *nemo non imputabat.* Male, ut puto. Etsi enim ex historiæ veritate belli hujus principium a Vitellio cœperit, Tacitus tamen dicere hic intendit, præ segnitia & socordia a nemine pro ejus auctore habitum.

Vitellius ventre & gula sibi ipsi hostis] Flor. *sibi inhostus.* quod Salmasius arripit ad Solinum & explicat iniquus, injustus, ab *hostus*, quod mensuræ genus: sed nullum adducit exemplum, quo vocabuli hujus Latinitatem probet. MS. meus: *sibi hostibus.* Nicolaus Heinsius ex Flor. lectione faciebat: *sibi infestus.* Vulgata veterum Edd. auctoritate nititur.

H. 2, 32, 2. *Britannicum militem hoste & mari distineri*] Cod. meus: *detineri.* quod videtur *mari* convenientius.

H. 2, 32, 3. *atque ipso transitu exercitus vastatam*] Flor. & Meus: *vastam.* cujus istud videtur interpretamentum. Virgilius lib. IX. *Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.* similiter *vastitas* pro vastatione. De quibus adeundus Nonius. Iterum exhibet vocem hanc MS. meus H. 4, 50, 7.

nec exercitum sine copiis retineri posse] Id est sine commeatu. Sic 2, 60, 5. H. 4, 22, 2. Symmachus lib. I. Ep. 55. *Nam & qui procul absumus, curas ac vigilias tuas communis patriæ copiis & satietate sentimus.* ad Probum prætorio Præfectum, inter cujus curas frumenta in alimoniam Urbis colligere. Vide ibi Juretum.

H. 2, 32, 5. *Contra ipsis omnia opulenta & fida: Pannoniam* &c.] Cod. meus: *opulenta & fidam Pannoniam.*

Senatumque & populum, nunquam obscura nomina] Cod. meus: *Senatumque & populum R. nunquam o. n.* & sic H. 1, 55, 4. *Ac ne reverentiam imperii exuere viderentur in Senatus Populique Romani obliterata jam nomina, sacramenta advocabant.*

etsi

etsi aliquando obumbrentur] Flor. *etiam a. o.* Meus: *etiam ut a. o.*

H. 2, 33, 1. *paucos ante dies lapsu equi adflicto*] Hæc procul dubio caussa, cur non interfuerit prælio ad *Castoris*: quod Tacitus silentio ibi præteriit, quo variando operi hic insereret. Vide ad H. 2, 52, 1.

H. 2, 33, 3. *summæ rerum & Imperii se ipsum reservaret*] Cod. meus: *summam rerum.* quomodo & Rhenanus in Bud. se reperisse testatur.

H. 2, 33, 4. *& Otho, cui uni &c.*] Flor. & Meus: *& ut Otho.* quomodo & Budensem habuisse Rhenanus prodit. Unde is: *& Otho, ut cui uni &c.* Sensus: Et Otho, ut in quo uno omnem spem miles habebat repositam dum & ipse omnia a militibus exspectat, operam ducum inanem reddiderat: dum enim ipse non aderat fidem & pondus, & momentum jussis ducum addere non poterat, ut ea tamquam fidelia fidelis exsequeretur miles.

H. 2, 34, 3. *jactis super anchoris, quæ firmitatem pontis continerent*] Ita Flor. & Meus: & sic in Budensi reperit Rhenanus, cum Editiones hactenus, *jactis insuper anchoris*, nullo bono sensu. Vult enim Tacitus navibus, ad anchoras contra decursum fluminis collocatis, superjectum pontem. Sine anchoris enim naves adversum in flumen dirigi aut retineri, sic ut ubi crevissent aquæ adscendere possent, non poterant. Miror autem Rhenanum Codicis sui sensum non vidisse: ex *super* enim facit *superne*. Naves autem *super anchoris dirigi* dicuntur, ut *stare in anchoris.*

H. 2, 35, 3. *Et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur*] Ita Flor. & Meus. Editi hactenus: *immixti.*

H. 2, 36, 1. *Et prælium quidem abruptis, quæ supererant navibus fuga diremptum*] Ita Flor. & Meus. Editi hactenus: *superfuerant.* Sed nec *abruptis* sanum videtur. *Abrumpi* enim dicuntur quæ conjunctæ cum aliis, separantur. Unde I. F. Gronovius tentabat: *abreptis.* id est raptim abductis, quæ ab hostibus captæ aut mersæ non erant. Nisi respectu insulæ ad quam appulsæ *abruptæ* dicantur postquam ad suam ripam reversæ sint.

H. 2, 36, 3. *jussu Othonis*] Qui tunc adhuc in castris

-stris Bedriaci : subjicitur enim 39, 1. *Profecto Brixellum Othone.*

H. 2, 36, 4. *lato milite & ad mutationem ducum*] Ita Flor. & Meus. Editi hactenus absque copulativa.

H. 2, 37, 2. *vetustissimus consularium*] Quadriennio ante Consul fuerat a. 819. 16,14,1. & omnium, qui circa Othonem, præter Imperatoris fratrem, Consularium primus.

H. 2, 37, 3. *ut concesserim*] Cod. meus : *ut consenserim.*

H. 2, 37, 4. *magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios*] Cod. meus : *egestatisque & scelerum.* in sequentibus cum Flor. & Edd. post Rhenanum convenit : *nisi pollutum obstrictumque meritis suis P. p.* Ante autem legebatur : *obstrictumque moribus suis P. p.* non malo etiam sensu : qui non electuri erant Imperatorem, nisi talibus moribus præditum, cui suos imputare possent.

ne dum Othonis aut Vitellii exercitus] Ita edidi ex Cod. meo. In editis hactenus : *Othonis ac Vitellii.*

H. 2, 40, 1. *Confluentes Padi & Adduæ fluminum sedecim inde millium spatio distantes petebant*] Ita Flor. In Meo : *Padi & Agdæ.* Editiones ante Lipsium : *Padi & Abduæ.* Sed *Adduæ* vetus fluvii nomen Lipsius adstruxit ; & hodiernum, *Adda*, firmat. Hic autem Pado miscetur in loco a *Bina*, sive *Bedriaco*, quindecim milliaribus hodiernis in occasum distante. Cum autem quatuor hodierna quinque faciant vetera, habes distantiam a Tacito adsignatam, ad amussim quadrantem. *Inde* enim respicit locum *ad quartum a Bedriaco* non *Bedriacum.*

H. 2, 41, 1. *colloquium ejus postulantes*] Cod. meus: *expostulantes.* & paullo ante : *Eodem die.* Suetonius Oth. cap. 9.

H. 2, 41, 3. *& mirum dictu, a paucioribus Othonianis* &c.] Hinc H. 2, 44, 5. *pulso equite.* & H. 3, 2, 7. 8. *Equites vero ne tum quidem victos, sed quamquam rebus adversis, disjectam Vitellii aciem. Duæ tunc Pannonicæ & Mœsicæ alæ perrupere hostem.* A fama autem hujus victoriæ deceptus videtur Iosephus, qui lib. IV. B. J. cap. 33. Καὶ γενομένης συμβο-

λῆς κατὰ Βρηδριακὸν τῆς Γαλατίας πρός τε Οὐάλεντα καὶ Καικίνναν τοὺς Οὐιτελλίου στρατηγοὺς τῇ πρώτῃ μὲν ἡμέρᾳ περιῆν Ὄθων, τῇ δευτέρᾳ δὲ τὸ Οὐιτελλίου στρατιωτικόν. *Habito autem apud Bedriacum Galliæ Cisalpinæ prælio cum Valente & Cæcina Vitellii ducibus, primo die Otho superavit, altero Vitelliani.*

Italicæ legionis virtute deterriti sunt] Ita Flor. & Meus: tum Edd. ante Rhenanum, qui *territi* dedit, quod in sequentibus retentum.

H. 2,41, 5. *Incertus undique clamor, accurrentium volitantiumque: ut cuique audacia* &c.] Ita præclare Cod. meus, cum Editi ante Rhenanum: *accurrentium, clamantiumque: & ut c. a.* Hic vero delevit primus *que*. Dein Pichena de conjectura dedit, quod insequentes retinuerunt: *accurrentium, vocitantium: & ut cuique audacia.* Sed *clamor vocitantium* tam parum Taciti lingua, quam *clamor clamantium*. Flor. etiam magnam partem confirmat Codicis nostri lectionem. Habet enim: *currentium clamantium ut cuique audacia.* a prima manu: dein super transfixis tribus prioribus τοῦ *clamantium* literis correctum: *vo.* Denique sequenti membro clare confirmatur lectio hæc. Τὸ *prorumpebant* enim *accurrentes*; *revehebantur*, *volitantes* respicit. *Volitare* autem ita 2, 21, 3. 12, 34, 1. & alibi.

vel revehebantur] Ita clare Cod. meus. Flor. *aut relebebantur.*

an in ipsa Othonis parte] Ita Flor. & Meus. Item Edd. ante Rhenanum. qui præpositionem delevit. Sic cap. seq. *e parte Othonis*. Suetonius Iul. cap. 65. *L. Caßium partis adversæ supplicem ad se recepit.* & sic sæpe.

H. 2,42,3. *Tum incubuit hostium acies*] Cod. meus: *Tunc.* & paullo post: *per loca arboribus ac vineis impedita.*

H. 2, 42, 4. *cominus eminusque*] Ita Rhenanus, consentiente MS. meo. in quo mox: *catervis ac cuneis.*

noscentes inter se, ceteris conspicui in eventum totius belli certabant] Cod. meus: *noscentes inter se conspicui. ceteri in eventum belli certabant.* Certe non placet: *noscentes inter se.* Forte: *noscentes invicem se.*

H. 2, 43, 2. *stratis unaetvicesimanorum principiis*]

Ita

Ita Flor. & Meus. id est cæsis qui in prima acie stabant. Editiones ante Rhenanum: *principibus.* quod oscitanter Lipsius præfert. Neque enim *principes* in prima acie, sed hastati. Et corrigere se videtur vir doctus lib. IV. de Mil. Rom. Dial. 3. dum ad hunc ipsum locum notat: *Nam & prima acies alibi principia dicta.* Ut 4, 2, 4. tum apud alios auctores: sicut docet I. F. Gronovius lib. IV. Observ. cap. 10.

H. 2, 44, 1. *Immensum id spatium: obstructæ strage corporum viæ*] Savilius *Bedriacum* ad vigesimum milliare a loco in quo pugnatum scribit dissitum tamquam e Tacito: juxta Plutarchum, stadiis CL, sive paullo infra nonum decimum. Et hinc mox grandem Tacito scribit dicam, tamquam ἀδύνατα scripserit: videlicet uno die sedecim milliaria confecisse exercitum, in hostem pugnasse, cæsum & in fugam conjectum, viginti milliarium viam emensum & tamen noctem prævertisse suo Bedriacum adventu, medio mense Aprili. Quæ penitus ficta & falsæ hypothesi nixa sunt. Nam neque Tacitus neque Plutarchus hanc distantiam a *Bedriaco* tribuunt loco in quo prælium contigit. Ille enim supra h. l. 38, 4. promota *ad quartum a Bedriaco castra* ait a Proculo; *ibi de prælio dubitatum, Othone per literas flagitante ut maturarent.* Hinc (sequenti die juxta Plutarchum) 40, 1. *Confluentes Padi & Addua fluminum sedecim inde millium spatio distantes* petitos, Celso & Paullino abnuentibus: cum Proculus nihilominus pergeret, 40, 4. adventasse Numidam equitem cum atrocibus Othonis mandatis, quibus *increpita ducum segnitie rem in discrimen mitti jubebat.* Plutarchus militem iratum *Bedriaco* ad prælium profectum duce scribit Proculo, & castra posita, ἀπὸ πεντήκοντα σταδίων, *quinquaginta inde stadiis.* Τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ βουλόμενον προάγειν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ὁδὸν οὐκ ἐλάττονα σταδίων ἑκατὸν, οἱ περὶ τὸν Παυλῖνον οὐκ εἴων ἀλλ᾽ ᾤοντο δεῖν περιμένειν καὶ μὴ προπονεῖν ἑαυτοὺς &c. *Sequenti die volentem movere in hostem, per spatium non minus centum stadiorum, qui cum Paulino non permittebant, sed permanendum nec se in antecessum fatigandos censebant.* reliqua apud Plutarchum cum Taciti narratione conveniunt. Neuter locum

pugnæ viginti milliariis a *Bedriaco* removet. Immo ex Tacito non obscure colligimus, non propter aliud petitos *Padi & Adduæ Confluentes* ab Othonianis, quam ut Vitellianos apud Cremonam castra habentes ad prælium elicerent. Ideo enim Celsus & Paullinus, cum perventum esset ad quartum a *Bedriaco* lapidem, sese opponebant huic itineri, quod hostis occasionem minime esset neglecturus, si pergerent, quominus ipse *expeditus & vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos in agmine, aut dispersos & vallum molientes aggrederetur.* Quorum primum, cum Titianus & Proculus nihilominus pergerent, statim accidit. Unde consequens prælium hoc quartum a Bedriaco lapidem inter & Cremonam commissum: vel, si propius lubet intueri, inter quintum a *Bedriaco* (ad quem consedit nocte victoriam insequente Vitellianus exercitus H. 2, 45, 1.) & quartum a Cremona lapides, H. 2, 40, 2. Distat autem oppidum *Bina*, sive *Bedriacum*, decem circiter milliariis hodiernis a Cremona. Cum vero hodierna ad vetera sese habeant ut quatuor ad quinque, efficitur, Cremonam a *Bedriaco* duodecim milliaribus veteribus cum dimidio dissitum. Vide H. 3, 15, 5. & 18, 1. *Immensum autem id spatium* a loco in quo pugnatum, *Bedriacum* usque, vocat respectu fugientium, qui vehementer defatigati omnes, pars vulnerati erant. Unde non probabam amici conjecturam τὸ *id* (quod ambo MSS. Flor. & Meus exhibent) inducentis, ut longitudo hæc immensa non locum, in quo pugnatum, sed cadavera viam obstruentia respiceret.

neque enim civilibus bellis capti in prædam vertuntur] Ita Flor. & Meus. Editi hactenus: *civilibus præliis.*

H. 2, 44, 5. *nullo proprio crimine ejus*] Cod. meus destituitur relativo.

H. 2, 44, 6. *& si ita ferret*] Acidalius putabat: *& si fors ita ferret.* Sed similiter 3, 15, 1. *sociam se cujuscumque fortunæ & si ita ferret, comitem exitii promittebat.*

H. 2, 45, 1. *Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit*] Ex hoc loco juncto cum H. 2, 40, 2. patet evidentissime prælium contigisse

se inter quartum a Cremona & quintum a Bedriaco lapides. Distat autem Cremona a *Bedriaco* duodecim milliaribus antiquis cum dimidio, uti exputavimus ad H. 2, 44, 1.

H. 2, 46, 2. *bonum habere animum jubebat*] Flor: *haberet*. Sed Meus uti editum. Vide ad 13, 13, 5.

H. 2, 46, 3. *furore quodam & instinctu flagrabant*] Meus Cod. voce auctius: *f. q. & amenti instinctu flagrabant*. qui opponitur *cœlesti* aut *divino*. & mox: *promptissimus Plotius Firmus*.

H. 2, 46, 5. *aut induraverat*] Cod. meus: *induruerat*. ut H. 3, 61, 6. *gregarius miles induruerat pro Vitellio*.

H. 2, 47, 1. *tanto pulchrior mors erit*] Tò *tanto*, quod summovit Rhenanus, ad Budensem Codicem; in Flor. & Meo exstat. Mox iidem: *nec tempus e.*

H. 2, 47, 5. *sed este superstites*] Cod. meus: *sed estote s.* ut Muretus voluit. an quod verum Cornelii Frontonis præceptum, quo differre docet *videte & videtote*. *Videte* Imperat. *Videtote* mandat. Vide Vossium lib. III. de Analogia cap. 14.

H. 2, 48, 1. *neu remanendo*] Ita Flor. & Meus. Rhenanus: *remorando*. mox Meus, ut Edd. ante Pichenam: *monebat*.

H. 2, 48, 2. *studio erga se aut in Vitellium contumeliis*] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, qui *in* perperam ejecit: cum *erga* bonum, *in* malum denotet, & Auctor passim ita distinguat.

H. 2, 48, 5. *post Julios, Claudios, Servios*] Ita Flor. & Meus, & si Ursino credimus, MSS. omnes. Edd. aliquot ante Lipsium, *Sergios*. Sed *Sergia* gens, e qua Catilina & *Sergius Paulus*, nil ad Imperium: contra Imperator *Galba* prænomine fuit *Servius*: idque Sulpiciæ genti tam familiare, quam Claudiæ Appius aut Tiberius. Hinc non ad *Sulpiciorum*, sed Σερβίων οἶκον refertur a Plutarcho. Legitur quidem in nummo Croyiaco: IMP. SERG. GALBA AVG. TR. P. P. P. & in alio apud Occonem, nuper auctum: SERG. SVLP. GALBA. IMP. CAES. AVG. TR. P. P. P. sed cum in centenis aliis ejusdem Principis SER. & in duobus gentis Sulpiciæ, L. SERVIVS RVFVS. in hoc loco MSS. *Servios*, videntur aut sculptores istorum nummismatum lapsi, aut de-

descriptores, aut ipsi nummi ab æruscatoribus interpolati: quod antiquariis, qui eos deinceps tractaturi sunt, dijudicandum relinquo.

H. 2, 49, 5. *vulnus manusque ejus exosculantes*] In Cod. meo desideratur relativum.

H. 2, 49, 6. *Othoni sepulcrum exstructum est, modicum & mansurum*] Plutarchus Othone: Κρύψαντες δὲ τῇ γῇ τὰ λείψανα τοῦ Ὄθωνος, οὔτε μεγέθει σήματος οὔτε ἐπιγραφῆς ὄγκῳ τὸν τάφον ἐποίησαν ἐπίφθονον. Εἶδον δὲ ἐν Βριξίλλῳ γενόμενος καὶ μνῆμα μέτριον. Τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, δηλώσει Μάρκου Ὄθωνος. *Postquam reliquias Othonis humo mandaverant: sepulchrum nec conditorii mole nec tituli tumore fecerunt invidiosum. Vidi ego cum Brixelli essem & modicum monumentum, & inscriptionem hujuscemodi: M. OTHONIS.*

H. 2, 50, 1. *septimo & tricesimo ætatis anno*] Dissentit Suetonius Oth. cap. 11. *& celeriter (ita præceperat) funeratus, XXXVIII ætatis anno, & XCV Imperii die.* Sed cum natus fuerit IV. Kal. Maji a. 785. ipso Tranquillo teste, cap. 2. Initium autem Imperii Othonis inciderit in XVIII Kal. Februarii, sive diem quintumdecimum Januarii anni 822, quo Galba cæsus juxta Tacitum H. 1, 27, 1. consequens Othonis necem incidisse in nonumdecimum Aprilis diem, qui quintus & nonagesimus Imperii ejus. Defuerunt igitur Othoni cum moreretur de septem & triginta annis dies novem. Hinc apud Suetonium corrigendum, XXXVII *ætatis anno.* Xiphilinus lib. LXIV. ut in annis ætatis Tacito concors, sic in diebus deficientibus Suetonio discors: Τοῦτο τὸ τέλος τῷ Ὄθωνι ἐγένετο, ζήσαντι μὲν ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη, ἕνδεκα ἡμερῶν δέοντα· ἄρξαντι δὲ ἡμέρας ἐνενήκοντα. *Otho hunc vitæ finem habuit, cum vixisset annos triginta septem, detractis diebus undecim; imperasset dies nonaginta.* Mirari autem subit Savilii inconsiderantiam Tacitum hic negligentiæ accusantis, quod mensem cædis non expresserit, cum is prodat eam contigisse tempore *Cerealium ludorum* H. 2, 55, 1. quos mense Aprili celebrari nemo rituum Romanorum vel leviter peritus ignorabat.

H. 2, 50, 4.

H. 2, 50, 4. *avem invisitata specie*] Id est ante non visa. Ita ex Flor. edidi pro vulgato hactenus, *inusitata.* quoniam *invisitatus* proprium hic vocabulum, idque a librariis plurifariam in notius, *inusitatus*, mutatum.

H. 2, 51, 1. *Verginius per aversam domus partem furtim digressus*] Ita edidi secutus MSS. Flor. & Mei auctoritatem, cum hactenus *portam* Editiones præferrent. Iidem quoque *adversam* habent, pro Edd. *aversam*: in quo non auscultari. Sic H. 3, 70, 8. *Et monuit Martialem, ut per secretam ædium partem occulte abiret.* & plane ut hic, H. 3, 85, 1. *Vitellius capta urbe, per aversam palatii partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* ubi sinceri ambo MSS.

H. 2, 52, 1. *dein Mutinæ relicta*] Auctoris diligentia nihil præterit memorabile in historia hujus belli, quidquid etiam cavilletur Savilius. Et sicubi suo loco aliquid tale omittit, studiose facit, quo lectoris attentionem excitet. Verum quod ita præteriit mox data occasione diligenter interserit. Hoc autem narrationem ejus elegantissime variat. Ut hoc loco & supra H. 2, 23, 6. 33, 1. infra H. 3, 26, 1. Plutarchus autem vix aliquid adfert memorabile, quod ex hoc fonte non hauserit, quidquid etiam in contrarium Interpretes dicant.

Illuc adverso de prælio allatum] Sic ambo MSS. Flor. & Meus: item Editiones ante Rhenanum, qui, *de adverso prælio.* quomodo deinceps editum.

H. 2, 52, 3. *nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpæ tutiore*] Ita scripsi ex MS. meo, cum vulgata hactenus sensu destitueretur: *inter multos societate culpæ tutior.* Unde Lipsius faciebat, *tutiores.* Sed meus Cod. sensum evolvit.

H. 2, 53, 1. *Notabile in Verginium fuit, quod Licinius Cæcina Marcellum Eprium, ut ambigua disserentem invasit*] Hactenus hic legebatur: *Notabile jurgium inde fuit, quo L.* &c. Cum tamen non constet quæ nam illa *ambigua*, quæ jurgandi cum *Eprio* caussam *Licinio Cæcinæ* præbuere. Suspicionem insuper mendæ Flor. præbet, exhibens: *Notabile Virgenium fuit, quo.* Unde cum meus MS. habeat clare: *Notabile in Virginium fuit, quod.* hanc tamquam ve-

ram lectionem reduxi, qua lucem accipiunt *ambigua* hactenus obscura. Videlicet ab *Eprio Marcello Verginium* monstratum, velut dignum Imperio: forte dum eum æque ac Vitellium Senatus disquisitioni subjicit. Ut enim hic a Germanicianis Imperator electus erat, sic ille olim flagitatus fuerat & ab Othonianis post Othonis necem iterum tentatus est. H. 2, 51, 1. Restabat Senatus judicium. Hic vero propterea nunc Mutinæ coiit, & cum nihil decrevisset, paullo post iterum Bononiæ. Hanc igitur sententiam invasit *Licinius Cæcina* ut *ambiguam* & novarum rerum molitricem. Similiter Suetonius Tib. cap. 12. *Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones, a commeatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua & quæ tentare singulorum animos ad novas res viderentur.* Infra *incerta* vocat H. 3, 3, 2. *non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset.* Nam ne hæc *ambigua* de Vitellio a *Marcello* putemus dicta, a *Cæcina* in Othonis, adhuc viventis, gratiam carpta, obstat metus, in quo tum Senatores fuisse dicuntur, *ne prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepisse victoriam crederentur.* H. 2, 52, 3. *Licinius* autem hic *Cæcina* videtur *C. Licinius Cæcina Largus*, qui Cos. cum Claudio a. 795. de quo vide ad 11, 33, 3.

H. 2, 53, 3. *Et rediere omnes Bononiam, rursus consulturi*] Ita meus Cod. clare. Editiones hactenus: *rursus consiliaturi.* quod ne Latinum quidem. Unde Rhenanus & Vertranius, *consilituri.* tamquam de Saliorum tripudiis & saltatu sermo esset. Sed meus Cod. *consulturi.* Flor. præfert quidem, *consiliaturi:* sed librarium errasse ex eo patet, quod idem paullo ante H. 2, 37, 2. pro *vetustissimus consularium*, exhibeat *v. consiliarium.*

H. 2, 54, 2. *rapidus in urbem vectus*] Flor. & Meus ut Bud. *rapidum urbem vectus.* Unde Rhenanus: *rapide in urbem vectus.* posset &, *rapidius*, ut H. 4, 70, 6. *Eo rapidius Cerealis* &c. *tertiis castris Rigodulum venit.*

H. 2, 55, 1. *Cereales ludi ex more spectabantur*] Videlicet interea, dum quæ de prælio ad Bedriacum

& Otho-

& Othonis nece proxime narrata, contigere. Perperam igitur Tacitum Savilius carpit, quod mensem quo Otho se interemit, non adjecerit. *Cereales* enim *ludi* non modo mensis vicem, sed & dierum præstant; quippe qui celebrati ex die Aprilis duodecimo ad ejusdem nonumdecimum. Kalendarium vetus marmoreum:

F N LVDI CERERI
G EID. NP
LVDI
H N LVDI
A FORD. N P. LVD
B N LVDI
C N LVDI
D N LVDI
E CER. N LVD IN CIR

Aliud a. Ch. 325 confectum:

	D f	*Prid.*		*Ludi Cerealici*		CMXXIV.
	E g	*Idib.*		*LVDI.*		*SENATVS LEGITIMVS...*
F	*F h*	XVIII	*Kalendæ Maji*	*Ludi*	*Cerealici*	
	G a	XVII		*Ludi*		
	A b	XVI		*Ludi*		
G	*B c*	XV		*Ludi*		
	C d	XIV		*Ludi.*		*Sol in Tauro*
	D e	XIII		*Cerealici*		CMXXIV. *dies Ægyptiacus.*

E quibus patet mendosum esse illud, quod Lambecius dedit, in quo ad tertium Idus:

	c e	III	*Ludi Cerealici*	CM XXIIII.
E	*d f*	*prid.*		

Cum vero Otho se interfecerit XCV Imperii die, ut Suetonius scribit in ejus vita cap. 11. & Otho Galbam sustulerit XVIII Kal. Febr. H. 1, 27, 1. atque ex eo ipso die imperare exorsus sit, constat exactissime ratio: dies enim nonus decimus Aprilis, a quinto decimo Ianuarii, qui XVIII Kalend. Febr. numeratur quintus nonagesimus. Januarii enim

dies XVII, Februarii XXVIII (annus enim Ch. 69, quo hæc contigere, bissextilis non fuit) Martii XXXI & Aprilis XIX consummati, hunc reddunt numerum.

H. 2, 55, 2. *quod erat in Urbe militum sacramento Vitellii adactum*] Flor. MS. & Edd. ante Rhenanum: *in sacramento.* Sed Meus: *in sacramenta.* quod propterea a Tacito videtur.

H. 2, 57, 3. *inhonestam adulationem compescuit*] Ante Rhenanum *compescit* hic legebatur: quomodo exhibet Flor. Meus insuper: *i. petitionem compescit.* & *compescit*, reposcit etiam sequens *largitur.*

H. 2, 58, 3. XIX *cohortes*] Ante edebatur XVIII *cohortes.* Sed cum Flor. & Meus habeant unanimiter: *decem novem cohortes.* scripsi, XIX *cohortes.* ut veritati historiæ facerem satis, dum utrum *novemdecim* an *undeviginti* scripserit Auctor non extrico.

H. 2, 59, 2. *Mauretaniam petit, appulsus litori, trucidatur*] Cod. meus: *appulsu littoris trucidatus.* Flor. *M. petiti appulsu litoris trucidatur.*

H. 2, 59, 3. *brevi auditu quamvis magna transibat*] MS. meus: *in quamvis magna transibat.* Flor. corrupte: *breve auditu vi quamvis magna transibant.*

H. 2, 59, 4. *genere inlustri*] Cod. meus: *g. illustris.*

circumdaret Principis ministeria] Ita Editiones ante Rhenanum, qui *Principi* edidit, improbante I. F. Gronovio. *Ministeria enim Principis*, ut *ministeria Principatus* H. 1, 58, 1. scilicet qualia *Princeps* Romanus habere consuevit. In Flor. tamen & Meo, *Principi.* Sed in Meo ita, ut in posteriore vocabuli parte quidpiam erasum appareat.

comitaretur liberaliter] Ita MSS. Flor. & Meus. quod si ita scripsit Tacitus non propterea opus cum Acidalio hic notare verbum *comitari*, pro comitatu instruere, novo & inusitato alias significatu poni. Quid enim vetat quo minus consueto accipiatur, cum Blæsus dubio procul novum Principem per totam provinciam suam comitatus fuerit.

quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret] Cod. meus ut Edd. ante Pichenam: *humilibus.* quod haud dubie interpretamentum τοῦ *vernilibus*, quod ex Flor. reposuit Pichena.

H. 2, 61, 1.

H. 2, 61, 1. *Mariccus quidam e plebe Bojorum*] Ita Flor. tum Edd. ante Rhenanum, qui *Maricus* dedit, quod eum secuti retinuerunt. Meus autem: *Mariceus quidam e plebe Heduorum.* Sed *Bojorum* sincerum existimo. Hos enim Julius post bellum Helveticum in Æduorum finibus collocavit, ipso teste lib. I. de B. G. cap. 28.

H. 2, 62, 3. *Pulsi Italia mathematici*] Suetonius Vitell. cap. 14. *Exacerbatus, quod post edictum suum quo jubebat intra Kalendas Octobres Urbe Italiaque mathematici excederent statim libellus est propositus, & Chaldæos dicere, bonum factum ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset.* Edictum hoc e Gallia Romam missum e Tacito clare intelligitur. Nugatur igitur Xiphilinus aut Dio, quando lib LXV. Βιτέλλιος δὲ, ἐπεὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐγένετο τ᾽ ἄλλα τε διῴκει, ὥσπερ καὶ ἐδόκει αὐτῷ, καὶ πρόγραμμα ἔθετο, δι᾽ οὗ τοὺς ἀστρολόγους ἐξήλασε, προειπὼν σφίσιν ἐντὸς τῆσδε τῆς ἡμέρας (ῥητήν τινα τάξας) ἐξ ἁπάσης τῆς Ἰταλίας χωρῆσαι. καὶ αὐτῷ ἐκεῖνοι νυκτὸς ἀντιπροθέντες γράμματα, ἀντιπαρήγγειλαν ἀπαλλαγῆναι ἐκ τοῦ βίου ἐντὸς τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἐτελεύτησε. Καὶ οἱ μὲν οὕτως ἀκριβῶς τὸ γενησόμενον προέγνωσαν. *Vitellius ut Romam venit, cœpit omnia sua arbitratu gerere: sed inprimis edicto proposito, astrologos expulit ex urbe: edixitque, ut intra certum diem, quam ipse constituerat, ex omni Italia excederent. Illi contra de nocte scripto proposito vicissim denuntiarunt, ut e vita excederet intra eum diem, quo mortuus est. Adeo futuros rerum eventus accurate præcognoscebant.* Nugatur & Zonaras, dum prodit similia: falluntur que astrologi, qui in artis commendationem istos tibicines advocant. Vitellius enim Romam venit mense Sextili H. 2, 91, 1. ibidem interfectus fine Decembris H. 3, 67, 3. manifeste ergo falsum eumdem intra Kalendarum Octobrium diem nusquam fuisse.

H. 2, 63, 2. *Plautius Varus Prætura functus*] Ita ambo MSS. Flor. & Meus, Ed. Rom. *Platius Varus.* Sed Ezechiel Spanhemius V. A. scribendum putat: *Plancius Varus.* ex nummo Vespasiani, in cujus aversa area: ΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ. quem illustrat duobus aliis ejusdem Principis, in

quorum uno: ΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑ-ΤΟΥ. altero: ΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑ-ΤΟΥ. Cum vero hi *Nicomediæ* cusi sint cum Vespasiani effigie, docet sub hujus Principatu *Plancium Varum* Bithyniæ fuisse Proconsulem.

tamquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset] Cod. meus: *ostentaret*.

H. 2, 63, 4. *terruit e periculo Principis famam clementiæ affectare*] Cod. meus: *terruit: tamquam e periculo Principis famam clementiæ affectaret.* Flor. etiam, *affectaret.* Item Edd. Rom. & Ven. nisi quod illa etiam: *tenuit.*

H. 2, 64, 1. *Petroniam*] Suetonius Vitell. cap. 6. *Uxorem habuit Petroniam consularis viri filiam & ex ea filium Petronianum captum altero oculo. Hunc heredem a matre sub conditione institutum si de potestate patris exisset, manu emisit: brevique ut creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii & quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset.* Forte fuit soror T. Petronii Turpiliani, qui Cos. a. 814. 14, 29, 1. Nam ne hujus, aut C. Petronii, qui pariter Cos. & a Tigillino necatus, filia videatur, ætas Vitellii Petroniani prohibet.

devertere Interamnam] Hactenus hic editum, *divertere.* Sed cum Flor. & Meus habeant, *devertere* recte monentibus, ut secundæ sortis homo, auscultavi. *Divertere* enim proprie in diversas partes vertere. Unde *diversus* & *diverticula* in fluminibus. Quam significationem analogia prodit. Omnibus enim vocibus, quibus cum particula *dis* juncta est, aliqua divisionis notio subest. Vide 1, 32, 2. Hæc vero cum non quadret huic loco, patet *devertere* veriorem scripturam, quod tantumdem ac deflectere. Nec est quod aliquis *diverticulum, diversorium* & *diversari* objiciat: cum Salmasius aliique observaverint non minus *deverticulum, deversorium* & *deversari*, quam *devertere* scribendum, & in multis libris calamo exaratis sic scriptas voces has legi. Pro *Interamna* autem iidem MSS. *Interamnium.* Sed utroque modo extulerunt. Plures autem in Italia *Interamnæ.* Hic intelligitur, quæ in Umbria & *Interamna Flaminiæ* & *Nartis* olim, *Teramna* temporibus Gregorii Magni, *Terani* & *Terni* vocatur hodie.

H. 2, 64, 3.

H. 2, 64, 3. *Sextilia, antiqui moris*] Suetonio Vitell. cap. 3. *probatissima nec ignobilis femina.*

H. 2, 64, 3. *non immitis tristibus*] Hæc lectio est a Pichena. Ed. Rom. *non minax tristibus*. Rhenanus: *non minis tristibus.* MS. Flor. *non inmix tristibus.* Unde I. F. Gronovius: *non immixta tristibus.* id est non particeps ullius crudelis aut acerbi consilii. MS. meus: *non immanis tristibus.* id est mansueta erga calamitosos.

H. 2, 64, 4. *in gaudium evecta*] Ita Flor. & Meus. Nicolaus Heinsius suspicabatur, *erecta.* ut h. l. 74, 4. *Vespasianus modo in spem erectus.* & sæpe.

H. 2, 65, 1. *Digressum a Lugduno*] Flor. *a Ligunduno.* in nummo Antonii apud Fulvium: LVGVDVNI A XL. Gottefridus Wendelinus existimat urbem hanc uti & *Lugdunum Batavorum* & *Lugdunum Convenarum* nomen habere a collibus sive *dunis* in quibus *speculæ excubitoriæ* positæ, qui accolis propterea Lupck-dunen.

M. Cluvius Rufus adsequitur] In MS. meo desideratur τὸ *Rufus.*

H. 2, 65, 5. *Vettius Bolanus*] Ita scripsi cum Lapidibus. Vide 15, 3, 1.

H. 2, 66, 1. *vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse*] Ex hoc loco Salmasius de Mil. Rom. cap. 19. probare conatus est *vexillarios* sub Imperatoribus fuisse levis armaturæ milites. Sed erroneam hanc sententiam evicit ad Hyginum Hermannus Rhabbodus Schelius V. N.

H. 2, 66, 4. *& prœlium atrox arsisset*] Meus Cod. *atrox exarsisset.* quod magis placet. Et illud *ex* absorptum in Flor. aliisque Codd. præcedentis vocabuli ultimarum literarum similitudine probabile.

H. 2, 66, 6. *Alpibus degreßi sunt*] Ita ex Flor. Pichena, melius quam aliarum Edd. *digreßi.* id est descenderunt. 2, 54, 4. 4, 49, 2. H. 1, 61, 2.

H. 2, 67, 2. *Tertia decimani struere amphitheatra jußi*] Ita Rhenanus dedit de ingenio: quod tamen a Flor. firmatur. MS. meus: *Tertiam decimam struere amphitheatra jußit.*

H. 2, 68, 1. *ludicro initio: numerus cæsorum invidiam*

diam bello auxit] Ita malui edere cum Edd. antiquis Ven. Rivii & Beroaldi, quam e Rhenani conjectura: *nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset.* quod ab eo usque insedit: licet offenderit Lipsium, transpositione peccatum hic propterea pronuntiantem. Quæ medicina cum displicuerit aliis, quod sensum mutet; nec juvetur a MSS. consultius duxi repræsentare veterum Edd. lectionem; quæ simplex est, & pro parte ab exaratis calamo libris firmatur. In Flor. enim plane deest τὸ *nisi*. In Meo: *ni metus.* quod corruptum videtur ex, *numerus*. In Bud. Rhenano teste: *nūs nūs cæsorum invidiam bello auxisset.* Unde is exsculpsit: *nisi numerus* &c. quod præcedentia, *ludicro initio*, non tolerant.

H. 2, 68, 1. *Perinde miles intentus aut licenter agit*] Cod. meus: *agere*. mox idem ut Bud. *castris promptiora.*

H 2, 68, 3. *insultante Gallo, & iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis*] Idem contigit in pugna Dioxippi & Horratæ apud Curtium lib. IX. cap. 7.

H. 2, 68, 6. *qui exitium viri Consularis*] MSS. ambo distituuntur τῷ *viri*.

H. 2, 69, 3. *Reddita civitatibus Gallorum auxilia*] Supra 3, 44, 1. *non Treviros modo & Æduos, sed quatuor & sexaginta Galliarum civitates descivisse.* Huc pariter pertinere videntur duo Antonii nummi, in quorum uno circum & juxta leonem: LVGVDVNI. A XL. in altero: ANTONI IMP. A XLI. in cujus altera area circum vultum alas in humeris habentem: III VIR R. P. C. etsi enim Fulvius notis, A XLI. annos respici putet a Lugduno condita ad coloniam deductam, parum verisimilis hæc sententia, quoniam in altero nummo legitur, A XL.

inter inania belli assumptus] Cod. meus: *inter initia.* sed Flor. *inter inania b. a.* id est quæ plus terroris nomine & numero facerent, quam virium haberent.

H. 2, 69, 4. *Ceterum, ut largitionibus affecta tamen Imperii opes sufficerent*] Cod. meus: *affecta jam Imperii o. s.*

H. 2, 70, 2. *protritis arboribus ac frugibus*] Ita habent MSS. ambo. vulgo hactenus: *atque frugibus.*

H. 2, 70, 3.

H. 2, 70, 3. *nec minus inhumana pars viæ*] Cod. meus a prima manu: *nec humana pars viæ*. dein alio charactere & atramento superadditum *minus*, post *nec*. Sed Flor. nihil mutat. Sensus itaque: Nec minora feritatis atque immanitatis vestigia servabat ipsa via, Postumia scilicet, in qua pariter pugnatum erat (H. 2, 42, 4.) quam campi Bedriacenses.

H. 2, 70, 6. *varia fors*] Cod. meus: *varia fors*.

H. 2, 71, 3. *Ut Valenti & Cæcinæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum (Consulatus*] Id est ut faceret statim Consules aliorum tempus contractum. Verum non satis constat de hac coarctatione. Anno enim V. C. 822.

Coss. ordinarii		Ser. Galba Imp.	T. Vinius.
Suffecti			
	ex a.d. XVIII. Kal. Febr.	M. Salvius Otho Imp.	L. Salvius Otho Titianus II.
	Ex Kal. Mart.	T. Virginius Rufus,	Vopiscus Pompejus.
	Ex Kal. Maji	Cælius Sabinus,	T. Flavius Sabinus.
	Ex Kal. Juliis	T. Arrius Antoninus,	P. Marius Celsus II.
	Ex Kal. Sept.	C. Fabius Valens,	A. Allienus Cæcina. in cujus damnati locum ex prid. Kal. Nov. Roscius Regulus.
	Ex Kal. Nov.	Cn. Cæcilius Simplex,	C. Quinctius Atticus.

Horum enim nomina & tempora eliciuntur ex Taciti H. 1, 77, 3. collato cum H. 3, 37, 4. 68, 4. 73, 5. Dissimulatus autem Martius Macer & dilatus Valerius Marinus Valenti & Cæcinæ, omissus Pedanius Costa Cæcilio Simplici locum dedisse videntur.

H. 2, 72, 1. *Scribonianum se Camerinum ferens*] *Camerinus Scribonianus*, quem mentitus est hic planus

nus, videri posset filius *Sulpicii Camerini*, cujus mentio 13, 52, 1. qui simul cum filio ab Helio Neronis liberto, dum ipse in Græcia peregrinaretur, necatus, Dione teste, quod *Pythici* cognomine a majoribus revera relicto sed tamquam Pythicas Neronis victorias impie respiciente uteretur: nisi ad *Crassorum* familiam pertinere sequentia ostenderent. Unde videtur *M. Licinius Crassus*, qui Cos. a. 817. & a Nerone cæsus, intelligi: qui forte *Camerinus* etiam cognominatus; certe fratrem *Scribonianum* habuit. Vide 1, 14, 2.

H. 2, 72, 2. *sumptum de eo supplicium servilem in modum*] Ita MS. meus, magis e Taciti genio: vulgati hactenus: *in servilem modum*.

H. 2, 74, 4. *Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio*] Cod. meus. Sed *in tanta mole belli plerumque cunctatio oberat*. (a m. s.) Unde amicus: *Sed in tanta mole belli operumque cunctatio oborta*.

H. 2, 74, 5. *Esse privatis cogitationibus regressum*] MSS. Flor. & Meus, tum Edd. puto omnes usque ad Freinshemium, *progressum*. Hic Lipsii conjecturam in contextu posuit.

H. 2, 75, 2. *sic percussorem ejus Volaginium*] Cod. meus: *Volaginum*. Sed pugnat cum hac narratione Dio lib. LX. Καὶ ὁ μὲν ἐκ τούτου φοβηθεὶς σφᾶς ἔφυγε, καὶ ἐς τὴν Ἴσσαν τὴν νῆσον ἐλθών, ἐνταῦθα ἑκούσιος ἀπέθανε. *Et ex eo metuens illos Camillus in Issam insulam fugit, ibique voluntaria morte periit*.

H. 2, 76, 1. *Jam & coram ita locutus*] Bene Boxhornius contra Freinshemium *coram* explicat palam, multis audientibus & quasi in publico; atque ita recte opponi hanc Muciani orationem multis secretisque ejusdem sermonibus, ante super hoc negotio apud Vespasianum habitis. Sic 6, 8, 6. *spectamus porro quæ coram habentur*.

H. 2, 76, 2. *an quod inchoatur, Reipub. utile*] Cod. meus: *an quod inchoaturi*.

H. 2, 76, 3. *juxta deos in tua manu positum est*] Verbum substantivum si abesset, melius cohæreret oratio: sed MSS. habent. Amicus propterea legebat: *id in tua manu p. e.* Sed non opus mutatione, modo ὑποστιγμὴ ponatur post *magnificum*, ut excudi curavi.

Nec speciem adulantis expaveris, a contumelia &c.] Id

Id est nec suspiceris me tibi verba dare adulando: non tam honorem tibi habemus, quod te nunc eligimus, quam contumeliam intulimus quod tam diu exspectavimus, & Vitellium præferri passi sumus. *Propius a contumelia quam a laude*, ut H. 1, 10, 2. *Mucianus* &c. *tam prope ab exsule fuit, quam postea a Principe.* Quæ notavi propter Pichenam, loci hujus mentem non adsecutum. In meo autem MS. legitur: *jam a contumelia.*

H. 2, 76, 4. *Ne contra Caji quidem*] Ita malui ex Flor. quam cum vulgatis hactenus, *Nec contra.*

H. 2, 76, 7. *Ne Othonem quidem ducis arte* &c.] Cod. meus: *Nec Othonem q. d. a. a. exercitus sui.* Sed Flor. cum vulgatis facit.

H. 2, 77, 3. *discrimen ac pericula ex æquo partiemur*] Flor. & Meus concorditer: *d. a. pericula e. æ. patiemur.* quod videtur melius: proprie enim non dividuntur pericula, quæ communiter tolerantur.

H. 2, 78, 3. *implesse fidem ominis videbantur*] Flor. & Meus, ut Bud. *videbatur.*

H. 2, 78, 4. *Est Iudæam inter Suriamque Carmelus, ita vocant montem deumque*] Plinius lib. V. cap. 19. *promontorium Carmelum & in monte oppidum, eodem nomine, quondam Ecbatana dictum.*

Nec simulacrum deo aut templum (sic tradidere majores) ara tantum & reverentia] Ita clare meus MS. cujus auctoritatem lectioni hactenus vulgatæ & a Berneggero asterisco insignitæ, * *aram tantum & reverentiam*, antehabui eo promptius, quod Rhenanus & Grotius, dudum sic reformandum censuere. Nam quartus casus a *tradidere* pendens, incongruum facit sensum.

H. 2, 78, 5. *inspectis idemtidem extis*] Suetonius Vesp. cap. 5. *Apud Iudæam Carmeli dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes: ut quidquid cogitaret volveretque animo quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur.* Orosius etiam *sortium* meminit lib. VII. cap. 9.

seu prolatare agros] MS. meus: *seu plantare agros.*

H. 2, 79, 1. *Haud dubia destinatione discessere*] Locum conventus non exprimit. Verisimile in utriusque provinciæ collimitio factum, loco obscuro, quominus proderetur. Et propterea apud Iosephum,

ſephum nulla hujus congreſſus mentio : an quod ignoraverit, an quod ejus meminiſſe ſub Veſpaſiani filiis inconſultum crediderit.

H. 2, 79, 2. *feſtinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Iuliis ſacramento ejus legiones adegit*] Suetonius Veſp. cap. 6. *Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalend. Iulii: qui Principatus dies in poſterum obſervatus eſt.* Non audiendus igitur idem Ioſephus quando *Tiberium Alexandrum* hoc feciſſe ait, poſtquam per epiſtolam a Veſpaſiano, jam Principe a ſuis ſalutato, eſſet admonitus, lib. IV. cap. 37.

H. 2, 79, 3. *quinto Nonas Iulias apud ipſum juraſſet*] MS. meus: *q. N. I. in nomen apud eum j.* Suetonius aut corruptus aut diſcors Veſp. cap. 6. *Iudaicus deinde exercitus V Idus Iulii apud ipſum juravit.* idque jam aliis notatum. Ratio, quod ſub Muciano *id ipſum opperiente* demum *ante Idus Iulias* omnes legiones in eodem ſacramento fuerint.

H. 2, 79, 4. *cuncta impetu militum acta*] Ioſephus lib. IV. cap. 36. ſcribit Veſpaſianum diu recuſantem metu tandem mortis intento a militibus coactum ad ſuſcipiendum Imperium. Hoc Savilius putat perperam a Tacito ſilentio ſuppreſſum. Mihi contra Taciti narratio multo quam Ioſephi probabilior videtur. Non quod negare velim Ioſephum non audiiſſe minantia militum aliquot verba : ſed has minas fuiſſe cauſſam ſuſcepti a Veſpaſiano Imperii abſurdum eſt credere. Scilicet non licebat, Ioſephum ſub Veſpaſiano ejusque liberis aliter ſcribere.

non parata concione] Hactenus, *n. p. cognitione.* hic vulgabatur. Sed cum in meo MS. clare: *non parata contione.* ut Pichena eumque ſecutus Freinshemius, ex Lipſii conjectura, *non paratu ac concione,* reformarunt, non dubitavi ſic reſcribere: præſertim cum *cognitio*, ſive judicium extraordinarium, hic nullum habeat locum. Amicus autem malebat: *non imperata concione.*

H. 2, 80, 1. *pauci milites ſolito adſiſtentes ordine, ut Legatum ſalutaturi, Imperatorem ſalutavere*] Cod. meus: *p. m. ſolito aſſiſtunt ordine & Legatum ſalutaturi ſalutavere Imperatorem.* Et ante Pichenam Edd. præferunt, *aſſiſtunt.* Unde vix dubito, quin potius a Ta-

a Tacito sit: *p. m. solito adsistunt ordine, & Legatum salutaturi Imperatorem salutavere.*

H. 2, 80, 3. *ut primum tantæ multitudinis obfusam oculis caliginem disjecit*] L. F. Gronovius suspicatur *mutationis* scribendum pro *multitudinis*. Videturque minus probabile, ducis Romani mentem ex conspectu *multitudinis* obnubilari potuisse. Sed fortunæ Principalis ex improviso objectæ novitate etiam constantissimum moveri rationi conveniens. MSS. tamen nihil mutant.

H. 2, 80, 6. *plerique necessitudinibus & propinquitatibus mixti*] Quomodo *propinquitatibus* sive affinitatibus militum mixti provinciales, si matrimonium militi apud Romanos interdictum, ut testatur Dio lib. LX. Τοῖς δὲ στρατευομένοις ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε. *Militibus, quia ex lege uxores habere nequibant, jus maritorum concessit.* Respondet Paullus l. 65. D. de ritu nuptiarum: *Eos qui in patria sua militant non videri contra mandata ex eadem provincia uxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri.* Ut notavit Vertranius.

H. 2, 81, 4. *quantumque introrsus in Pontum & Armenios patescit*] Ita Flor. & Meus: nisi quod hic etiam, *quantumcunque*. Vulgati hactenus: *quantumque introrsus Pontum.*

H. 2, 82, 1. *suis quæque locis festinabantur*] Cod. meus a prima manu: *festinantur.*

H. 2, 83, 2. *ambiguus consilii, num omissa Mœsia, Dyrrachium pedite atque equite; simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet*] Ita edidi ex Flor. & Meo, cum in vulgatis hactenus: *D. p. a. e. peteret.* Quod verbum ab aliquo additum videtur, qui *Dyrrachium pedite atque equite claudere*, non æque bene dici, quam *mare navibus*, crederet. Quid vero secutus Mucianus fuerit patet H. 3, 47, 4. *lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat.*

H. 2, 83, 3. *si sibi Brundusium Tarentumque & Calabriæ Lucaniæque litora infestis classibus peterentur*] Ita habent MSS. Flor. & Meus. Nisi quod Flor. *in litora*. Edd. post Rhenanum: *si simul B. T. q. & Lucaniæ Calabriæque l. i. c. p.* Sed ante eum: *si sibi B.*

Im-

Immo fatetur Rhenanus quamvis sic & in Regio libro invenerit nihilominus se scripsisse: *si simul B.* In quo accedere viro docto haud possum. Neque enim in eo posita consilii Muciani summa, de distrahendis Vitellii viribus, si *simul* Brundisium & Tarentum, sive Calabriæ & Lucaniæ litora *infestis* classibus peteret: hæc enim littora in Italiæ extremitate fere conjuncta, urbes vicinæ sunt. Sed in eo rei cardo vertebatur, si ipse ultimum Italiæ angulum, in quo Brundisium & Tarentum positæ, infestis classibus adgrederetur, dum legiones per Illyricum in Italiam descenderent, quod tunc in incerto futurus esset Vitellius, quam Italiæ partem protegeret. Etsi & hunc sensum ex Rhenani correctione exsculpi posse non diffitear. Sed antehabenda MSS. auctoritas.

H. 2, 84, 4. *ipso Vespasiano, inter initia Imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante*] Ita Flor. & Meus. pro quo vulgati *obstinato* ut magis obvium. Sed & illud Latinum & huic loco convenientius. Plautus Aul. 2, 2. *Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.* Festus: *obstinat, obfirmat. Obtinere iniquitates*, ut apud Livium *obtinere injuriam* Liv. XXIX. cap. 1. *Omnium primum ratus, tueri publicam fidem, partim edicto, partim judiciis etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam redditis, suas res Syracusanis restituit.*

H. 2, 84, 5. *largitus privatim, quod a. d. R. f.*] Flor. & Meus concorditer: *largus privatim.* Unde Nicolaus Heinsius suspicabatur ab Auctore scriptum, *largus privati.* εὐστόχως, nisi fallor. ut *largus opum* apud Maronem &c.

H. 2, 85, 1. *Adcelerata interim Vespasiani cœpta, Illyrici exercitus studio transgressi in partes. Tertia legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus præbuit*] Locus hic male distinguitur in vulgatis, corruptus etiam in voce *transgressi.* MS. meus: *Accelerata interim Vespasiani incepta Illyrici exercitus studio. Transgressa in partes tertia.* quomodo sine dubio distinguendum, simulque legendum, *transgressa.* Doctissimus Freinshemius hoc ingenio suo vidit ad H. 2, 74, 2.

H. 2, 85, 2. *Aquilejam progressæ*] Ita Flor. & Meus. Editi hactenus: *Aquilejam jam progressæ.*

H. 2, 86, 6.

H. 2, 86, 6. *Poppæus Silvanus*] MS. meus hic & infra H. 3, 50, 4. *Pompejus Silvanus.* Ed. Ven. & quæ hanc insecutæ ad Pichenam, qui ex Florentino immutatum ivit, *Pompejus Syllanus.* Videtur tamen *Pompejus Silvanus* dictus: uti ex Frontino colligo lib. II. de Aquæd. *Crispo, Vespasiano tertium & Coccejo Nerva Coss. Pompejus Silvius: Silvino, Valerio & Messallino Coss. T. Anius Flavianus.* Videtur enim ibi legendum: *Silvanus* & *Silvano.* & pro *T. Anius Flavianus. T. Ampius F.* cujus mentio apud Tacitum hic & H. 3, 4, 2. Idem Cod. meus paullo post: *sed procurator.* Nec audiendus Rhenanus adversativam *sed* in copulativam *et* mutans. Cum enim Flavianum & Silvanum dixisset *divites senes*, recte subnectit: *sed Procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens ætate.*

prima juventa, quietis cupidine, senatorium ordinem exuerat] Ita Flor. & Meus. Grotius malebat, *questus cupidine.* quoniam haud quieti hominem hunc ingenii sequentia produnt. idque illustrat exemplo Mellæ. 16, 17, 3. nec diffiteor blandiri hanc conjecturam. Tamen cum ex sequentibus constet hominem hunc postquam senatorium ordinem exuisset, habitasse in colonia sua, sollicitanda non videtur vulgata lectio.

H. 2, 86, 7. *Idem pro Galba dux coloniæ suæ*] Ita Flor. & Meus MSS. Videlicet in sextodecimo Annali, ubi perierunt res gestæ a. 821, *coloniam* hanc nominaverat, simul *Cornelii* hujus operam in ea disponenda pro Galba adhibitam descripserat. Ad quæ hic respiciens *pro Galba ducem coloniæ suæ* vocat. Forte intelligitur Hispaniæ urbs, in quam Galba se recepit tamquam locum maxime tutum, postquam interfecto Vindice intellexit dubitare Virginium, nec sibi accedere. Certe hæc *colonia* Plutarcho dicitur in Galb. Αὖθις δὲ μετὰ τῶν φίλων εἰς Κολωνίαν Ἰβηρικὴν πόλιν ἀναχωρήσας, ἐν τῷ μετανοεῖν περὶ τῶν γεγονότων καὶ ποθεῖν τὴν συνήθη καὶ σύντροφον ἀπραγμοσύνην μᾶλλον ἢ πράττειν τι τῶν ἀναγκαίων διέτριβεν. *Mox in Coloniam Hispaniæ oppidum cum amicis secedens in pœnitentia actorum & desiderio pristini & assueti otii potius, quam in agendo quæ necessaria erant tempus contrivit.*

H. 2, 87, 2.

H. 2, 87, 2. *Sexaginta millia armatorum*] Savilius hic rursus obloquitur velut parum convenientia prodenti. Quippe qui H. 1, 61, 3. Valenti tribuerit quadraginta millia armatorum ex inferiore exercitu; Cæcinæ triginta ex superiore: præter legionem Italicam Lugduni, & octo Batavorum cohortes in civitate Lingonum Valenti, H. 1, 64, 3. & alam Silanam Cæcinæ in Italia conjunctas: ipsi vero Vitellio *reliquas Germanici exercitus vires* & octo millia e Britanico delectu. H. 2, 57, 1. dein nihil dimissum a Vitellio memoraverit præter octo Batavorum cohortes: hic vero recenseat duntaxat *sexaginta millia armatorum.* Sic fere ratiocinatur Savilius. Sed falsum non commemoratam aliorum quam Batavorum dimissionem. Nam H. 2, 69, 3. *Reddita civitatibus Gallorum auxilia* dixerat, *ingentem numerum.* Duo commemoraverat prælia ingentia ad Castorum H. 2, 24, 3. & ad Bedriacum H. 2, 42. & seqq. in quibus multa utrimque millia cæsa. Duas cohortes auxiliarium Gallorum Ticini cæsas H. 2, 68, 3. multasque & atroces inter se Vitellianorum cædes post seditionem Ticini cœptam factas retulerat H. 2, 88, 1. Præterea post nuntium victoriæ Bedriacensis amputatos legionum auxiliorumque numeros a Vitellio & promiscuas missiones oblatas scripserat H. 2, 69, 4. An hæc omnia non sufficiunt ut numerus *sexaginta millium* simul cum superiore copiarum Vitellianarum enumeratione possit subsistere?

procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis] Ita Flor. Reg. & Meus. Tamen Freinshemius putat scribendum: *inter severos.* id est retinentes disciplinæ. aut vulgatæ lectionis sensum doceri postulat. Hic vero tam facile eruitur, ut mirer a viro docto non perspectum. Tacitus in superiore membro dixerat *sexaginta millia armatorum* Vitellium secuta: in hoc *calonum ampliorem numerum*, id est majorem fuisse quam sexaginta millium. Quid autem *calones*? si Festo credimus, *militum servi, dicti quia ligneas clavas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant.* a quo non abit Servius ad Virgilii lib. VI. Æn. *Calas dicebant majores nostri fustes quos portabant servi sequentes dominos ad prælium: unde etiam calones dicebantur.* si igitur *calones* servi, horum tantus numerus, & cum

cum his præcipue *lixis* negotium : quomodo turbare poteſt, *procaciſſimis etiam inter ſervos lixarum ingeniis?* Ne autem de numero ſit ſcrupulus, hic Reipub. temporibus jam ingens. Epit. lib. LXVII Livii : *Ab iiſdem hoſtibus* (Cimbris) *Cn. Manlius Conſul & Q. Servilius Cæpio Proconſul, victi prælio, caſtriſque binis exuti ſunt. militum millia octoginta occiſa, calonum ac lixarum quadraginta.* Nihil igitur mutandum.

H. 2, 88, 2. *ut gladiatoriam ſaginam*] MS. meus: *ad gladiatoriam ſaginam.* Sed vulgata lectio, quam tuetur Flor. melior. *ſagina* enim non tantum παρα-πλήρωμα, ut in Gloſſis ; verum & cibus, quo pingueſcimus.

vernacula, ut rebantur, urbanitate quidam ſpoliavere] Ita hic edidit I. F. Gronovius de Lipſii conjectura, cum in MSS. Flor. & Meo, item Edd. ante Rhenanum : *vernacula utebantur urbanitate q. ſ.*

H. 2, 88, 3. *cum filium comitaretur*] Sic Flor. & Meus. Reineſius Ep. LI. corrigit, *convitiaretur.* ſine neceſſitate.

H. 2, 88, 5. *Nec minus ſævum ſpectaculum erant ipſi*] Flor. *ſcævum.* Sed Meus vulgatam tuetur.

H. 2, 89, 1. *inſigni equo, paludatus accinctuſque Senatum & populum ante ſe agens, quo minus ut captam Urbem ingrederetur &c.*] Suetonius hic minus diligens, quando Vitell. cap. 11. *Urbem denique ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus.*

H. 2, 89, 3. *Ante aquilam præfecti*] Flor. *aquila.* Lipſius, *aquilas.* verius.

H. 2, 90, 2. *ſine falſi verique diſcrimine ſolitas adulationes edoctum*] Cod. meus: *ſine veri falſique diſcrimine ſolita adulatione ſeductum.* Quod utrum ab Auctore an interpolatore ſit videndum. Nam *ſeducere* in tranſlata ſignificatione, pro ad errandum inducere, ne quem offendat, Ulpianus vetat l. 3. §. 5. D. de libero homine exhib. *ſi quis volentem retineat, non videtur dolo malo retinere. Sed quid ſi volentem quidem retineat, non tamen ſine calliditate circumventum, vel ſeductum, vel ſollicitatum neque bona vel probabili ratione hoc facit? Recte dicetur dolo malo retinere.* Putem tamen vulgatam præferendam. Sic 13, 47, 2. *domum Principum edoctus.*

H. 2, 92, 1.

H. 2, 92, 1. *Iulium Priscum tum centurionem*] Flor. *dum c.* Meus: *dum centurio est.*

H. 2, 93, 1. *sed miles &c. animum libidinibus imminuebant*] Ita Flor. & Meus. Vulgati hactenus libri: *imminuebat.*

H. 2, 93, 2. *Et adjacente Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas & æstus impatientia labefecit*] Hactenus hic edebatur: *adjacentia.* minus recte. Ex Flor. & Meo MSS. restitui Tacito suam scripturam.

H. 2, 95, 2. *faces, Augustales subdidere*] MS. meus: *facem Augustales subdidere.* Sed a secunda manu: a prima fuit: *facem Augustalem subdere.* Flor. quoque Pichena teste, *facem.* 15, 30, 1. *& structam ante Augurale aram subdita face accendi.* Sed quoniam plures *aræ* dicuntur *exstructæ*, forte vulgata non sollicitanda.

H. 2, 95, 3. *& sumptu ganeaque satiare i. V. l.*] Lectio hæc a Pichena recepta est de Palmerii conjectura, cum in Flor. inveniatur, ipso indice: *& sumptu gaianeaque.* vel pro ut posteriores oculi: *& sumptu galneaque.* nec dissentirem: nisi in meo MS. clare: *& sumptu luxuriaque.*

H. 2, 96, 2. *mollius interpretabantur*] Ex conjectura Rhenani, quæ tamen a Flor. firmatur. In MS. meo est, *melius i.*

H. 2, 97, 4. *In Africa legio cohortesque delectæ a Clodio Macro*] Egregie hæc illustrat nummus quem profert Patinus V. C. ad Suetonium Galb. cap. 11. in cujus uno latere circum figuram stantem muliebrem: L. CLOD. MACRI. S. C. in altero aquilæ duobusque aliis signis addita epigraphe: LEG. I. MACRIANA. LIB. Prænomen *Lucii* etiam huic datur in alio apud Tristanum. Super quo tamen nuper relata controversia ex nummo argenteo Regis Thesauris Parisiis nuper addito, in quo C. CLODI. MACRI. LIBERA. SC. circum caput Africæ in una area: in altera sub aquila cum duobus signis: LEG. III. AVG.

H. 2, 97, 5. *integrum illic ac favorabilem Proconsulatum Vitellius*] Anno V. C. 813. ut colligit Pighius, ex eo quod cum succedenti fratri substitisset

fet Legatus, Romæ in Antistium Prætorem sententiam dixerit principio a. 815. 14, 49, 2. De integritate in Proconsulatu Africæ prælata consentit Suetonius Vit. cap. 5. *Proconsulatum Africæ posthac &c. administravit: &c. In provincia singularem innocentiam præstitit biennio continuato, cum succedenti fratri Legatus substitutus esset.*

famosum invisumque Vespasianus egerat] Dissentit in hoc Suetonius Vesp. 4. *Exin sortitus Africam, integerrime nec sine magna dignatione administravit: nisi quod Adrumeti seditione quadam rapa in eum jacta sunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui prope labefactata jam fide, omnia prædia fratri obligarit.* Sed Taciti judicium confirmat eventus: immo pro parte Suetonius ipse.

H. 2, 98, 2. *Suomet astu*] Nescio cur Ferreti duntaxat auctoritate stabiliatur hæc lectio, cum ita præferant MSS. Flor. & Meus.

H. 2, 98, 4. *mare quoque etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum*] Ita edendum hoc loco curavit de Rhenani aliorumque conjectura I. F. Gronovius, cum usque ad hunc vulgari: *mare quoque Etesiæ flabant harum flatu in orientem* &c. manifesta absurditate. Conjecturam autem Rhenani mirifice confirmat Flor. Codicis lectio: *mare quoque & esi flabra aquilonis arum flatu* &c. nam τὰ, *flabra aquilonis*, e margine contextui ab indocta manu inserta palam facit, quod in medio τοῦ *etesi-arum* locata sunt. Qui vero in margine primum notavit *flabra aquilonis* respexit Lucretii locum lib. VI. *Etesia flabra aquilonum.* Similiter autem alii MSS. etsi magis abeuntes, manifeste hanc interjectionem produnt. Bud. enim: *mare quoque & esi flabra Aquilonis verum flatur.* Vatic. & Farnes. *mare quoque & Blæsi flabra aquilonis, harum flatu.* Denique Meus: *mare quoque Ethesiæ flabro (Aquilonis hic flatus.) in orientem.* Ceterum Plinius diligentissime hos ventos describit lib. II. cap. 47. *Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, sole primam partem Leonis ingrediente: qui dies XV ante Augustas Calendas est. Hujus exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant diebus quadragin-*

ta, quos Etesias vocant. & paullo post: *Etesiæ noctu desinunt fere, & a tertia diei hora oriuntur.* & lib. XVIII. cap. 28. XVI *Calendas Augusti Assyriæ Procyon exoritur. Dein postridie fere ubique confessum inter omnes sidus indicans, quod Canis ortum vocamus, sole partem primam Leonis ingresso. Hoc fit post solstitium* XXXIII *die. Sentiunt id maria & terræ, multa vero & feræ, ut suis locis diximus. Neque est minor ei veneratio, quam descriptis in Deos stellis. Accenditque solem & magnam æstus obtinet causam.* XVIII *Calendas Augusti Ægypto Aquila occidit matutino, Etesiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar decimo Calendas sentire Italiam existimavit.* denique eodem libro cap. 31. *Assyriæ* V *Calend.* (Septembris) *& Sagitta occidit, & Etesiæ desinunt.* Patet autem ex hoc loco *Etesias* non recta semper linea ab aquilone in austrum ferri; verum & de zephyris participare, quippe quorum *flatu mare in orientem navigantibus secundum, inde adversum* dicitur. Idem quoque ex Aristotele Cicerone aliisque veteribus, colligere licet. Aristoteles autem lib. II. Meteor. cap. 5. ventos hos nasci putat ex resolutione nivis in locis ὑπὸ τὴν ἄρκτον positis, a sole post æstivum solstitium facta: noctu vero desinere flare, quoniam tum congelata omnia liquefieri cessant propter noctium frigus. Similia occurrunt apud Theophrastum lib. de Ventis: tum Peripati sectatores reliquos. Sed falsam hanc philosophiam & doctrinæ sphæricæ vim inferentem ostendit Athanasius Kircherus* ex naturali montium Græciæ, Thraciæ, Pontoque Euxino obductorum situ *Etesias* nasci docens, eo præcipue argumento, quod mensibus Iulio & Augusto, quibus *Etesiæ* Constantinopoli & per totam Græciam sentiuntur, in Moscovia, Polonia, Russia ceterisque regionibus trans Carpathum Tauricosque montes & Pontum Euxinum jacentibus australes venti spirent, Herbersteinio & Martino Cromero testibus.

* lib. IV. M.S. cap. 3.

H. 2, 99, 1. *Cæcinam & Valentem expediri ad bellum jubet*] Acidalius rogat an non elegantius *expedire?* & sic loquitur. H. 1, 10, 3. & 88, 2. Sed MSS. nil mutant, & sic fere 15, 10, 7. *Expediri tamen itineri singula millia ex tribus legionibus &c. jussit.*

H. 2, 99, 2.

H. 2, 99, 2. *lentum & rarum agmen, fluxa arma, segnes equi*] Ita ambo MSS. Flor. & Meus. Edd. hactenus: *& fluxa arma.*

H. 2, 99, 3. *seu perfidiam meditanti infringere exercitus virtutem inter artes erat*] Ita recte videtur emendasse Rhenanus, an ex Bud. tacet. In Flor. uti Edd. ante Rhenanum: *seu perfidiam meditatio.* In meo MS. *seu perfidiam meditantis.*

H. 2, 100, 2. *mox vexillarii quartædecimæ & sextædecimæ legionum; dein quinta & duoetvicesima secutæ*] Quoniam in hoc loco hæret scrupulus de *vexillariis quartædecimæ* legionis, quæ Othoniana, qui vix videtur posse eximi, nisi per MS. cujus scriptura hic fida, officii existimo, donec is proferatur, saltem recensere scripturam Codd. nostræ notitiæ: In Flor. igitur: *Mox vexilla in quatuordecum XIII legionum dein quinta & duo & vincesima secutæ.* In meo: *mox vexilla tredecīæ & quartædecimæ legionis. Deinde quinta & duodecīa & vicesima secutæ.*

H. 2, 100, 4. *ipse Ravennam devertit*] Ita ex Bud. potius scripsi quam *divertit*, propter illa, quæ allata H. 2, 64, 1. mox MS. meus: *prætextu.* Sed vulgata æque bona. Vide H. 1, 76, 4.

H. 2, 101, 2. *& prodito Galba mox vilem fidem*] Ita Flor. sed Meus: *vilem mox f.* ut ante Rhenanum. *Prodiderat* aut Galbam Cæcina cum in peculatu deprehensus, legionis in Germania superiore Legatus, miscere cuncta & privata vulnera Reipub. malis operire aggressus est. H. 1, 53, 2.

pervertisse ipsum Vitellium videntur] Lipsius delet τὸ *Vitellium*, quoniam invenitur in membro proxime præcedenti: & in MS. meo eidem subjecta puncta. In hujus autem libri fine Flor. habet: *Cornelii Taciti liber octavus decimus explicit. Incipit nonus decimus.*

AD HISTORIARVM

LIBRVM III.

H. 3, 2, 1. *acerrimus belli concitator*] MS. meus: *concionator.* quod forte non spernendum. Flor. *concittator.*

H. 3, 2, 3. *valetudinibus*] 6, 50, 3. *non quidem regere valetudines Principis solitus.* Censorinus de D. N. cap. 11. *Hippocrates quoque aliique medici in corporum valetudinibus non aliud ostendunt.*

H. 3, 2, 4. *utrimque viros, equos, tributa*] Ita Flor. & Meus, ne quis cum Acidalio velit *undique.* Præcedunt quidem quatuor provinciæ, sed duæ identidem junctæ, *Germania* & *Britannia*; *Galliæ* & *Hispaniæ.*

H. 3, 2, 5. *vacuumque Illyricum mare*] Flor. *Illyrici mare.* Sed alibi, *Illyrica ora. Illyricis exercitibus.* Sic *oceanum mare.*

H. 3, 2, 9. *Nisi quis retinet, idem suasor, auctorque consilii ero*] Quid inter *suasorem* & *auctorem* intersit Suetonius ostendit Tib. cap. 27. *Alium dicentem, sacras ejus occupationes: & rursus alium, auctore eo Senatum se adiisse, verba mutare: & pro auctore suasorem: pro sacris laboriosas dicere coëgit.* Sed hic *auctor consilii* est exsecutor, effector, minister, ut apud Justinum Hannibal lib. XXXI. cap. 5. *Hæc & secreto se censuisse, ultroque ministerium consilii sui obtulisse.*

H. 3, 2, 10. *Iam reseratam Italiam, impulsas Vitellii res audietis*] Ita de Pichenæ conjectura, cui Lipsius proluserat, edidit I. F. Gronovius, cum ante legeretur: *Iam reserata militia.* Pichenæ emendatio a Flor. in quo: *reserata militiam.* aliquatenus firmatur: & Freinshemio etiam probata fuit. In meo tamen MS. *Iam fractam militiam.*

H. 3, 3, 1. *& quidam militum consilio miscuerant*] *Milites* pariter in consilio præsentes apud Cæsarem lib. V. de B. G. cap. 30.

H. 3, 3, 2.

H. 3, 3, 2. *eoque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ socius*] MS. meus, *gravior.* quemadmodum & in Florentino inveniri Pichena testis est; Longobardico an alio dubito, cum collatio Longobardici sileat. Gruterus etiam sic habere Editionum primam asserit.

H. 3, 4, 4. *Sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus, honesta specie prætenderetur*] Ita Flor. & Meus: vulgati hactenus: *tum maxime.* Sic 3, 59, 5. H. 1, 29, 5. &c. Passim autem corrupta particula hæc apud scriptores: uti Justo Zinzerlingo * aliisque monitum, etiam apud nostrum, ut videtur, sæpius, ut 4, 27, 3.

* Promulf. cap. 22.

H. 3, 5, 1. *Ceterum ut transmittere in Italiam impune & usui foret scriptum Aponio Saturnino*, cum exercitu Mœsico celeraret] Transpositio paginarum a Lipsio primum animadversa & a Pichena sublata, æque Codicem meum insedit, ac Florentinum & reliquos MSS. Habet autem: *Ceterum ut transmitteretur in Italiam impune si cui usui foret scriptum Aponio: ac eum revisere crederetur.* Postea: *de exercitu in Vitellium ut inimici. Una cum exercitu Mœsico celerare.*

H. 3, 5, 2. *penes quos civitatis regimen*] Gruterus *civitatis* vocabulum hic aut a manu glossatoris profectum aut notione Tacito alibi inusitata positum scribit, pro gente scilicet integra, iisdem legibus vivente, unumque Reipub. corpus constituente. Quo nihil dicere potuit falsius aut obtusius. Nam sic 3, 40, 1. *Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: cujus exstimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Æduos Iulius Sacrovir.* & H. 2, 61, 2. *Iamque* &c. *proximos Æduorum pagos trahebat; cum gravissima civitas electa juventute* &c. *fanaticam multitudinem disjecit.* H. 3, 45, 3. H. 4, 75, 2. & fere semper.

H. 3, 5, 3. *ne inter discordias externa molirentur*] Ita ambo MSS. Faërnus: *ne quid discordiæ externæ molirentur.*

H. 3, 5, 4. *Sido atque Italicus*] *Italicus* videtur Vangionis fuisse filius. *Vangio* enim & *Sido sorore Vannii geniti, regnum ejus inter se partivere. Vannius*

nius Suevis a Druso Cæsare impositus. 12, 29, 1. 2. 30, 4.

quis vetus obsequium erga Romanos] Ita MSS. Flor. & Meus. Vulgati hactenus: *quibus vetus.*

& gens fidei commissæ patientior.] Flor. *commissior, patientior.* Vulgatam tuetur Cod. meus. Sensus. & subjecta erat natio, quæ, siquis illi crederet, fidem pati posset & servare, nec insita levitate eam temere falleret, ut Sarmatæ.

cui Portius Septiminus] Reduxi lectionem a Rhenano mutatam, in *Septimius.* Edd. enim Romana & Veneta, item Flor. MS. *Septiminus.*

H. 3, 5, 5. *cum ala Auriana*] Ita etiam meus MS. clare. Quod non monerem nisi Cluverius insuper habita Lipsii observatione *Taurina*; Reinesius *Furiana*, legissent. Et *Auria* urbs Hispaniæ occurrit in Conciliis.

ad occupandam ripam Æni fluminis] Ita Rhenanus, jubente Geographia: cum Bud. Flor. & Meus: *Rheni.* Etsi enim *Vindelicos* proprie & *Noricos* interfluat *Oenus* infra Teriolensem Comitatum, & supra hunc ipsos Rætos intersecet; tamen postquam *Vindelici* Augusti auspiciis domiti sunt, *Rætorum*, quorum vicini, nomen ad hos etiam extensum. ut 1, 44, 6. & G. 41, 1. *splendidissima Rætiæ provinciæ Colonia*, Augusta Vindelicorum. Vide Cluverium lib. de Vindel. & Nor. cap. 3. Scribitur autem *Oenus* in Itinerario Antonini aliquoties, & Notitia Imperii Occid. apud Strabonem, Οἶνος. Unde dubium an Rhenanus eumque secutus Cluverius recte præferant *Ænus*, ex Ptolemæo.

fortuna partium alibi transacta] Ita Flor. & Meus MSS. Sic H. 2, 38, 5. *quod singulis velut ictibus transacta sunt bella.*

H. 3, 6, 1. *strenuus bello, quam gloriam ei dux Corbulo & prosperæ in Armenia res addiderant*] Flor. *gloriam & dux.* Meus: *strenuus bello magis quam honestus. gloriam dux Corbulo.* Sed τὸ *honestus* recenti (puto Agricolæ) manu supra additum. Unde miror Lipsium in Rodolphi notis marginalibus ad Editionem veterem; ei a Modio transmissam, testari se reperisse: *strenuus bello magis, quam bonus.* Nisi alterum ex collatione alicujus MS. alterum de conjectu-

ra.

ra profectum velimus. Aliud enim similis dissensus exemplum recensuimus 15, 51, 4.

H. 3, 6, 2. *læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere*] An per Domitiam Corbulonis filiam? quam Domitianus *Ælio Lamiæ* abduxit, teste Suetonio Domit. cap. 1. & 10. cujus nomen aliter legitur, in Dionis Excerptis lib. LXVI. Καὶ τῷ ἔρωτι τῆς Δομιτίας τῆς Κορβούλωνος θυγατρὸς προσέχων ἐτύγχανε. Ταύτην γὰρ Λουκίου Λαμίου Αἰμιλιανοῦ τοῦ ταύτης ἀνδρὸς ἀποσπάσας, τότε μὲν ἐν ταῖς ἐρωμέναις ἐποιήσατο, ὕστερον δὲ καὶ ἐγήματο. *Domitianus animum ad amorem Domitiæ filiæ Corbulonis, applicaverat, eamque a Lucio Lamia Æmiliano, viro ejus, abductam secum habebat in numero amicarum, eandemque postea uxorem duxit.*

H. 3, 6, 3. *Sed Primus ac Varus occupata Aquileja in proxima quæque &c. accipiuntur*] Hactenus: *occupantes Aquilejæ proxima quæque.* Sed quod damus Pichena testatur esse in nonnullis libris, & Lipsius Editionem præferre Romanam. In meo MS. sic pariter legitur, item in Flor. nisi quod in hoc desideretur τὸ *in.* Sensus: Aquileja in potestatem redacta, vicinæ urbes non dubitarunt se pariter tradere. Lectio multis partibus vulgata huc usque, præstantior. *Accipi* enim *in proxima*: ut apud Virgilium: *& dominum Æneam in regna recepit.* ut notavit I. F. Gronovius.

H. 3, 6, 4. *alam cui Scribonianæ nomen*] Flor. & Meus: *Sebonianæ.* ut testatur Lipsius se reperisse in aliquot libris.

ad Forum Allieni, ponte juncto consedisse] *Forum Allieni* MS. meus, ut Lapides & nummi. *Trigaboli* Polybio lib. II. de Pado loquens: Τὴν μὲν γὰρ πρώτην ἐκ τῶν πηγῶν ἔχει ῥύσιν ἁπλῆν, σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη, κατὰ τοὺς προσαγορευομένους, Τριγαβόλους· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόσα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα. *A fontibus quidem uno continuoque fluit alveo: ubi ad Trigabolos quos vocant, pervenit, in duos scinditur: quorum alterius ostium Padusa, alterius Olana vocatur.* Caroli Magni temporibus jam *Ferraria*, uti adhuc, dicta, multum detorto vetere vocabulo. Et quamquam facies loci qualis a Polybio describitur optime conveniret descriptioni

ni Taciti, qui non meminit quomodo Flavianis, qui Patavio & Areste Vitellianis apud *Forum Allieni* superfusi, Padi alveum, qui hodie *Padus magnus* dicitur, & super *Ferrariam* inter opidum *Figerolum* & vicum *Stellatam* in sinistra parte incipit, transierint: tamen jam ante hæc tempora diverticulum istud exstitisse Plinius docet lib. III. cap. 16. Consequens igitur alveum hunc, tunc forte adhuc modicum, ita a Flavianis transmissum, ut Athesis, pariter intermedius.

H. 3, 7, 1. *post principia belli secundum Flavianos*] Ita meus MS. clare: id est postquam initium belli bene processit Flavianis.

duæ legiones septima Galbiana, tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila Legato] Septimæ Galbianæ Legatus fuit Antonius Primus, H. 2, 86, 3. qui cum vexillariis e cohortibus & parte equitum Italiam jam ante irruperat. Sic ut legio hæc Legato absente a tribuno videatur recta: ut septimæ Claudianæ præfuit tribunus Vipstanus Messala H. 3, 9, 5. Tamen T. Ampium Flavianum cum his legionibus venisse, ut Savilius notat, non abnuerim. Munitioni enim castrorum apud Veronam interfuisse narratur H. 3, 10, 3.

H. 3, 8, 2. *Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum (ei enim modicæ municipio vires)*] Post hæc tempora facta Colonia, juxta Lapides, ut notavit Cluverius.

illic Cæcinam genitum] Lapis Vicentinus, in quo: *A. Cæcina felicissimus exercitus Vitelliani Imperator.* Reinesio olim * probatus velut antiquus, recte ab eodem ex hoc loco ut suppositus rejicitur in Commentario ad Inscriptiones.

* Lib. I. V. L. c. 17.

H. 3, 8, 3. *Et interjectus exercitus Rætiam, Juliasque Alpes, ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat*] Ita partim de Lipsii conjectura, partim ex Flor. Cod. edi curavit Pichena, nisi quod omiserit particulam, *ac*: quam rursus addidi, quod & in Flor. & Meo, item Edd. ante Pichenam reperiatur. A Meo autem penitus confirmatur Lipsii conjectura; si quidem habet: *Et interjectus exercitus rhetiam juliasque alpes ac ne perviũ illa Germaĩs exercitibus forent obsiderat.*

H. 3, 8, 7.

H. 3, 8, 7. *consilia post res afferebantur*] Sic in meo MS. clare: in Flor. *pt res a.*

H. 3, 9, 2. *castra permuniit*] H. 3, 21, 2. *Sex Vitellianas legiones omnemque exercitum qui Hostiliæ egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum, comperta suorum clade in prælium accingi, ac jam adfore.*

H. 3, 9, 5. *legioni tribunus Vipstanus Messalla præerat*] Ita excudi curavi hic & alibi sæpius, cum hactenus, *Vipsanius Messala.* quoniam ita scribitur in Lapidibus antiquis apud Gruterum & Reinesium. E quibus patet *L. Vipstanum Messalam* post XLV annos sub Trajano cum M. Pedone Vergiliano fuisse Consulem. & Codex meus, calamo exaratus, accedit ad hanc scripturam, exhibendo hic & alibi: *Vipsanus Messala.* item Edd. usque ad Lipsium. Vide quæ notavi ad 14, 1, 1.

H. 3, 9, 8. *exitu securi, in Vitellium ut inimici, præsumpsere*] Flor. *de exercitu securi* &c. *præsumpsere.* Item Edd. ante Lipsium. Meus: *de exercitu in Vitellium ut inimici* (dein interposita pagina transmissa) *presũpsere.* Lipsius de ingenio dedit, *de exitu securi.* dubito an recte, cum MSS. tum Edd. omnes concorditer, *de exercitu.* & per hæc verba respiciatur ad *victa arma* a Cæcina Flavianis properata: uti per antecedentia, *pro caussa fidenter*, ad *temeritatem.* Immo verbis, *pro caussa fidenter*, inest securitas de eventu. Sic ut priorem lectionem reducendam existimem. Freinshemius pro *præsumpsere* etiam legit, *rescripsere.* Sed non solent librarii mutare notæ significationis vocabula in minus notæ. Dein nulla mutandi necessitas. *Præsumpsere* enim est opinati sunt, eo fere significatu, quo religionem Christianam Gentiles olim *præsumptionem* appellavere. *Opinari* autem ut sentire, loqui, sic hic *præsumere.* Suetonius Aug. cap. 67. *Cosmum servum gravissime de se opinantem non ultra quam compedibus coërcuit.* Mox Flor. & Meus: *facta tribunis centurionibusque.* ut edi curavi.

H. 3, 10, 1. *Dillius Aponianus*] Edd. ante Rhenanum item Flor. & Meus MSS. *Apontanus.* In Rhenani Ed. primum invenitur, quod hactenus ab eum insecutis retentum, *Aponianus.* quoniam sic deinceps vocatur. H. 3, 11, 4.

H. 3, 10, 5. *Obturbatur militum vocibus Aponius*] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, qui vocem *Aponius* penitus expunxit, velut de *Flaviano* adhuc ſermo eſſet. At Pichena, tamquam poſtulante hiſtoria, *Aponianus*, edidit contra Flor. codicis auctoritatem. Sed hiſtoria non hoc, ſed potius ut *Aponius* legatur poſtulat. Hic enim cum legione ſeptima ex Mœſia jam advenerat. H. 3, 9, 5. & dux alloquendi milites jus habebat.

H. 3, 10, 6. *Ubi crudeſcere ſeditio*] Ita MSS. Flor. & Meus tum Edd. quos vidi, omnes, excepta nuperrima, in qua, *candeſcere*, operarum puto vitio.

H. 3, 10, 7. *& aliquo militari decore inſignem adſpexerat*] Ita Pichena ex Flor. in Meo ut ante: *militari honore*.

H. 3, 10, 9. *obviis Veſpaſiani litteris diſcrimini exemptus*] Savilius deſiderat harum *litterarum* argumentum, deinde tam feſtinanter has offerri non potuiſſe exiſtimat; denique Flavianum ſemel militum indignationi ſubductum extra omnis periculi metum ſaltem illius quo per Veſpaſiani literas liberandus fuit, verſatum conjicit. Ad quæ reſpondet „ I. F. Gronovius. Fruſtra Tacitum hic ſtolidum „ fingit ὁ ἐπιτιμητής. Non poterat deterreri miles, „ quin Flavianum proditorem crederet: nec quid- „ quam veriſimilius, quam fuiſſe; qui hoc nomine „ illum ad comitatum deferrent. Antonius Primus „ inſontem eſſe non dubitabat. Ab hoc igitur fu- „ rentibus ereptus dimiſſuſque, vel eodem auctore „ vel ultro, ſuſcepit iter ad Principem, ut ei ſe co- „ ram purgaret. Sed homo *natura ac ſenecta cunta-* „ *tor*, ut deſcribitur c. 4. non rapientibus veredis, „ ſed per commodum ſuum in viam ſe dedit. Ci- „ tius igitur literæ, tum quibus accuſabatur, tum „ quibus excuſabatur ad Veſpaſianum pervenerunt. „ Et utriſque perpenſis Princeps eum ſtatim abſol- „ vit periculoque exemit, ſcriptis & ipſe literis, „ quæ Flaviano adhuc profectionem continuante in „ via occurrerunt.

H. 3, 11, 4. *vacantium forte balnearum fornacibus abditus*] Ita Flor. & Meus. Id eſt tubo aliquo hypocauſti balnearum, in quo nullus tunc forte fortuna ignis ſuccenſus, abſconditus. Hypocauſtum balnearum

nearum etiam *furnax* : unde *fornacator* & *fornacarius* in Jure.

H. 3, 12, 6. *Mennio Rufino*] Ita Ed. Ven. videtur tamen hic peccatum, quoniam MSS. variant. Flor. enim *uiuennio Rufino*. Meus ut Vatic. *alæ Iuveniorum Rufino*. Forte fuit ala nomine *Iuveniorum*. Amicus tentabat: *Iuventio Rufino*.

Sed exsoluta statim vincula &c.] Savilius hic quærit cur *Bassus* munus suum non retinuerit? quibus fuerit commissus, quamvis *honorata* esset *custodia*, apud eos qui Vespasiano favebant? quomodo missus *Hadriam*? cur strictius in carcere habitus, si *Mennius* Vespasiani caussam amplectebatur? si hostem profitebarur, cur jubente *Hormo* Vespasiani amico, dimissus sit? quid porro actum de illo? quando, cujus mandato & cur *Mennius Rufinus* loci istius præsidium egerit. Et has quidem circumstantiarum minutias appellat, sed quas aut omnes aut potiorem earum partem huic loco intexendam fuisse existimat, si penitiori cognitioni imbuendus lector foret. Respondet I.F. Gronovius. Hic quoque morosior, quam par est vir doctissimus. Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur iis facultas pœnitentiæ & nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed & ad securitatem ejus pertinuit discedere a classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat. Ob quam causam & præsidium est additum abeunti: quod quorum hominum, quibus nominibus fuerit, quid intererat sciri? Nam lectos fuisse e præsentibus, quibus & ipse, & qui his eum commiserant, fiderent, nemo ambigit. *Hadriam* vero, vel quia eum ipse locum elegit, vel quia commodissimus erat e vicinis. *Mennius* nisi cum Vespasiano faceret, qui liberto ejus *Bassum* solvi jubenti paruit? Vinxit interim, quia ei diffidebat, aut diffidere se fingebat privato odio. Præerat autem præsidiariis illius oppidi, ut multi alii aliorum; neque alia de causa, quam ut illud ab hostium impetu tueretur: & tum utique; ne quæras, Quando? Mandato, cujus, nisi ducum Flavianorum, qui præsidium ibi collocandum judicarunt? Quid actum postea de illo, tacuit, quia aut nihil in

„ illo singularis exempli statutum est, aut id Taci- „ tus in alium locum reservavit, ac tradere in „ parte Historiarum amissa commodius potuit. De- „ nique quis hanc scrutariam ab historico, & tam „ gravi, requirat.

H. 3, 13, 1. *secretum castrorum affectans*] Edd. hactenus, *secreta.* quod in Indice Freinshemiano redditur *loca maxime abstrusa.* quasi aut hæc ibi fuissent, aut si fuerint ad hoc quod Cæcina moliebatur, idonea forent. Bud. & Flor. *secretorum.* pro quo Rhenanus & Lipsius jam olim pronuntiarunt, *secretum* legendum: quod cum exstet in MS. meo & sensus flagitet, desiderari ulterius passus non sum. Id est aucupans tempus, quo solitudo esset in castris.

H. 3, 13, 2. *transfugisse classem, arcem commeatuum*] Ita Lipsius locum hunc de ingenio olim emendaverat lib. II. Antiq. Lect. cap. 16. postea edidit: pro Rhenani, *inopia commeatuum.* haud dubie felicius. Tamen dubito an Tacitus sic scripserit. Veneta enim Editio & quæ hanc secutæ ad Rhenanum usque: *Transfugisse classem, in arcto commeatum.* quod nescio cur mutaverint. Cum hac autem lectione magis quam Lipsiana conjectura scripti Codd. conveniunt. Flor. enim: *in arce commeatum.* Meus: *in arcem commeatum.*

H. 3, 13, 4. *Sed ubi totis castris in fama proditio*] Ita Ed. Ven. & quæ hanc secutæ: quarum scriptura a Florentino adstruitur. Meus a prima manu videtur habuisse: *infamia prodita.* a secunda correctum: *infamis proditio.* Ed. Romana dicitur habere, *infamia prodidit.* Pompejus Lampugnanus sive (ut in Germania dicitur) Marquardus Freherus: *sed ubi totis castris rei fama didita.* fucata conjectura.

H. 3, 13, 5. *Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam*] Nicolaus Heinsius malebat: *Huc recidisse* &c. Sed Flor. & Meus non mutant. qui mox, *iisdem illis campis*, ut excudi curavi.

H. 3, 13, 6. *ut armatorum millia* &c.] Ita MSS. Bud. Flor. & Meus. Edd. hactenus: *ut tot a. m.* Sed non opus particula quantitatis. Plinius lib. XXVIII. cap. 10. *Millia præterea remediorum ex eo animali demonstrantur, sicut apparebit: quod equidem mirer cum febri negetur carere.* de capra.

H. 3, 13, 7.

H. 3, 13, 7. *etiam militibus Principem auferre, licet integros*] Ferretus legit: *etiam milites auferre licet integros.* quod Lipsius, Grotius & I. F. Gronovius probant: nisi quod hic τὸ *licet*, mutet in, *deditos.* Sed MS. meus: *etiam militibus Principem auferre, Principi militem. integros incruentosque Flavianis quoque partibus viles.*

H. 3, 14, 2. *Fabium Fabullum*] Ita Flor. & Meus ὁμοθυμαδὸν. Notissimum enim hoc cognomentum vel ex Catulli versiculis: *Cœnabis bene mi Fabulle apud me* &c. Ergo prætuli vulgatæ hactenus scripturæ, quæ habebat: *Fabium Fabulum.*

H. 3, 14, 3. *relictis castris*] H. 3, 9, 2. *Cæcina inter Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis castra permuniit.*

ut legionibus primæ Italicæ & unietvicesimæ Rapaci jungerentur] Ita Flor. & Meus clare. Edd. ante Rhenanum: *undevicesimæ.* Berneggeri eumque insecutæ: *unaetvicesimæ.* inemendate.

H. 3, 15, 3. *& Britannia*] Cod. meus: *ex Britannia.*

auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem] Ita MSS. Flor. & Meus, tum Edd. H. 1, 89, 3. *Si ducibus aliis bellatum foret, longa bello materia.*

H. 3, 15, 5. *quo licentius popularentur*] Non propter absentiam ducis, ut Pichena: sed ut ipse dux præsidio esset auxiliaribus cohortibus, qui specie parandarum copiarum Cremonensem agrum populabantur.

H. 3, 16, 4. *vacuum medio relinquit iter*] Ita Flor. & Meus MSS. Edd. ante Rhenanum, *vacuo medio,* unde ille, *vacuum in medio.* quæ lectio hactenus retenta. Sed non magis præpositionem flagitat *medio* scilicet loci, quam *medio temporis.* Etsi manum propterea non verterim.

H. 3, 16, 5. *prælio occurrerent*] Flor. & Meus: *prælio occurreret.* Edd. pluralem præferunt. Sed neutri, ut Acidalius, *accurrerent. Occurrere* enim *prælio* ut *occurrere ad vadimonium*, pro se sistere.

H. 3, 17, 1. *occursat paventibus; retinet c.*] Edd. ante Rhenanum: *occursare paventibus retinere c.* Rhenanus: *occurrere p. retinere c.* Lipsius puto primus

dedit *occursat p. retinet c.* Sed ex libris. Ita enim habet MS. meus.

H. 3, 17, 2. *ut vexillarium fugientem hasta transverberarit*] MS. meus, *transverberaret.*

H. 3, 17, 3. *& fracto interfluentis rivi ponte*] Rivus hic videtur *Delmona* medio fere spatio *Binam* inter & Cremonam fluens atque *Ollio* paullo infra *Canetum* se miscens. In cujus sinistro latere situm opidum *Vescovato*, cui nomen *Castorum* antiquitus fuisse suspicati sumus H. 2, 24, 3.

H. 3, 17, 4. *atque illi consternantur*] Flor. *atque illic consternantur.* Meus tum Edd. ante Rhenanum: *atque illic consternuntur.* Sed hic quod deinceps retentum: *atque illi consternantur.* de Budensi, an ingenio silet. Videtur vere. In hac autem lectione *atque* notat statim (uti I. F. Gronovio animadversum) exemplo Virgilii lib. I. Georg.

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

H. 3, 17, 5. *spoliare, capere*] MS. meus: *rapere.*

H. 3, 18, 1. *Ad quartum a Cremona lapidem, fulsere legionum signa*] Ante, *ad octavum a Bedriaco.* Quæ plane firmant, quæ de *Bedriaci* situ ad H. 2, 23, 3. & 44, 1. disputata: nempe *Binam*, duodecim milliaribus antiquis cum dimidio a *Cremona* dissitam esse *Bedriacum.*

H. 3, 18, 3. *forte victi, haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant, atque in adversis deesse intelligebant*] Vir Amplissimus, cujus nova Taciti versio vernaculo idiomate nuper publicata, hic legit, *forte vecti.* by geval voortgevaaren. Sed non dicuntur *vehi*, qui pedibus utuntur, ut hic legionarii. Melius Freinshemius: *forte acti.* quod non displiceret, nisi in MS. meo, qui quondam Rodolphi, mutata distinctione, plane ut Acidalius subolfecit: *ultroque aggredi hostem, tantum per spatium cursu & pugnando fessum forte victuri. Haud perinde rebus prosperis* &c. Quæ lectio cum sensum fundat plenum & planum, & Manuscripto nitatur, vix amplius revocari in dubium potest.

H. 3, 18, 4. *Et Vipstanus Messalla tribunus cum*

Me-

Mœsicis axiliaribus adsequitur, quos militiæ gloria legionariis quamquam raptim ductos, æquabant] Pichena ejecit vocabulum *gloria*, quoniam a Flor. abest, dein *militiæ* suo arbitratu mutavit in *militibus*. Sed in meo Cod. *quos gloria* (a secunda tamen manu) *militia legionarii quamquam raptim ductos æquabant.* In Flor. *quos militiæ legionariis quamquam raptim ductos æquabant*. Cum autem MS. meus & Edd. antiquæ habeant τὸ *gloria*, MSS. vero ambo, *æquabant*, pro *æquabat*, hactenus excusorum exemplarium, non dubitavi sic edere. Sensus: qui licet subito ex agris essent congregati tamen propter magnum militiæ usum, qui percrebuerat, legionariis non inferiores judicabantur.

Ita mixtus pedes equesque, rupere legionum agmen] Cod. meus: *irrupere*.

H. 3, 19, 2. *cumulos super*] Livius lib. X. cap. 29. *Consulis corpus ea die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inveniri non potuit*. de Decio altero.

H. 3, 19, 5. *rupturi imperium ni ducantur*] Ita Flor. Meus & Oxon. Vulgati hactenus, *rapturi*, minus recte. Contumaces enim imperium non *rapiunt* proprie, sed *rumpunt*, exuunt & pro libidine agunt. 13, 36, 3. *rupto imperio* &c. *congressus cum hoste funditur*.

H. 3, 20, 3. *Neque enim ambigua quæ occurrant, noctem*] Flor. & Meus, *nocte*. Id est, nemini latere, quam periculosa nocturno tempore urbis oppugnatio, propter &c. Sed nec vulgata spernenda.

non si pateant portæ, non die, nisi explorato, intrandum] Ita edidi ex MS. quondam Rodolphi Agricolæ, nunc meo: quoniam hæc scriptura multis partibus recepta hactenus præstantior, quæ habet: *non si pateant portæ, nisi explorato, nisi die intrandum*: & Lipsio horum optimo judici valde probata, quamvis ignoranti, utrum e MS. an Rodolphi ingenio deprompta. Neque enim hoc vult Antonius non esse expugnandas urbes nisi die (quod absurdum ex ista emergit lectione) sed non si pateant portæ, ne quidem per diem, nisi præmissis speculatoribus irrumpendum.

H. 3, 20, 5.

H. 3, 20, 5. *& cetera expugnandis urbibus; sicum attulissent*] Cod. meus: *oppugnandis*.

H. 3, 21, 3. *Sistere tertiam legionem, in ipso viæ Postumiæ aggere jubet*] In meo MS. æque ac Flor. *Sistere tertiam decimam l.* Sed cum paullo post tam in vulgatis quam calamo exaratis Codd. in ejusdem aciei ordinatione *tertiæ decimæ legionis*. alius adsignetur locus, hic scriptura MSS. vera esse non potest, quin ibi sit falsa. Similiter autem H. 2, 24, 5. *aggerem viæ tres prætoriæ cohortes, altis ordinibus obtinuere.* H. 3, 25, 3. *limitem viæ* vocat.

octava per apertum limitem] Quo agri illo in loco disterminabantur, & quem via Postumia *aperiebat*. Seneca lib. I. de Benef. cap. 14. *Quare si quis existimat nos cum ista præcipimus benignitatis fines introrsus referre & illi nimus laxum aperire limitem: ne perperam monitiones nostras exaudit.*

H. 3, 21, 4. *ut fors tulerat*] MS. meus: *ut quemque fors tulerat*. suppositis tamen τῷ *quemque* punctis.

prætorianum vexillum proximum tertianis] Savilius ad H. 4, 6, 1. carpit quod Auctor nusquam diserte, recensuerit quando & ubi *prætoriani* in partes Flavianas concesserint. Sed cum idem retulerit a Vitellio sedecim prætorias, quatuor urbanas cohortes conscriptas H. 2, 93, 3. non obscure subindicavit priores prætorias, a quibus Otho ad Imperium evectus fuerat, a Vitellio exauctoratas. Quod Suetonius exserte prodit Vitell. cap. 10. *De Bedriacensi victoria & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia esset, audiit: nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma.* Nec dubitare patitur, quando a Vespasiano ad omnes exercitus Legatosque scriptas ait epistolas, præceptumque, *ut prætorianos Vitellio infensos reciperandæ militiæ præmio invitarent.* H. 2, 82, 6. Unde quid aliud consequens, cum hic loci recenseat in partibus Flavianorum *prætorianos*, quam hos ad Legatos Flavianos a quibus invitati fuerant, singulos se contulisse, ab illis armatos atque sub *vexillum* redactos?

H. 3, 22, 2. *dextro suorum cornu*] Faërnus recte, *dextrum* hic legit. Pendet enim a verbo, *complexi*. Mox MS. meus, *duovicesimanosque*.

H. 3, 22, 3.

H. 3, 22, 3. *Eques auxiliaque, sibi ipsi locum legere*] Ita Flor. & Meus MSS. Item Edd. ante Rhenanum, qui dedit, *Equites*. quod huc usque retentum.

Prœlium tota nocte varium] Prœlii hujus nocturni (quod primus Rutgersius vidit) meminit Curtius lib. X. cap. 9. *Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pene supremam habuimus novum sidus illuxit. Hujus hercule, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo; quum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum exstinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Non ergo revirescit solum, sed etiam floret Imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus utinam perpetua certe diuturna posteritas.* Vide ad 11, 21, 1.

H. 3, 22, 4. *eadem utraque acie arma*] Sic MSS. Flor. & Meus melius, quam vulgati: *eademque utraque acie arma.*

H. 3, 23, 1. *Sustinuit labantem aciem Antonius*] Ita Beroaldi Ed. tum MS. meus. Edd. pleræque hactenus: *labentem*. Sed illud hic proprium & Tacito alias familiare vocabulum.

H. 3, 23, 2. *Magnitudine eximia quintædecimæ legionis*] Ita Lipsius. MSS. Flor. & Meus: *quartædecimæ.*

ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent] Lipsius malebat *tormento tum*. ut de ballistæ quintædecimæ legionis duntaxat intelligatur. Sed & de pluribus potest, cum ante dixerit: *Vitelliani tormenta in aggerem viæ contulerunt*. Præterea MSS. nil mutant.

H. 3, 23, 3. *hinc majores equorum virorumque umbræ*] MS. meus: *virorum equorumque.*

H. 3, 24, 1. *cur rari sumpsissent arma?*] Lipsius legit: *cur resumpsissent arma*. Ferretus: *cur rursus sumpsissent a.* Salinerius vulgatam explicare nititur. Sed meus MS. *quur nam sumpsissent arma*. Quomodo forte Tacitus. Particula enim, *nam*, post posita, intendit interrogationem: ut patet in *quisnam, undenam, numnam* & similibus.

H. 3, 24, 4.

H. 3, 24, 4. *Mox infensus prætorianis*] I. F. Gronovius legit, *infensius*.

H. 3, 25, 1. *suus quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve*] Ita Lipsius. Sed Flor. & Meus MSS. item Edd ante Lipsium: *duceretve*.

H. 3, 25, 2. *denso agmine obturbat*] Flor. & Meus: *obturbabat*.

H. 3, 25, 4. *impuberem filium*] Flor. & Oxon. *impubem*: quomodo H. 4, 14, 3. *rursus impubes, sed forma conspicui, ad stuprum trahebantur*. & tam *impubis* quam *impubes*, secundo casu *impuberis*, apud auctores legitur: nam de *impuber* dubitare jubet Gerardus Vossius lib. I. de Anal. cap. 36. & lib. II. cap. 8.

Voce flebili precabatur piatos patris manes, *neve se ut parricidam aversarentur*] Usque ad Lipsium in Edd. legitur *placatos*. ad Pichenam, *adversarentur*. In meo MS. *precabatur ne piatos patris manes* (quomodo & Pichena reperit in alio MS. quam Longobardico, in hoc enim a m. p. *precabatur platos.*) *neve se ut parricidam adversaretur*. Sed Lipsii scriptura satis commodi sensus; & magis erit, si levi mutatione legas: *ne sese ut parricidam aversaretur*. Nam *piatos* (quod facit difficultatem) hic impiatos, contaminatos notat. Nonius: *Piare dicitur impiare, contaminare Virgilius lib.* VI. Distulit in seram commissa piacula mortem. In meo etiam MS. τῷ *ne* subjecta puncta a secunda manu: & in Flor. *aversarentur*.

H. 3, 26, 1. *Othoniano bello Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumjecerat: eaque munimenta rursus auxerat*] Huc respicere debuit Savilius quando Tacitum negligentiæ culpabat, quod in bello Othoniano non expresserit locum castrorum Vitellianorum. item H. 3, 32, 4. ubi Cremona *rursus belli sedes* dicitur.

H. 3, 26, 2. *incipere oppugnationem, fesso per diem noctemque exercitu, arduum*] MS. meus: *fessos* &c. *exercitus*. In Flor. quoque, *fessos*, legitur.

H. 3, 26, 3. *Quæ super cuncta terrebat ipsorum miles*] MS. meus: *super quæ cuncta terrebat ipse miles*.

H. 3, 27, 4.

H. 3, 27, 4. *& alii falces, scalasque convectant*] MS. meus: *& falces, alii contos scalasque convectant.* Sed τὸ *contos* deletum a manu secunda.

elatis super capita scutis, densa testudine succedunt] Lucanus lib. III.

Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,
Quæ prius ex longo nocuerunt missa recussu
Jam post terga cadunt.

H. 3, 28, 2. *ut Massala tradit*] MS. meus: *ut Messalæ traditum.*

H. 3, 28, 4. *semineces cum exspirantibus volvuntur*] MS. meus: *semianimes c. e. v.* mox idem: *tertiæ septimæque l.*

H. 3, 29, 2. *superjecta tela*] Flor. *superjacta tela.* Meus: *superjactata tela.* mox pro *ballistam* habet, *molem valli.* ex glossemate.

quos inciderat] Ita Flor. & Meus MSS. pro, quibus. vel, in quos.

H. 3, 29, 3. *tertianus securibus gladiisque portam perfregit*] Amicus, quod *gladii* minus apti ad *portas perfringendas*, legebat, *dolabrisque.* quarum mentio H. 3, 20, 3. & 27, 4. Sed MSS. Flor. & Meus vulgatam tuentur. Præterea *porta* castrorum intelligitur, quæ cum forte levior, nec ferrata, spatham vel acinacem non penitus spernebat. Hinc mox de Cremona: *ferrati portarum obices.*

H. 3, 30, 4. *illi trabibus, tegulisque & facibus propugnatores deturbant*] Nicolaus Heinsius pro *trabibus* legebat *lateribus.* Et videtur in hac voce peccatum. Hinc in re simili H 3, 71, 2. *in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant.*

H. 3, 31, 1. *cum languescere paullatim Vitellianorum animi; ut quisque ordine anteibat, cedere fortunæ*] Vulgati: *& ut quisque.* Sed copula desideratur tam in Flor. quam Meo. Flor. etiam: *ut quis ordine anteibant.*

omnisque ira &c. *in tribunos centurionesque, ubi pretium cædis erat, reverteretur*] Cod. meus: *revertebatur.* Ursinus & Muretus: *verteretur.*

H. 3, 32, 1.

H. 3, 32, 1. *Plebs interim Cremonensium*] Ita Flor. & Meus. Item Edd. usque ad Pichenam, a quo hic & H. 3, 82, 5. *plebes* editum. credo quod sic alibi.

H. 3, 33, 3. *aut quis forma conspicuus incidisset*] Tò *incidisset* in MS. meo desideratur.

H. 3, 33, 4. *majore aliorum vi truncabantur*] Amicus malebat: *obtruncabantur.* ut H. 4, 50, 3.

verberibus tormentisque dominorum, abdita scrutari] Ursinus & Muretus legebant *domorum* contra Manuscriptorum auctoritatem, & sine necessitate. Nam *domini*, hic possessores, ut H. 1, 12, 3.

H. 3, 33, 6. *Utque exercitu vario linguis*] Ex castigatione Rhenani, ante quem: *Utique e. v. l.* MS. meus: *Ut qui e. v. l.* Sed Flor. ut Rhenanus dedit.

H. 3, 33, 7. *Cum omnia sacra profanaque in igne considerent*] Nicolaus Heinsius malebat, *in ignem considerent.* juxta Ovidianum illud, *consedit in ignem Ilion.*

H. 3, 34, 1. *Hic exitus Cremonam habuit*] A Flor. abest τὸ *habuit*: item Meo, in quo: *Hic exitus Cremonæ.* sed *Cremonæ.* secunda manu additum. In Ed. Rom. tamen ita pariter legi Gruterus; a Budensi abesse τὸ *habuit* Rhenanus testes sunt.

H. 3, 34, 2. *ubere agri, annexu*] MS meus: *connexu.* Sed nec illud male. H. 4, 77, 2. *Medius Mosellæ pons, qui ulteriora coloniæ annectit, ab hostibus insessus.* mox MSS. Flor. & Meus: *connubiisque gentium.* ne quis vagum hoc nimis & longe petitum legendumque cum erudito viro, *adjacentium*, existimet. Habebant enim gentes & populi Italiæ hujusmodi inter se fœdera quibus *connubia* invicem permittebantur. Livius lib. VIII. cap. 14. *Cæteris Latinis populis connubiaque commerciaque & concilia inter se ademerunt.*

H. 3, 34, 3. *nequis Cremonenses captivos detineret*] MS. meus: *ne quis Cremonensem captivum d.*

H. 3, 34, 4. *occulte redemptabantur*] Ita Pichena dedit ex Flor. cum ante legeretur, *redimebantur.* MS meus Florentino concinit. Hinc *redemptitare*, quod apud Plautum frequens.

me-

magnificentia municipum] Cod. meus, *munificentia*. Sed a manu secunda.

H. 3, 35, 1. *noxia tabo humus*] MS. meus: *noxia tabe humus*. ut 2, 69, 3. ubi vide.

H. 3, 36, 1. *non in ore vulgi agere*] Ita Lipsius feliciter restituit, pro, *non more*. firmaturque hæc emendatio non tantum a Flor. sed etiam meo Codice.

H. 3, 36, 4. *P. Sabinum prætorii Præfectum*] MS. Meus, *Publium S.* Flor. *Publilium*. Sed H. 2, 92, 1. uterque in vulgata lectione consentit.

H 3, 37, 2. *velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant*] Pichena quærit, unde nam hic dolor, & æstuat. Sensus: dum pro Vitellio conqueruntur, odium proprium in Cæcinam, ob rapacitatem & impotentiam ejus, diu compressum, effundebant. Vide H. 2, 92.

H. 3, 37, 4. *magno cum inrisu accipientis tribuentisque eblandiretur*] Cod. meus: *tribuentis accipientisque blandiretur*.

Pridie Kalendas Novembris Roscius Regulus iniit, ejuravitque] Vulgati hactenus: *Rosstus*. Flor. *Rosius*. Meus: *Roscius*. In hac differente scriptura gentis notissimæ nomen secutus sum, quod Glandorpius etiam ex Tacito adfert; de ingenio an libro tacet.

H. 3, 37, 5. *nunquam antea non abrogato magistratu, neque lege lata, alium suffectum*] Vertranius legit, *non nunquam*.

Caninius Rebilus] In nummo Augusti apud Occonem: C. CANINIVS REBILVS.

H. 3, 38, 8. *Principis labores*] Morbum intellige, non mortem cum Rhenano. Hinc *laborare*.

H. 3, 39, 1. *ne dilata Blæsi mors maturam pernitiem*] Ita Flor. & Meus MSS. unde patet sic recte a Rhenano emendatum pro *pænitentiam*. *maturam* autem id est festinatam.

palam jussa, atrocem invidiam ferret] Cod. meus: *palam jussa autem atrocem i. f.*

H 3, 39, 2. *qua (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos*] Cod. meus: *qua se, ipsa enim verba referam, pavisse oculos*. & sic in Flor. pariter reperit Pichena.

H. 3, 39, 3. *ut parum effugeret*] MS. meus: *effugerit*.

fugerit. Sed Flor. absque caussali particula: *parum effugerat.*

H. 3, 41, 1. *Venere tres cohortes*] Miror Savilium suspicari has omnes prætorianas fuisse (an quo Tacitus sic mox sibi contradiceret. H. 3, 55, 1.) nam præter sedecim prætorias quatuor adhuc urbanæ, H. 2, 93, 3. ne de vigilum cohortibus dicam, Romæ tendebant. Urbanas autem cohortes nonnunquam emissas, patet H. 3, 57, 4. Duas igitur ex his cohortibus prætorianas fuisse, unam urbanam, si cujus curiositas huc usque penetret, probabile est.

H. 3, 41, 3. *ruentis fortunæ novissima libido*] Id est cupiditas eo incitatior, quod non longe a fortunæ mutatione aberat & hæc turpia gaudia velut fatis properantibus rapiebat.

vadere per hostes] Pro, pervadere hostes.

H. 3, 41, 4. *haud diuturna vincula apud avidos periculorum, & dedecoris securos*] Ita Flor. & Meus. Id est quæ non diu possunt continere homines quodvis audere obstinatos & omne decus vile habentes. Quod autem Savilius quærit cur Valens potius Ariminum miserit copias has quam Vitellio remiserit, si ipse subsequi non decreverat, caussa dubio procul; ut per hoc præsidium impediret, quo minus Ariminum a Flavianis occuparetur. Quo autem animo Umbriam & Etruriam adierit is, quem Tacitus omnis consilii expertem & adulteriis stuprisque infamem præfatus est, quærere supervacaneum putem.

H. 3, 41, 5. *ipse flexit in Umbriam, atque inde Etruriam*] Ita Flor. & Meus. Item Edd. ante Rhenanum, qui propositionem *in* addidit ante *Etruriam.*

H. 3, 41, 6. *& exercitus*] Has duas voces Flor. & Meus habent.

H. 3, 42, 3. *segnitia maris aut adversante vento*] Lipsius scribit in Romana Editione legi *segnitia maris.* idque in prioribus Notis rejecerat, verum secundis curis a Pichena monitus, sententiam retractavit & cum eo explicat. Habent autem sic MSS. Flor. & Meus.

H. 3, 42, 6. *nam circumjectas civitates*] Flor. & Meus: *namque circumjectas c.*

H. 3, 43, 1.

H. 3, 43, 1. *Forojuliensem coloniam, claustra maris p. t.*] Ita Flor. (nuperrime enim *que* in hoc superscriptum) Meus & Bud. quos secutus sum. Vulgati hucusque, *claustraque.* perperam. Est enim appositio, ut H. 3, 8, 5. *Ægyptus, claustra annonæ.*

H. 3, 43, 3. *totidemque centurionibus*] Ita Cod. meus: item Edd. ante Rhenanum, qui copulativam, quia a Bud. aberat, expunxit. Mihi quia commodius adesse visa, rursum addita.

Maturo ceterisque remanere & in verba Vespasiani adigi volentibus fuit] Cod. meus, plane ut Lipsius conjecit distinxitque: *Maturo ceterisque remanere.* sed reliquam partem voce integra auget: *& in verba Vespasiani adigi volentibus auctor fuit.* tamquam ipse Fabius Valens comprobasset Marii Maturi consilium, quo cunctis circa hostilibus Vespasiani partes post ejus discessum erat amplexurus, ne bellum in suam provinciam pertinaci & nil Vitellio profutura fide protraheret. Tamen & hanc vocem e margine irrepsisse, uti & τὸ *liberum* in Edd ante Rhenanum, probabilius duco: præcipue cum Flor. nullum additamentum agnoscat & Rhenanus doceat ad 15, 36, 6. Græcorum imitatione dici, *adigi volentibus fuit.* pro libentes adacti sunt. Sallustius Bello Jugurth. cap.84. *neque plebi militia volenti putabatur.* & cap. 100. *uti militibus exæquatus cum Imperatore labos volentibus esset.*

H. 3, 46, 1. *Externa vi, perfidia sociali prope adflicta Romana res*] Ita Flor. & Meus. Vulgati hactenus: *Externa vi & perfidia.*

H. 3, 46, 2. *prima rerum*] Sic H. 3, 50, 4. *dies rerum.*

H. 3, 46, 5. *Proconsule eam provinciam a. i. tenuerat*] Ita Flor. & Meus, quos secutus sum. Vulgati hactenus: *Proconsul.*

H. 3, 47, 2. *Trapezuntem vetustam Asiæ civitatem*] Edd. ante Pichenam: *vetustam admodum civitatem.* In Flor. *vetusta mama civitatem.* Unde Pichena fecit: *vetustam Asiæ c.* Sed Lipsius & Freinshemius mallent: *vetusta fama c.* In meo MS. *vetustam civitatem.*

H. 3, 47, 4. *vacua mari eludens*] Sic Flor. & Meus MSS. Lipsius & Acidalius malebant: *inludens.*

H. 3, 47, 5.

H. 3, 47, 5. *fabricatis repente navibus (camaras vocant)*] Vulgati hactenus: *quas cameras vocant.* Sed Flor. & Meus, omisso relativo: *camaras vocant.* Strabo lib. XI. de Heniochis: Ζῶσι δ' ἀπὸ τῶν κατὰ θάλατταν λῃστηρίων ἀκάτια ἔχοντες λεπτὰ στενὰ καὶ κοῦφα &c. Καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας. *Vivunt autem ex prædationibus maritimis lembos habentes exiles angustos atque leves* &c. *Græci camaras vocant.* Ubi Casaubonus.

lata alvo] Flor. *lata alvom.* Meus: *latam alvum.* & paullo post, *connexam.* sed vulgatam præfero.

H. 3, 48, 1. *Advertit ea res Vespasiani animum*] Lipsius: *Advertit ea res Vespasianum.* Et potuit error ex repetitione nasci.

H. 3, 48, 2. *vagum hostem adortus coëgit in naves*] Ita Flor. & Meus. Vulgati hactenus, *cogit.*

in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio] MS. meus: *tutum sedæ thegorum regis auxilio.* Colerus legit: *in ostio fluminis Chobi, sub Sedochi Lazorum regis auxilio.* Et *Chobus* vel *Cobus* Plinio teste lib. VI. cap. 14. e Caucaso per *Swanos* fluit inter Charientem & Rhoam fluvium: juxta Arrianum inter Charientem & Singamen. Sed hos ad Colchorum, qui jam circa hæc tempora *Lazi* dici cœperunt, imperium pertinuisse, patet ex Gubazis *Lazorum* regis cæde apud *Chobum* patrata, ut scribit Agathias lib. III. Sic ut Coleri emendatio a veritate non multum abesse videatur.

H. 3, 48, 3. *pactus Aniceti exitium*] Cod. meus: *excidium.*

H. 3, 48, 5. *ut fracto Vitellii exercitu, Urbem quoque externæ opis indigam fame urgeret*] Flor. & Meus MSS. *urbemque.* Sed ita requireretur: *ut fractum Vitellii exercitum.*

H. 3, 49, 2. *vim sibi ad potentiam struere*] Edd. Lipsii & Pichenæ, tum has insecutæ: *viam sibi ad potentiam struere.* Sed anteriores: *vim sibi ad potentiam struere.* quomodo pariter habet MS. Flor. a quo meus unico duntaxat elemento abit exhibendo, *ac*, pro *ad.* item, *& omnibus.* Priorum vero Editionum & Flor. Codicis lectionem tuetur 13, 19, 1. *Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non sua vi nixæ.* uti I. F. Gronovius

novius lib. I. Obſerv. cap. 14. docet; *ſtruere* autem hic adjicere. Feſtus: *ſtruere antiqui dicebant pro adjicere, augere, unde induſtrios quoque. M. Cato: jure, lege, libertate, Republica communiter uti oportet: gloria atque honore, quomodo ſibi quiſque ſtruxit.* Unde reducere poſtliminii jure extruſam temere lectionem non dubitavi.

H. 3, 49, 4. *Quæ ſeditioſa & corrumpendæ diſciplinæ. Mox in prædam vertebat*] Ita potius diſtinxi quam hactenus: *diſciplinæ, mox.* Senſus: Mox Antonius ad prædam convertebatur.

H. 3, 50, 1. *propinqua hieme*] Cod. meus: *propinquante hieme.* quomodo Muretus voluit. & Auctor hoc vocabulum frequentat.

H. 3, 50, 4. *Poppæus Silvanus*] MS. meus: *Pompejus Silvanus.* hic & ſupra H. 2, 86, 6. Item Edd. uſque ad Pichenam, qui ex Flor. receptam hactenus mutavit lectionem.

H. 3, 51, 4. *ex veteri memoria repetita*] Flor. & Meus, item Edd. antiquæ: *petita.* Rhenanus primus dedit; *repetita.* de Bud. an ingenio, non dicit. Mox Flor. ut Bud. *poſcet.*

H. 3, 52, 2. *& certiora ex Muciano ſperabantur*] Ita Flor. Id eſt Mucianumque æquabilius conſtantiuſque præfuturum ſperabant. Sed Meus, ut Rhenanus edidit, *de Muciano.* eodem fere ſenſu.

H. 3, 52, 4. *Plotium Griphum, nuper ab Veſpaſiano in ſenatorium ordinem additum*] Ad hunc ſcripſit *Riſum Saturnalitium* Statius.

& Muciano volentia reſcripſere] Ita Flor. item Edd. ante Rhenanum, qui *volenti* dedit, quomodo Cod. meus. *Volentia* autem ut 15, 36, 6.

H. 3, 53, 1. *cujus criminationibus eviluiſſent pericula ſua*] Hactenus hic lectum, *coaluiſſent*, nullo ſenſu: pro quo Freinshemius ſagaciter vidit, *eviluiſſent*, legendum: quod cum exhibeatur in optimo Codice Florentino, unico duntaxat elemento vitiatum (*eviluiſſint* enim habet) & ſenſus unice poſtulet, recipere non dubitavi. MS. meus, longius abiens: *luiſſet.*

immodicus lingua] Frequentius cum ſecundo caſu, ſed & cum ſexto H. 1, 69, 3. & ſic Flor. & Meus.

H. 3, 53, 2. *intersepta Germanorum Rætorumque auxilia*] Sic Flor. & Meus MSS. & supra h. l. 8, 3. *interjectus exercitus Rætiam Juliasque Alpes, ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.* & 21, 3. *tertiadecima densis arbustis intersepta.*

H. 3, 53, 3. *Casum Cremonæ bello imputandum*] Cod. meus: *Casum Cremonensium b. i.*

H. 3, 54. 2. *ac si liceret vera narraturi*] Flor. *vere narraturi.* Meus: *vera narrare.*

H. 3, 54, 6. *vera esse, quæ afferret*] Ita Flor. & Meus, Codices calamo exarati, tum excusi ante Rhenanum; qui, *referret*, dedit, qua auctoritate silet: quod tamen hactenus toleratum.

H. 3, 55, 1. *Secuta e classicis legio*] Meus Cod. *Secutæ classicæ legiones.* quomodo & Muretus, Acidalio teste, notaverat, uti probabile ex quodam libro depromptum.

H. 3, 55, 2. *si dux alius foret*] Sic MS. meus, item Vulgati ante Rhenanum, in cujus Editione & hanc secutis, *alius dux.*

H. 3, 55, 3. *Latium externis dilargiri*] De *Latii* jure vide ad H. 1, 78, 1.

H. 3, 55, 4. *vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat*] Ita clare Cod. meus, sed Flor. corrupte, *haberat*, unde I. F. Gronovius suspicabatur primitus scriptum, *hiabat.*

stultissimus quisque pecuniis mercabatur] In MS. meo desideratur vox, *pecuniis.*

H. 3, 56, 1. *ut nube atra diem obtenderent*] MS. meus: *ut nube radium obtenderent.* corrupte. Sed Flor. & Edd. ante Rhenanum ut editum. Unde putem Rhenani *obtunderent* nulla nisi ingenii auctoritate niti: quod miror placere potuisse Acidalio vel ob hanc rationem, quod retento τοῦ *obtenderet*, legendum, *ut nubem atram diei obtenderet*; tamquam altera structura minus Latina, cum ipse Cicero eam secutus fuerit lib. I. ad Q. Fr. Ep. I. *Multis simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura.*

H 3, 56, 2. *longe, nec ubi feriri hostias mos est, confossus*] Ita recte ex Vat. Lipsius, cum ante: *longe, quam ubi.* Vat. lectionem exhibet etiam Flor. *longe necui.* Meus in his quidem consentit sed in sequentibus

tibus abit longius, exhibendo: *longe ne cui feriri posset: mox est confossus.*

H. 3, 57, 2. *Apinius Tiro Prætura functus*] MS. meus: *Aponius* & sic præferre Ed. Rom. hic scribit Gruterus. Sed mox h. l. 76, 4. idem MS. nihil mutat.

H. 3, 57, 5. *Tarracinam occupavere, mœnibus situque magis, quam ipsorum ingenio tutam*] *Ipsorum* intellige, Tarracinensium. Similis syllepsis occurrit infra h. l. 64, 2. *nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum.*

H. 3, 58, 4. *Ea simulatio, officia metu profecta, verterat in favorem*] Forte: *a metu profecta.* ut Nicolaus Heinsius. Sensus: Hæc primo præter animi sententiam faciebant simulato studio, veriti, ne si cessarent, quid gravius cogerentur; postea serio & ex animo faventes.

H. 3, 58, 6. *Sed tunc, superstitione nominis*] MS. meus: *sed tunc pro superstitione n.*

H. 3, 58, 7. *mox contemptim & sine discrimine*] Ita ex Flor. restituit Pichena, cum ante: *mox conterriti mœstive discrimine.* Sed MS. meus accedit propius: *mox contenti mæstive discrimine.* Dein ut Flor. *quæ non dabantur remisit.*

H. 3, 59, 5. *multi tradidere*] MS. meus: *multi prodidere.*

H. 3, 60, 1. *ut Carsulas venere*] Straboni Κάρσουλοι. Vide Cluverium lib. II. Ital. Ant. cap. 7. Mox Cod. meus: *sumunt dies.*

H. 3, 60, 3. *ut prædæ, quam periculorum socias*] MS. meus: *ut prædæ potius quam p. s.*

H. 3, 61, 4. *Missus extemplo*] Sic recte Rhenanus pro *exemplo* edidit: nam Flor. & Meus ita habent.

H. 3, 61, 5. *& præmiis defectorum vera fides*] Ita Edd. omnes usque ad Berneggerum, qui de Freinshemii conjectura dedit, *versa fides.* Sed MS. meus confirmat veterum Edd. lectionem, exhibens clare: *vera fides.* Nec opus ulla mutatione. *Vera* enim *fides* hic πληροφορία. Sensus: jamque non ambiguum erat præmia manere defectores: uti explicat I. F. Gronovius lib. III. Observ. cap. 10.

H. 3, 62, 4. *ludicro Juvenalium*] Ita Lipsius ex

24, 15, 1. Tamen Edd. antiquæ Ven. Beroaldi, Rivii, Rhenani; item Flor. & Meus MSS. *juvenum.*

H. 3, 63, 1. *id quoque non sine dedecore*] Ita Rhenanus, ante quem, *non sine decore*, præferebant Edd. quomodo & Flor. sed Meus: *non sine dedecore.*

H. 3, 63, 2. *ut ad prælium intentus ornatusque*] MS. meus, *armatusque.* quod interpretamentum lterius.

H 3, 63, 4. *& secreta Campaniæ*] *Litora* scilicet, ut mox. quæ *Avia* Statio in Silvis: paullo post, *beati Campaniæ sinus.* Secessus nempe maritimi.

H. 3, 65, 1. *invalidus senecta*] Cod. meus: *invalidus ætate sensuque.* Dein duarum circiter paginarum transpositio tam in Flor. quam MS. meo facta est. Sequitur enim: *Ferebatur lecticula* &c. *in Capitolium accivit.* dein: *Erant qui occultis.*

Erant qui occultis suspicionibus incesserent] MS. meus: *incenderent*, quod haud spernendum: neque enim tam de insectatione quam de impulsu hic agitur.

H. 3, 65, 2. *Et credebatur affectam ejus fidem præjuvisse*] Ita Flor. Meus: *præivisse.* Sed cum *præjuvare* vix alibi exstet: *præivisse* non patiatur sensus, inducor ut credam cum Nicolao Heinsio legendum elemento duntaxat uno addito, *præs juvisse.* Etsi enim *prædes* primo dicti quos publicum accipiebat fidejussores (quo significatu Sabinus fratris *præs* fuisse hoc loco intelligi non potest) postea & qui privatis dati, sic appellati sunt. De quo videndus Salmasius de Modo Usur. cap. XVI.

H. 3, 65, 3. *ponendisque per conditionem armis*] MS. meus: *per conditiones.*

H. 3, 66, 5. *non denique exercitibus securitatem nisi exstincto æmulatu redituram*] Ita Lipsius dedit, quoniam in Bud. *æmulatore daturam.* & alibi apud nostrum *æmulatus* pro *æmulatio*: & confirmat emendationem hanc adhuc propius Flor. in quo: *æmulatore dituram.* Meus a Bud. non abit, nisi in genere, exhibens: *æmulatore daturum.* Ego quid in priorum Edd. lectione, *nisi exstincto æmulatore redituram*, desideraverit vir doctus, non satis perspicio.

H. 3, 66, 6. *& casibus dubiis reservatum, prægra-*

vem

vem fuisse] MS. meus: *& paucis diebus reservatum.* Flor. alludens: *& captis diebus reservatum.*

H. 3, 66, 8. *ut tot egregiæ domus honores deceret*] MS. meus: *negligeret.* quod a Rudolpho enotatum, Lipsius ut conjecturam, longius a scripto abeuntem, adspexit, Acidalius recto judicio veram Taciti lectionem pronuntiavit, quoniam Rom. Ed. habet, *degeret.* truncatum ex *neglegeret*: sensus vulgatæ lectionis nullus, hujus optimus. Nunc patet scripturæ hujus fundum MS. esse, non Agricolæ ingenium. Sensus: si non tot honoribus domus suæ, saltem desperatione concitaretur ad audaciam. Nisi me retinuisset Flor. in quo, *deceret*, auctoritas, lectionem hanc repræsentassem, nunc margini duntaxat appingendam curavi.

H. 3, 69, 1. *tamquam omnis Respublica in Vespasiani sinum cessisset*] MS. meus a m. p. *cecidisset.* Flor. *cecississet.* Forte, *se dedisset.*

H. 3, 69, 4. *multi id meritum erga partes simulavere*] Sic H. 2, 61, 1. *Simulatio numinum.* H. 4, 56, 3. *Simulatum obsequium.*

H. 3, 69, 5. *Verulana Gracilia*] Flor. & Meus concorditer, *Gratilia.*

H. 3, 69, 7. *ut digredi sine noxa potuerit*] An *degredi*, ut 4, 49, 1. sed H. 3, 78, 1. *digressus Narnia*, eodem modo.

H. 3, 71, 7. *aluerunt que*] Cod. meus: *aluereque.*

H. 3, 72, 1. *fœdissimumque Reipub. populi Romani d.*] Ita habent Flor. & Meus MSS. a quibus non abeunt multum Edd. ante Lipsium. Ven. enim & Beroaldi: *fœdissimumque Reipublicæ populoque R.* Rhenani: *fœdissimumque Reip. populo Ro.* Lipsius primus omisit τὸ *Reipub.* procul dubio quod putaret non esse Taciti, *Reipublicæ populoque Romano.* Lipsium posteriores Editores secuti sunt. Sed quin alterum, quod excudi curavimus, Taciti sit, dubitaturum arbitror neminem, qui locutionem hanc apud alios veteres notaverit. Exempla collegit I. F. Gronovius lib. IV. Observ. cap. 14.

quam non Porsena dedita Urbe] Savilius miratur hic aliquid legi, quod neque apud Livium neque apud Dionysium, aliosve, nisi memoria sibi fallax, exstet. Sed omnino fefellit. Similia enim ut nota-

vit I. F. Gronovius, relata sunt a Plinio lib. XXXIV. cap. 14. *In fœdere quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsinna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agri cultu uterentur. Etiam stilo scribere vetitum vetustissimi auctores prodiderunt.*

H. 3, 72, 2. *Quibus armorum caussis? quo tantæ cladis pretio stetit? pro patria bellavimus?*] Vocabulum *steterat*, quod ejecerat Rhenanus, reduxi, primo auctoritate MSS. Florentini & Mei, tum Edd. Ven. & reliquarum, ante Rhenanum, nisi fallor, omnium: tum quod hujuc vocis erasio nihil faciat ad locum melius intelligendum. Interim fateor me sensum ea addita nec assequi, nisi ad medicinam recurratur. Ex omnibus autem doctorum conjecturis interpretationibusve nulla mihi hactenus probabilior occurrit, quam I. F. Gronovii, pro *quo* facientis *quid*. Quem vide lib. III. Observ. cap. 17.

H 3, 72, 5. *postquam interjecto* CCCCXV *annorum spatio*] Omnino, CCCCXXV. Ab anno enim CCXLVII, quo Horatius Pulvillus iterum Consul, ad annum DCLXXI, quo L. Scipio, C. Norbanus Coss. elapsi totidem.

H. 3, 72, 6. *Lutatii Catuli nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad Vitellium mansit*] Pichena tamquam ex Flor. edidit primus *inter tot*, cum Edd. priores constanter, *inter tanta*. Sed in Flor. non est hæc scriptura, verum *int̄ ta*, vel, *int̄ at*: hoc enim discerni vix potest. At in meo MS. legitur clare, *inter tanta*. Reposui ergo veterem lectionem. Lipsius Dionem Tacito adversari scribit, quando lib. XLIII. inter alia Cæsari decreta: Τό τε ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἀντὶ τοῦ Κατέλου γεγράφθαι, ὡς καὶ τὸν νεὼν, ἐφ' ᾧ τῇ ἐκποιήσει εὐθύνειν ἐκεῖνον ἐπεχείρησεν, ἐκτελέσαντος ἀντιγραφῆναι ἐκέλευσαν. *utque deleto Catuli nomine, Cæsaris Capitolio inscriberetur: quasi Cæsar in templum de cujus perfectione Catulum ad disquisitionem Senatus vocare intenderat, perfecisset.* Dein hoc SCtum numerat inter illa, quæ a Cæsare non sunt repudiata. Unde vix dubitandum, quin statim exsecutioni mandatum fuerit. Atque ita pugna in speciem Tacitum inter & Dionem. Sed nodus hic solutu facilis iis, qui deleta in antiquis marmoribus nomina unquam vide-

viderint. Sic enim erasa sunt, ut non litura tantum exstet, sed deletarum literarum vestigia sæpe appareant. Quod si igitur tali lituræ Cæsaris nomen insculptum, mansit Catuli nomen in litura, si non expressis literis, saltem hominum sermone. Dionem enim ne dicamus fallere, aut falsum ipsum cum viro docto, Martialis obstat lib. V. ep. 10. Capitolium appellans *Catuli Julia templa:* quod a Petro Scriverio mutatum quidem in *Catuli vilia templa*, verum Editionibus antiquis, Tacito & Dione repugnantibus.

H. 3, 73, 2. *Ex diverso trepidus miles*] Flor. & Meus: *trepidi milites.*

H. 3, 73, 5. *Quinctium Atticum Consulem*] MS. meus: *Quintium.* Forte ad hunc scripta Martialis Epigrammata duo, lib. VII. ep. 31. lib. IX. ep. 101.

H. 3, 74, 1. *Ignoratusque*] Ita Flor. & Meus. Lipsius ex Vatic. *ignarusque.*

H. 3, 74, 2. *aramque posuit casus suos in marmore expressam*] Vulgati libri huc usque: *casusque suos in marmore expressit.* Sed cum Flor. & Meus concorditer: *casus suos in marmore expressam.* non dubitavi singularem locutionem, a tot doctis viris hactenus non deprehensam Tacito restituere. Est autem Græcismus, qualis apud Valerium Flaccum lib. I.

casusque tuos expressa Phalere
Arma geris.

Exprimere autem proprium statuariorum. Cicero lib. III. de Off. cap. 17. *Sed nos veri juris germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur.*

H. 3, 74, 3. *& præmia enavatæ operæ, petebant*] Ita edere malui, quam *navatæ* cum hactenus vulgatis libris, quoniam MS. meus & Bud. *enavatæ*, quod a librariis profectum haud verisimile. Recte autem Rhenanus notat in hoc & similibus verbis, *evincere, emunire*, *e* significare consummationem.

H. 3, 74, 5. *& abscisso capite truncum corpus Sabini*] In Flor. non est vox, *abscisso:* sed Meus habet, verum destituitur voce *Sabini*, a manu prima. Paullo ante idem *tunc* pro *tum.*

H. 3, 77, 1. *Interim ad L. Vitellium*] Ita Flor. & Meus: item Edd. usque ad Pichenam, qui cum sequentibus: *ad Vitellium.*

servus Verginii Capitonis] Flor. item Meus: *Virgilii Capitonis.* & sic iterum H. 4, 3, 4.

vacuam arcem furtim traditurum] Flor. & Meus consensu: *vacuam arcem tradi futurum.*

H. 3, 77, 2. *sternunt inermes*] Flor. *inermos.*

H. 3, 77, 7. *si recenti victoria miles*] Ita scripsi cum meo MS. Vulgati hactenus, *si recens victoria miles*, minus bene: quoniam mox sequitur, *& super insitam pervicaciam secundis ferox.*

H. 3, 78, 1. *festos Saturni dies, Ocriculi per otium agitabat*] Ita clare MS. meus, & sic olim appellatum oppidum hoc Cluverius docet lib. II. Ital. Ant. cap. 7. Vulgati, Otriculi, ex hodierno nomine, *Otricoli. Saturnalia* autem juxta antiqua Kalendaria a. d. XVI Kal. Jan. celebrari incipiebant.

H. 3, 78, 2. *Caussa tam pravæ moræ*] MS. meus: *tam parvæ moræ.*

H. 3, 78, 4. *adversus tris cohortes tueri nequisset*] Flor. & Meus: *nequivisset.*

H. 3, 78, 5. *vel dum regerit invidiam, crimen meruit*] Ita Flor. Meus: *invidiam vel dum regeret crimen meruit.* Vulgati ante Pichenam, *tegeret.* male.

H. 3, 79, 6. *Tullius Flavianus*] MS. meus: *Julius Flavianus.* Flor. *Tulius.* Uterque mox, *consternantur.*

H. 3, 80, 1. *Paucis scuta militaria, plures raptis quod cuique obvium telis, signum pugnæ exposcunt*] Nicolaus Heinsius malebat: *quod cuique obvium teli.*

H. 3, 80, 2. *prætextu Reipub.*] Flor. *prætexto.* quomodo Rhenanus edidit, ex Bud. credo.

H. 3, 80, 3. *qui Petilio Cereali occurrerant*] Ita Flor. & Meus, ut mox: *qui ad Antonium venerant.* Vulgati hactenus: *occurrerunt.*

Arulenus Rusticus] Flor. *Arulenius.*

H. 3, 80, 4. *occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus*] Cod. meus pro *ausus* habet *annixus.* *Proximus lictor*, qui inter lictores dignior. Cicero lib. V. in Verr. cap. 54. *sex lictores eum circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi: cædunt acerrime virgis: denique proximus*

ximus lictor (de quo sæpe jam dixi) Sistius, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime cœpit. Transiit & ad aulæ ministeria. Hinc tit. Cod. Th. *de Proximorum & comitum disposit.*

sacrum etiam in exteras gentes legatorum jus] Ita Flor. Bud. & Meus, quos secutus sum. Vulgati hactenus, *inter exteras*: sensu minus efficaci. *In* autem pro erga, ut Rhenanus docet. Sententia: cum Romani legatorum sanctimoniam religiose observent in legatis ab exteris gentibus ad se missis, hanc civili bello efferati Flaviani in conspectu ipsius Urbis vel cæde legatorum suæ gentis violavissent.

H. 3, 81, 1. *Musonius Rufus*] De hoc diximus ad 14, 59, 2.

H. 3, 81, 3. *eximi supremo certamini unam diem postulabat*] Vulgati huc usque, *postulabant*. Sed Flor. & Meus, *postulabat*. id est Vitellius petebat unius diei inducias, antequam de summa re certaretur. In Meo autem: *eximi supremo certamine unum diem postulabat.*

H. 3, 82, 5. *Plebs invectis equitibus fusa*] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Pichenam, qui cum sequentibus dedit *plebes*, ut H. 3, 32, 1.

H. 3, 82, 6. *Ii tantum conflictati sunt, qui*] MS. meus: *nonnumquam conflictati sunt. Qui.*

ad serum usque diem] Sic Flor. & Meus, item Edd. ante Lipsium, qui *diei* dedit. Quomodo Sallustius, & ipse 2, 21, 5. Sed alterum æque Latinum. Virgilius lib. IV. Georg.

seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.

H. 3, 83, 1. *hos modo, rursus illos clamore & plausu fovebat*] Flor. & Meus non habent τὸ *modo*, nisi quod in Flor. margine recenti manu additum. Sed habent Edd. Veteres.

H. 3, 83, 2. *abditos in tabernis aut si quam in domum perfugerant, erui jugularique expostulantes*] MS. meus quoque *abditos*, ut Flor. præterea: *aut si quam domum p. Erui* vero id est protrahi, ut mox 85, 3. Mox meus: *ad cædes & sanguinem.*

H. 3, 83, 4. *bis L. Sulla, semel Cinna victoribus*] Cod. meus: *semel Cinna victore iterum.*

H. 3, 84, 4. *suprema victis solatia complectebantur*] Flor. *amplectabantur.*

H. 3, 85, 4. *Victæ pone tergum manus*] MS. meus: *tergum pone.*

H. 3, 85, 6. *plerumque rostra aut Galbæ occisi locum contueri*] Ita MS. meus, item Edd. ante Rhenanum, qui, *& Galbæ*, quod deinceps insedit. Occisus autem Galba juxta Curtii lacum in foro H. 1, 41, 2.

H. 3, 86, 5. *Præcipiti in occasum die*] MS. meus: *præcipue.* Flor. & Edd. ante Rhenanum: *præcipitri.* ne quis cum Rhenano amet, *præcipitanti.* Denique Florentinus Codex librum finit solenni formula: *Corneli Taciti liber XVIIII explicit. Incipit vicesimus.*

Ad

Ad Breviarium Lib. IV Historiarum.

Gesta partim adhuc eodem anno, partim
Imp. Cæsare Vespasiano Augusto II, T. Flavio Vespasiani Aug. F. Cæsare Vespasiano } Coss.] Ita scripsi, pro eo quod hactenus: *Gesta illo ipso anno cujus parte postrema Consules Imperator Vespasianus iterum, Titus filius.* contra historiam.

AD HISTORIARUM

LIBRUM IV.

H 4, 1, 2. *si quem procerum habitu & juventa prospexerant*] Flor. Meus & Oxon. *conspexerant.*

H. 4, 1, 5. *& fortuna captæ urbis*] MS. meus: *& captæ urbis fortuna.*

H. 4, 2, 3. *postulabat*] MS. meus: *postulabant.*

H. 4, 2, 7. *quam adversis abstractus*] Ita Flor. & Meus. id est exitio fratris in exitium tractus. Ita 4, 13, 6. *Ac ni Ælius Lamia & L. Apronius, qui Africam obtinuerunt, insontem protexissent, claritudine infausti generis & paternis adversis foret abstractus.* de C. Graccho. Ut Pichena notavit.

H. 4, 3, 2. *& domus inlustres adflictæ*] Savilius adflictionem hanc vocat brevem, quod a fine Decembris in principium Januarii legio tertia tantum Capuæ hibernaverit, H. 4, 39, 7. nisi alterutro loco notandus potius erroris Tacitus. Scilicet ignoravit vir minime malus, quantum uno alterove die rapere, dilapidare ac perdere valeant milites centum, apud unum hospitem divertentes. Quod si in hæc usque tempora vixisset, didicisset a profugis e vicino regno, nihil esse factu facilius.

H. 4, 3, 4. *servus Verginii Capitonis*] Rursus hic ut H. 3, 77, 1, MS. meus: *Virgilii.* Flor. *Vergilii.*

H. 4, 3, 5. *At Romæ Senatus cuncta Principibus solita, Vespasiano decernit*] Exſtat adhuc hodie hujus Senatusconſulti tabula ænea Romæ in Baſilica Lateranenſi, in qua ſequentia continentur:

FOEDVSVE CVM. QVIBVS VOLET. FACERE. LICEAT. VTI LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVS CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT. VTI LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE IVSSV. MANDATVVE. EIVS. PRAESENTEVE. EO SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM. RERVM. IVS. PERINDE. HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. LEGE. SENATVS. EDICTVS ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM IMPERIVM. CVRATIONEMVE. CVIVS. REI. PETENTES SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO COMMENDAVERIT. QVIBVSVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORVM. COMITIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CVM. EX REPVBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI LICVIT. TI. CLAVDIO CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVMQVE. EX. VSV. REIPVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM. HVMANARVM PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE FACERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG. TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG. TIBERIVSVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR. VESPASIANVS.

SIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE. DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE. CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT. EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQ. SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO

SI. QVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA. SENATVSVE. CONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONE. PLEBISVE. SCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HVIVS. LEGIS. ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. OB. EAM. REM. POPVLO. DARE. DEBETO. NEVE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO. NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD. SE. AGI. SINITO.

H. 4, 3, 6. *ea prima specie forma : ceterum ut Princeps loquebatur, civilia de se, de Repub. egregia*] MS. meus: *ea prima specie formidata, ceterum ut Princeps loquebatur* &c. quomodo existimo ab Auctore scriptum, nisi forte & pro *ea* ab eodem *et* relictum. Certe in vulgata lectione sensus nullus.

Consulare Imperium] Locus Suetonii Lipsio citatus, ita legitur in MSS. duobus quibus Torrentius usus, item Salmasiano: *Cæsar consalutatus honorem Præturæ urbanæ consulari potestate suscepit titulo tenus, quam jurisdictionem ad collegam proximum transtulit.*

H. 4, 4, 3. *sed in Sarmatas expeditio fingebatur*]

Id est simulabant se dare ea ob motum Dacorum (de quo H. 3, 46.) ab eo coërcitum. *Daci* enim *Sarmatæ.* H. 4, 54, 2. *Fingebatur* autem ut 2, 26, 8. *quamquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret.*

H. 4, 4, 4. *Mox deos respexere, restitui placuit Capitolium*] Ita Rhenanus dedit, cum ante eum Edd. ut MS. meus: *Mox deos respicere restituique Capitolium placuit.*

H. 4, 4, 5. *prompsit sententiam ut honorificam in bonum Principem, ita falsa aberant. Et studiis Senatus attollebatur*] Usque ad Pichenam hic legebatur: *ut honorificam in bonum Principem. Falsa aberant: & studiis Senatus attollebantur.* Hic ex Flor. primus edidit *attollebatur*, reliquis intactis. Sed cum nec sic persanatus locus esset, Berneggetus ante *falsa* asteriscum appinxit. Nunc tandem MS. meus (Rodolphi Agricolæ quondam) feliciter sensum explet, exhibens, *ita falsa*, & confirmans Flor. *attollebatur.* Quod Lipsius velut Rodolphi conjecturam negligentius consideravit, Grotius & Freinshemius ut veram Taciti lectionem sagaciter apprehendere. Mox MS. meus: *Isque præcipue illi dies.*

H. 4, 5, 1. *quia iterum in mentionem incidimus viri sæpius memorandi*] MS. meus: *quoniam in mentionem.* Sed vulgata defenditur, quod semel tantum ejus meminerit in Historiarum libris, quæ ante Annales scriptæ, H. 2, 91, 3. in Annalibus meminit sæpius.

H. 4, 5, 2. *Helvidius Priscus, regione Italiæ Tarracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset*] Flor. *carecinæ m.* Meus: *Tarentino m.* In anterioribus nil mutant. Nihilominus cum Freinshemio sentio regionis numerum excidisse, legendumque: *regione I Italiæ.* sive, *regione prima Italiæ.* Nam amici medicinam transpositione sanantis corrigentisque: *Helvidius Priscus Tarracinæ municipio, Cluvio patre, qui in legione Italica ordinem primipili duxisset:* vereor ut apud severos artis hujus judices probem.

H. 4, 5, 3. *non, ut plerique, nomine magnifico segne otium velaret*] Vulgati hactenus: *non ut plerique,*

ut nomine. sed posterius *ut* abest a Flor. & Meo. & solet subintelligi.

H. 4, 5, 4. *ceteraque extra animum*] MS. meus: *ceteraque quæ extra animum.*

H. 4, 6, 3. *& egregiis utriusque orationibus testatum*] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, qui dedit, *orationibus utriusque certatum.* Ex qua lectione ut mutavere *certatum* insequentes Editores, sic *orationibus utriusque* retinuere, contra priorum Edd. & MSS. ordinem.

H. 4, 6, 4. *Marcellus urnam postulabat, quæ Consulis designati sententia fuerat*] MS. meus: *postulat, & quæ.*

H. 4, 7, 5. *Sentio*] Ita Flor. Meus: *Senetio.* Edd. ante Lipsium: *Senecione.*

H. 4, 7, 6. *quam bonos amicos esse. Satis Marcello*] Ita distinguunt Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, a quo insedit: *quam bonos amicos. Esse satis Marcello.*

H. 4, 8, 4. *Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines inlusisse*] MS. meus: *per ejusmodi.*

H. 4, 8, 7. *Hæc magnis utrimque contentionibus jactata*] MS. meus: *concertationibus jactata.* Sic *concertator* 14, 29, 3.

H. 4, 10, 2. *sed vilis & nocens reus, protegi non poterat*] MS. meus: *eripi non poterat.*

proditor corruptorque amici & cujus se magistrum ferebat] Ita dedit Lipsius approbante Florentino. Ante editum *amicitiæ.* quomodo Cod. meus.

H. 4, 11, 3. *vim Principis complecti*] Flor. & Meus: *amplecti.*

H. 4, 11, 6. *se ipse interfecit*] Ita Flor. & Oxon. vulgati hactenus: *se ipsum.*

H. 4, 11, 7. *Asiaticus (enim is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit*] MS. meus: *Asiaticus etiam libertus.*

H. 4, 12, 3. *Batavi donec trans Rhenum agebant*] MS. meus: *agitabant.* & sic 1, 50, 1. 4, 46, 1.

simulque insulam inter vada sitam occupavere] Flor. *insulam inuata sit an occupavere.* Meus: *insulam vata insitam occupavere.* A nullo, ex iis qui MSS. usi, Interpretum adducitur tamquam in scripto Cod. repertum, *inter.* Præterea Batavorum *insulam inter*

vada

vada sitam, dubitari potest ex hodierna locorum facie an veritati satis consentaneum, a capite enim lateribusque Rheno, a fronte Oceano clauditur. Unde Colerus existimabat legendum: *simulque insulam Bataviam* (ita enim malo quam *Batavam*) *occupavere*. Certe Dio hanc conjecturam firmat lib. LV. οἱ τὸ τῶν Βαταούων ἀπὸ τῆς Βαταουΐας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. *qui Batavi appellati a Batavia, quæ est in Rheno insula.* Idemque insulæ nomen vetus recensque innuere videtur. In Tabula enim Peutingerorum *Patavia*, apud medii ævi scriptores *Batua*, hodie pars ejus superior adhuc Betaum vel Betouw dicitur. Inferior enim partim Hollandia partim Ultrajectina Diocœsis. Sicut majores, origine Catti, *Batavorum* nomen non a fictitio heroë *Batone*, sed ab insula, quam occupavere, traxerint. Quod si tamen ex MSS. ut videtur, non Editorum ingenio, τὸ *inter* Ven. & reliquas Edd. insedit; nihil mutandum, & hæc *vada* de *Caninefatum* Frisiabonum, Frisiorumque minorum regione intelligenda. Cum vero hodie *Rhenolandia* sese extendat usque ad *Xam* & hæc demum temporibus Wilelmi, Romanorum regis, aggeribus altioribus jactis Oceani incertis exempta fuerit, patet quomodo humiliores *Rhenolandiæ* terræ, adhuc paullo ante hujus tempora *vada* fuerint. De *Caninefatum* regione vide ad H. 4, 15, 1.

H. 4, 12, 4. *nec opibus Romanis, societate validiorum attriti*] MS. meus; *societateve validiorum attriti*. Lipsius quoque in Vatic. *societateve*, reperit.

H. 4, 13, 4. *quibus averterꝫ accita a Vitellio auxilia*] Flor. & Meus; *adverteret*. Et sic Rhenanus dedit, sublata etiam præpositione, quæ nec in Flor. est, ex Bud. credo.

H. 4, 14, 1. *Civilis desciscendi certus*] Ita Flor. & Meus: & Edd. ante Rhenanum; qui *civilis dissidii certus*.

H. 4, 14, 3. *& est plerisque procera pueritia*] Cod. meus: *& ex plerisque*. corrupte. Amicus: *ut est plerisque p. p.* malebat.

H. 4, 14, 5. *Quando Legatum, gravi quidem comitatu, & superbo cum imperio, venire*] Etsi Lipsius satis commodum ex his verbis sensum exsculpserit,

tamen Cod. meus vocabulum addit, *parum* post *venire.* quo addito melior redditur.

H. 4, 14, 7. *esse sibi robur peditum equitumque*] MS. meus: *sibi robur.* absque τῷ *esse.* item Flor. nisi quod is a f. m. ejus loco, *at.* Bud. *et.*

H. 4, 15, 1. *Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute par Batavis: numero superatur*] Ita Flor. & Meus. Ursinus tamen hic & ubique *Cannanefates* rescribi jubet ex antiqua Inscriptione, quæ apud Gruterum. Sed neque Lapides, neque libri, in nominis hujus scriptura constantes. Apud Plinium enim lib. IV. cap. 15. *Cannenufates* & *Canenfaces* in diversis Codd. In alio Lapide apud Gruterum: *Cananivates.* in alio apud Rheinesium: *Canonefas.* Illud potius hic inquirendum, in qua insulæ parte *Caninefates* habitaverint. Hadrianus Junius inter medium Rheni alveum & *Harlemum* opidum, sedes habuisse putat. Cluverius insulæ partem versus septemtrionem, quæ a Batavoduro sive *Durostadio* Lugdunum usque extenditur, attribuit: sed infeliciter, uti a Pontano ostensum. Vera dubio procul Gerardi Neomagi aliorumque indigenarum sententia *Caninefates* non esse alios quam *Kenemarios.* Primo enim sedes quas Tacitus *Caninefatibus*, in parte insulæ ad mare, tribuit, *Kenemariis* unice competunt. Deinde vestigium veteris appellationis in hodierno nomine adhuc durat. *Kenemarii* enim dicti ab alveo quodam Rheni sub urbe *Alcmaria*, cui nomen Kinhem vel Kinnem: cujus mentio crebra apud medii ævi scriptores. Regino ad a. Ch. 884. *Eodem anno Nortmanni, qui in Chinheim & Denemarca venerant, adsentiente Godifrido Rhenum navigio ascendunt, & Dinsburch oppido occupato, munitionem in eodem loco more solito construunt, & in ea tota hieme resident.* Ab hoc autem fluvio ut Kinnemers & Kennemers/quomodo adhuc hodie: sic Kinhemfars & Kennefars/ quod Romani ad suum idioma inflexerunt, antiquitus appellatos verisimile est. Ut autem intelligatur quomodo Kinhem Rheni alveus, sciendum Rhenum, partim supra, partim infra opidum Lugdunum Batavorum plura olim fecisse diverticula, quorum alvei plerique adhuc durant, quæ con-

greſſa deinceps in *Caninefatum* regione, duobus oſtiis in Oceanum ſe exonerabant, uno apud *Egmondam*, cui ab Enghmond id eſt anguſto oſtio vocabulum (ad quod S. Willebrordus ad prædicandam majoribus noſtris fidem Chriſtianam e Britannia veniens, primum appuliſſe creditur) altero apud vicum *Petten*, quod ante ducentos annos nondum obturatum Cominæus dicere videtur, quando Eduardum Britannorum regem a Bervicenſi regno pulſum, non longe ab *Alcmaria* appuliſſe ſcribit. Hinc Cæſar lib. IV. de B. G. cap. 10. *Rhenus* &c. *ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque inſulis effectis, quarum pars magna a feris barbariſque nationibus incolitur: ex quibus ſunt, qui piſcibus atque ovis avium vivere exiſtimantur: multiſque capitibus in Oceanum influit.* Alveus vero qui inter *Egmondam* & *Alcmariam* interjectus, vel ejus ſaltem pars, Rinhem appellata, ſi credimus auctori Chronici Belgici, Joanni a Leidis, qui uno in loco *inter Alcmariam & Conventum Carmelitanum*, alio *infra Alcmariam ad Middelburg caſtrum* ponit. Accedit quod Rheni nomen in pluribus hujus tractus locis adhuc duret, uti jam ſuperiore ſeculo Petro Nannio Alcmariano * monitum. Ab hoc igitur Rheni alveo accolæ Rennefars & Rennemers, regio ipſa Rinhem, poſtea Rennemerland dicta.

* Sym-miɛt. lib. X. cap. 2.

H. 4, 15, 3. *ſtolidæ audaciæ Brinno*] Ita Flor. & Meus hic & paullo poſt concorditer, quos ſecutus ſum. *Brinno* enim vel *Bruno*, Brun / antiquiſſimum apud Germanos nomen.

H. 4, 15, 5. *proxima occupatu, Oceano irrumpit*] Ita Lipſius approbantibus poſt eum cunctis Editoribus. MS. meus: *proximo occupata Oceano.*

H. 4, 16, 2. *nec Brinnonem ducem ejus belli, ſed Civilem eſſe patuit*] MS. meus: *Nec Brinnonem eſſe ducem belli ſed Civilem eis patuit.*

H. 4, 16, 6. *niſi eadem volentis*] MS. meus: *volentes.*

H. 4, 17, 2. *digredientibus, ſpolia Romanorum offerebantur*] MS. meus: *ſpolia Romana.*

H. 4, 17, 9. *Virtutem proprium hominis bonum*] Flor. & Meus ut Bud. *hominum.*

H. 4, 18, 2. *Mummium Lupercum*] Ita MS. meus. & La-

& Lapides Capitolini & alii gemino *mm* nomen hoc scribunt. Vulgati hactenus, *Mumium*. Sed Savilius hic reprehendit Tacitum quod *Mummium* hunc duabus legionibus videatur præficere cum paullo post alterius Legatum tamquam sui oblitus recenseat *Numisium Rufum*. Apage cavillationem. Non duabus legionibus præfuisse *Mummium* dicit, sed *duarum legionum hibernis*, id est præfectum fuisse castris, quibus nomen *Vetera*, in quibus duæ legiones, quarum alterius Legatus erat ipse, alterius Numisius Rufus, tendebant, tamquam seniorem Legatum.

H. 4, 18, 3. *majore pretio fugeret*] Infra h.l. 27, 4. *quo pretio, quibus conscii prodidisset exercitum.*

H. 4, 18, 3. *Ubios e proximis, Treverorum equites haud longe agentes*] MS. meus: *Vibiorum ex proximis*. sed voluit *Ubiorum*. Sic enim frequenter hi scribuntur in hoc MS. quod videtur vulgatæ lectioni præferendum; quoniam sic necessario respicitur ad vocabulum *equites*, quod sequitur.

H. 4, 18, 8. *ne interfectus invidiam apud populares*] MS. *ne interfectus esset invidia apud p.* an, *esset invidiæ.*

H. 4, 19, 2. *pretium itineris*] Infra h. l. 58. *pretium exitus.*

quam ut acrius exposcerent] MS. meus: *expostularent.*

H. 4, 19, 7. *quin cuncta quæ acciderant*] Ita Rhenanus dedit cum in Bud. invenisset, *qui cuncta quæ*. Flor. tamen & Meus, quemadmodum Edd. ante Rhenanum: *cunctaque quæ acciderant.*

H. 4, 20, 4. *in cuneos congregantur*] Ita Flor. & Meus. Vulgati plerique, *in cuneis.*

tenuem nostrorum aciem perfringunt] Ita MS. meus & Edd. ante Rhenanum, a quo, *aciem nostrorum p.*

H. 4, 21, 1. *justi jam exercitus ductor*] MS. meus: *justi exercitus jam ductor.* mox *adegit* pro *adigit.*

H. 4, 21, 2. *neque proditoris neque hostium se consiliis uti*] MS. meus: neque *proditoris consiliis neque hostium se uti.*

H. 4, 22, 1. *Adversus has belli concurrentis minas*] Id est simul ingruentis.

H. 4, 22, 2. *Sed parum provisum, ut copiæ in castra*

ſtra conveherentur] Ita Lipſius emendavit, cum ante legeretur: *ni copiæ* &c. quomodo exhibet etiam MS. meus. Nec opus hic medicina, ut recte Salinerius notavit. Senſus, ſed parum proſpectum ſecuritati horum caſtrorum deſtructis complanatiſque proceſtriis, niſi frumenta & alia victui neceſſaria, quæ in illis occurrebant, ordine collecta intus ſeponerentur dividerenturque publica diligentia.

H. 4, 23, 1. *Pars caſtrorum, in collem leniter aſſurgens*] Flor. & Meus: *exurgens.* Sed utrumque dixerunt. Cæſar lib. VII. de B. G. cap. 19. *collis erat leniter ab infimo acclivis.*

H. 4, 23, 2. *ſibi quæque gens conſiſtunt*] Sic Flor. & Meus MSS. Rhenanus, *ſimul*, conjiciebat.

H. 4, 23, 3. *inrita hærebant*] MS. meus, ut Vat. *irrita pendebant.*

H. 4, 23, 7. *& fortuita belli ſperabantur*] MS. meus: *ſpectabantur.*

H. 4, 24, 1. *Dillio Voculæ duodeviceſimæ legionis Legato*] Sic Edd. ante Rhenanum, qui *duoetviceſimæ*, quomodo Flor. & Meus: ſed hiſtoria repugnante.

Ipſe pavidus torpere, inviſus militibus] Flor. & Meus concorditer: *Ipſe navibus invalidus corpore, i. m.* Unde Pichena faciebat: *Ipſe pavidus, invalidus corpore* &c. mox iidem, *premebant* pro *fremebant.*

H. 4, 24, 3. *interfecto traditore*] Sic Flor. & Meus MSS. ſuſpecta hæc vox Ferretto & Acidalio ut minus Latina atque ex vulgari idiomate huc tranſlata, leguntque, *proditore.* Nihilominus vocem hanc vel a Diocletiani temporibus in uſu fuiſſe, Hiſtoria Eccleſiaſtica docet, quando *traditores* appellari cœpti, qui metu pœniſve fracti ſacros libros *traderent.* Quod ſi conſtaret ante illa tempora ignoratum hoc vocabulum, atque inde ad Italos Galloſque tranſmiſſum, exiſtimarem potius cum Nobiliſſimo Heinſio filio legendum: *tradito ve.* ut *tradito Cotye.* 2, 66, 1. nempe vinculis aut cuſtodiæ, donec de eo Vitellius ſtatueret. Similiter H. 4, 57, 6. *ut Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignuſque tanti ſceleris nece aut vinculis Legatorum daretur.*

H. 4, 24, 4. *inſtinctos flammavere*] Ita MS. meus

a ma-

a manu prima: a secunda additum, *i*, ante *flammavere*.

H. 4, 25, 1. *primæ legionis ventum*] MS. meus: *primæ legionis est ventum*.

H. 4, 25, 3. *exemplaria omnium literarum*] Ita MS. meus. Flor. *exemplares*. mox Meus: *ante militi, quam duci*.

H. 4, 25, 5. *pleræque civitates adversum nos armatæ, spe libertatis*] Flor. *adversum nos arma, spe*. Meus: *adversum arma sumpsere, spe*.

H. 4, 25, 7. *optimus quisque jussis paruere*] MS. meus: *optimi quisque*.

H. 4, 26, 2. *fatum & ira Dei*] Pro deorum. Valerius Flaccus lib. V. *Fatum illud & ira deorum*.

H. 4, 26, 3. *Ingressis Novesium tertiadecima legio conjungitur*] MS. meus: *Noësium XVI legio c.*

H. 4, 26, 5. *ductus a Vocula exercitus*] MS. meus: *ductus Voculæ exercitus*. a Flor. quoque abest præpositio.

H. 4, 28, 1. *At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat*] Ita recte Pichena ex Flor. & Covarruviano, cum ante *immensis actibus*. Meus, ut Lipsius testatur, *immensis laudibus*. proclivi errore.

H. 4, 28, 2. *alia manu Mosam amnem transire jubet*] Faërnus & Ursinus volebant *transiri*: Freinshemius, vel *aliam manum*. vel *transiri*. Sed MSS. nil mutant. & quid vetat subintelligi *suos*?

ut Menapios & Morinos & extrema Galliarum quateret] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, qui dedit *quaterent*, de ingenio uti suspicor. Sed nulla sic mutandi necessitas: respicitur enim ad ipsum Civilem.

H. 4, 28, 3. *Infestius in Ubiis, quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur*] MS. meus: *quod Germanicæ originis* &c. *Romanorum nomen A. v.* quomodo Gruterus testatur habere etiam Editionem primigeniam. Præterea in Flor. *nom*, legitur, quod pariter per *nomen* videtur reddendum. Unde valde probabilis Gruteri sententia, existimantis, *Romanorum nomen*, e glossa vocabuli *Agrippinensium*, textui insertum, atque a Tacito relictum: *Infestius in*

Ubiis, quod Germanicæ originis, ejurata patria Agrippinenses vocarentur.

H. 4, 28, 7. *nec finem labori nox attulit*] MS. Oxon. *ne finem quidem labori n. a.* Ed. Ven. *nec finem quidem labori.* Flor. & Meus, ut editum.

H. 4, 29, 1. *Congestis circum lignis, accensisque*] MS. meus: *congestis circum accensis lignis.* voluit: *congestis circum ac accensis lignis.*

H. 4, 29, 2. *& si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant*] MS. meus: *insignibus falgens armis ad i. d.* voce, ut videtur, necessaria auctius.

R. 4, 29, 4. *Unde clamor acciderat*] MS. meus: *accideret.* mox Flor. & Meus: *tendere arcus.* quæ lectio Lipsium offendit. quoniam de Germanis, ut ait, sermo, quibus haud crebra ea arma. Sed non magis de Germanis, quam Romanis hic verba: de utrisque enim fiunt. Si enim de Germanis duntaxat ageret, minus apposite subjiceret: *Apud Germanos inconsulta ira.*

H. 4, 30, 3. *Præcipuum pavorem intulit*] MS. meus: *terrorem.*

H. 4, 32, 2. *neve externa armis falsis velaret*] Reposui lectionem priorum Edd. pro qua Lipsius nulla cogente necessitate subjecerat, *externa arma.* contra harum tum Flor. Mei, aliorumque, ut puto, omnium MSS. auctoritatem. *Externa* enim sic sæpe. 6, 32, 1. H. 1, 79, 1. H. 3, 5, 3. &c. *armis falsis,* id est prætextu bellandi pro Vespasiano, ut Salinerius explicat.

H. 4, 32, 4. *Egregium, inquit, pretium laboris cepi, necem*] Flor. *pretium laboris recipi.* Meus, quomodo Ed. Rom. *pretium laborum recepi.* sed τὸ *laborum* superadditum a secunda manu.

H. 4, 32, 5. *quod præmium effusi totiens sanguinis exspectatis*] Ita Flor. & Meus, quos secutus sum potius quam Vulgatos, in quibus: *quod pretium:* quoniam hæc vox paullo ante præcessit.

H. 4, 32, 6. *& Canninefates Batavique exigua Galliarum portio*] Savilius Batavos alibi nomine *Germanorum* venire notat. quod verum, ut patet G. 29, 1. sed non propterea minus recte Galliis hic contribuuntur, quarum Belgica divisa in primam & secundam

cundam Belgicam: superiorem & inferiorem Germaniam: in inferiore Germania Batavi & Caninefates *extrema Gallicæ oræ* (H. 4, 12, 3.) incolebant & adhuc incolunt.

H. 4, 32, 7. *molliora referre*] Ita reposuit ex Flor. Pichena, cum ante *meliora referre*. in vulgatis. Quomodo legitur etiam in MS. meo: & sic H. 1, 69, 3. *effusis lacrymis, & meliora constantius postulando.*

H. 4, 33, 1. *Claudio Victore sororis suæ filio*] MS. meus: *sororis suæ viro.* quomodo & Ed. Rom. primigenia.

H. 4, 33, 2. *Asciburgii sita*] Hodie exiguus vicus Asburg nomine inter Novesium & Vetera, non longe ab opido Mursia. Vide Cluverium lib. II. Germ. Antiq. cap. 18.

adeoque improvisi castra involavere] In MS. meo non est τὸ *castra.*

subsignano milite media firmare] MS. meus: *mœnia firmare.* Quod non displiceret (intelligerentur enim *mœnia Geldubæ*) nisi sequeretur: *auxilia passim circumfusa sunt.* unde patet de aciei ordinatione sermonem esse.

H. 4, 33, 3. *latera nostrorum nudavere*] MS. meus: *latera nostra nudavere.* sic *exercitus nostros* mox 35, 2.

H. 4, 33, 6. *Is error Romanis addit animos*] Nec in Flor. nec in Meo MS. reperitur vox *Romanis.* Idem de Bud. testatus est Rhenanus. Mox MS. meus, *suscepere*, pro *recepere.* magis proprie; tamquam ante dejectæ vires nunc *susceptæ* iterum.

H. 4, 34, 1. *circumiri a tam paucis cohortibus nequisset*] MS. meus: *circumveniri.*

H. 4, 34, 2. *solvere obsidium legionum eodem impetu potuit*] Vulgati hactenus, *potuisset.* Flor. & Meus: *potuit.* quod secutus sum, quoniam præcedit, *si* &c. *maturasset.*

H. 4, 34, 4. *Confossus illic a Germanis*] Ita Flor. & Meus MSS. scilicet ubi sic ostentabatur. Freinshemius malebat, *illico.*

H. 4, 34, 5. *ut depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent*] Particula *ut* abest a Flor. & Meo: Idemque de Bud. testatus est Rhenanus.

H. 4, 34, 9. *credita per utrumque exercitum fama*] Sic ambo MSS. Flor. & Meus: Lipsius: *dedita* vel

didi-

didita. ut 11, 1, 4. sed 6, 35, 5. ut hic: *Fama tamen occisi falso credita.*

H. 4, 35, 2. *ut inde terrestri itinere f. a.*] Nulla defectus suspicio in MSS.

H. 4, 35, 3. *qui ubi rursus missos Novesium frumentatores*] Ita recte Lipsius, ex quibusdam libris. Nam sic Flor. & Meus concorditer exhibent. Bis igitur missi Novesium frumentatores: primi cum *impedimentis*, curribus scilicet & jumentis, *imbellique turba*, lixis & calonibus, qui illuc advenerunt, *nondum satis firmo* ex lapsu equi *Civile*: secundi præsidio cohortium, quos antequam pervenirent, in agmine Civilis aggressus est, cohortesque Geldubam se recipere coëgit.

H. 4, 35, 5. *frumentatoribus onustis perculsisque*] Ita malui cum MS. meo & Ed. primigenia, quam cum vulgatis reliquis: *onustis pauculisque.* præcipue cum in Flor. *periculisque*, quod ex *perculsisque*, corruptum, manifeste paret; uti & *vehiculisque*, quod in Oxon. Nam cum tanta egestate copiarum fatigarentur exercitus apud Vetera, parum verisimile prima emissione adeo *pauculos* frumentatores cum impedimentis & imbelli turba Novesium missos. Hi autem cum essent procul dubio equites, quamdiu onusti non erant, sibi & impedimentis tuendis sufficiebant. Onusti & ipsi præsidio indigebant. Hinc secundæ missionis frumentatoribus *datæ in præsidium cohortes*, quæ & hos & præcedentes frumento onustos reducerent, *perculsos* ex certamine, quod posterius missi cum Civile habuerunt, quo cohortes se separare & devertere Geldubam coactæ fuerant. Familiaris autem Tacito vox. H. 4, 17, 4. *perculsi milites improvisa proditione.* H. 4, 30, 2. *Pugnatum in perculsos, subita & prospera eruptione.*

e quinta & quartadecima legionibus apud Vetera obsessis] Mercerus monuit recte pro *quartadecima*, scribendum *quintadecima.* Nam mox cap. seq. *adventu quintanorum quintadecimanorumque.* & H. 3, 22, 2. similiter conjunguntur. ubi cum prœlio Cremonensi quod ultimo Octobri contigit, interfuisse dicuntur: hæc vero contigerint inter prælii hujus diem & Kal. Januarias subsequentes, paret neutrobi integras has legiones, sed duntaxat partes fuisse,

quæ

quæ nomen totius utrobique tulisse videntur, quod singulæ aquilam habuerint, cum aliæ similiter divisæ, tantum in altera parte haberent vexillum. Merceri emendationem confirmat etiam aliquatenus MS. meus, exhibens: *e quinta & decima legionibus.*

H. 4, 36, 2. *Sed miles* &c. *accendebatur*] MS. meus: *accendebantur.*

H. 4, 36, 3. *Effusi in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, veterem*] MS. meus: *Effusus in* &c. *cœtus miles, veterem* &c. *renovavit.* sed τὸ *miles* a manu secunda additum.

H. 4, 37, 2. *cum jam Vitellius occidisset*] Ita Flor. & Meus, ne quis cum Rhenano velit; *corruisset.*

H. 4, 37, 3. *& duodevicesimani*] Flor. & Meus: *& duoetvicesimani.* perperam, ut H. 4, 24, 1.

H. 4, 37, 4. *mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate prædæ*] MS. meus: *mixtus e Caucis, Usipiis & Matricis exercitus, societate prædæ.* ex qua scriptura pro *satietate prædæ* videtur reponendum, *societate.* quoniam parum verisimile obsessores in ipsa Maguntiaci obsidione tanta præda ditatos ut satietas eos ceperit & propterea discesserint. Probabilius *societatem prædæ* caussam fuisse uniti ex diversis populis exercitus ad Maguntiacum obsidendum.

nec incruenti. In via dispersos & nescios miles noster invaserat] Ita Lipsius restituit, adjutus Rom. Codice, cum ante: *nec incruentati. Ita dispersos* &c. Flor. hic valde corrupte: *nec incruentari via a dispersos* &c. Unde Acidalius longe falli Lipsium & multa hic deesse vociferatur. Sed tuetur Lipsium Codex meus, in quo sine ulla lacunæ suspicione: *nec incruenti. Via dispersos* &c.

H. 4, 38, 2. *Is præerat provinciæ*] In Flor. & Bud. deest τὸ *præerat*: sed in Meo: *Is provinciæ præerat.*

H. 4, 38, 2. *cui una ex Repub. annonæ cura*] Ita Flor. & Meus, ne quis aures Rhenano præbeat, voces duas, *cui una*, Bud. Codicis auctoritate inducenti sententia corrupta.

H. 4, 39, 2. *Et Tertio Juliano Prætura* &c. *ablata*] Flor. & Meus unanimiter: *Tito Juliano.* & sic pariter Edd. ante Rhenanum. Sed supra H. 2, 85, 5.

& h. l. 40, 4. *Tertius* dicitur. Ursinus tamen & infra in veteri Codice reperit *Titio.* in Meo est *Tito.*

in Plotium Griphum] De hoc actum ad H. 3, 52, 4.

H. 4, 39, 3. *nomen epistolis edictisque proponebatur*] MS. meus: *præponebatur.* quomodo & Ursinus in V. C. reperit & Muretus teste Acidalio legendum notavit. Mox *Vis penes Mucianum erat.* a Lipsio est, ante quem, *jus p. M* quomodo & MS. meus.

H. 4, 39, 4. *clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat*] MS. meus: *& populus f.*

H. 4, 39, 5. *Scribonianum Crassum*] Vide ad H. 1, 48, 2.

H. 4, 39, 7. *vires abolet*] MS. meus: *vires adimit.* mox idem: *ejus flagrantissimus* pro *cujus.*

H. 4, 40, 3. *quique æra legum vetustate delapsa noscerent figerentque*] 11, 14, 4. *Claudius tres literas adjecit, quæ usui, imperitante eo, post oblitteratæ, adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.* 12, 53, 4. *Et fixum est ære publico Senatusconsultum, quo libertinus sestertii ter millies possessor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur.*

H. 4, 40, 6. *Junius Mauricus*] Flor. *Maricus.* Meus: *Martius.* Sed vulgata defenditur Plinii Junioris Codicibus, apud quem lib IV. ep. 22. *Quum sententiæ rogarentur, dixit Junius Mauricus (quo viro nihil firmius, nihil verius) non esse restituendum Viennensibus agona: adjecit, vellem etiam Romæ tolli posset* &c.

H. 4, 41, 3. *in Sariolenum Voculam*] MS. meus hic & paullo post: *Sannolenum.*

& Nonium Actianum] MS. meus: *Novum.*

H. 4, 41, 5. *tamquam Neroni Scribonios fratres concordia opibusque insignes ad exitium monstravisset*] Hactenus hic legebatur, *Scribonianos fratres.* quod Lipsio merito suspectum, ex 13, 48, 2. & Xiphilino. apud quem infeliciter Rupertus Σκριβωνιανῶν legit pro Σκριβωνίων. Cum igitur in Flor. & Meo reperirem *Scribonios*, non dubitavi sic rescribere. Vide de his notata supra.

H. 4, 42, 1. *Vipstanus Messalla*] Vulgati hactenus: *Vipsanius* MS. meus: *Vissanus.* Sed *Vipstanum* vocant Lapides, ut dictum 14, 1, 1.

ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari] Hic accusa-

cusator innocentium Plinio & humili loco natus dicitur: unde dubio procul frater uterinus Vipstani Messallæ fuit.

H. 4, 42, 2. *Regulum subversa Crassorum & Orphiti domus in summum odium extulerat*] MS. meus: *& Orfita domus in summum odium extulerant.*

Sponte ex S. C. accusationem subiisse juvenis admodum] MS. meus: *sponte ex se accusationem* &c. plane ut Rhenanus divinavit. Gruterus existimabat τὸ *ex S. C.* nata ex τοῖς *ex se*: hæc vero esse τῆς *sponte* interpretatiunculam & propterea legendum: *Sponte accusationem subiisse* &c.

H. 4, 42, 3. *Et Sulpicia Prætextata Crassi uxor*] A MS. meo ut ab Ed. Rom. abest vocabulum *uxor.*

H. 4, 42, 5. *Hoc certe, inquit, Nero non coëgit*] Ita Flor. & Meus, quos secutus sum. Vulgati hactenus: *Hæc certe.*

H. 4, 42, 7. *septuagies sestertio saginatus*] Conjectura Faërni a plerisque probata, a Berneggero primum τῷ κειμένῳ inserta. Flor. & Meus, item Edd. ante Lipsium, *signatus.* qui ipse *dignatus* primum voluit, postea Faërni lectioni acquievit. Mox MS. meus, *segnitiem.*

quod per singulas domos seque & delatores fatigaret] MS. meus: *q. p. s. domos sequens delatores fatigaret.*

H. 4, 42, 11. *Sed diutius durant exempla, quam mores*] MS meus: *quam hoies.* id est *homines*: sed a manu secunda: & a prima videtur fuisse, *mores.* Lipsius ex lectione mei Codicis ab Agricola enotata facit *auctores.* & hanc emendationem ut verissimam imputat. Sed mihi vulgata sana videtur nec medicinæ indiga. Sensus: sed pœnæ malorum diutius deterrent ab illorum imitatione homines, quam Principis boni atque a malitia eosdem deterrentis vita durat.

H. 4, 42, 12. *Elanguimus Patres conscripti*] MS. meus: *Elanguemus P. c.*

H. 4, 43, 2. *nulli unquam sub Nerone periculum facessisset*] MS. meus: *nulli unquam periculum sub Nerone fecisset.* Sed ut vulgata sic alibi Tacitus.

H 4, 44, 3. *Octavium Sagittam*] Flor. & Meus concorditer: *Octavium Sabinum Sagittam.* Supra 13, 44, 1. tantum *Octavius Sagitta.*

& Antistium Sosianum senatorii ordinis, egressos exsilium] MS. meus: *senatorio ordine egressos in exilium.* perperam addita præpositione.

H. 4, 44, 4. *Pontiam Postumiam stupro cognitam*] MS. meus: *Pontiam positam in a stupro cognitam.* Manu vero secunda deletum τὸ *in*, & emendatum, *ac stupro.*

H. 4, 45, 1. *Manlius Patruitus ordinis Senatorii*] MS. meus: *Mallius Patruitus Senator.* Flor. *Manlius Patruitus Senator.* Unde vulgata interpolata videtur ex præcedentis capitis verbis: *Octavium Sagittam & Antistium Sosianum senatorii ordinis* &c.

in colonia Seniensi] Edd. ante Lipsium *Senensi.* & mox *Senensium.* Sed Flor. & Meus, ut Vatic. *Seniensi.* & *Seniensium.* qui Manuscriptorum consensus nil temere mutandum admonet, nec audiendum Cluverium *Senensi* & *Senensium* repetentem: tamquam de *Sena Julia* Etruriæ urbe *Senensis*, non *Seniensis* formatum esset. Nam & *Seniensis* apud Plinium lib. III. cap. 5. in Chifletii Codice pariter de hac legitur. Verum Celsus Cittadinus, referente Holstenio, quæ hic narrantur de *Senia* Dalmatiæ urbe, accipiebat: qua re non ita largiter in patriam peccasse mihi videtur, ac Holstenius putat; nisi in *Seniensium* laudem trahi possit, quod Senatorem Romanum jussu magistratuum quondam pulsaverint. Interim fateor Dalmatiæ *Seniam*, non videri fuisse *coloniam*: certe Plinius lib. III. cap. 21. *oppidum* duntaxat vocat, ubi paullo post Iaderam coloniam.

H. 4, 45, 3. *Et cognita caussa in convictos vindicatum*] Ita Flor. & Meus: item Edd. ante Berneggerum; in cujus Ed. *cognita jussa*, operarum credo errore, quod insequenti Batavæ retentum.

H. 4, 45, 3. *Additumque Senatus consultum*] Ita MS. meus.

H. 4, 45, 4. *Cyrenensibus damnatur*] MS. meus: *Cirensibus.* & superadditum eadem manu, *Cretensibus.* Flor. *Cyrensibus.* item Edd. ante Rhenanum, qui deinceps vulgatam dedit *Cyrenensibus.*

H. 4, 46, 1. *Ne Vitelliani quidem sine multa cæde pelli poterant. Ingressus castra* &c.] In MS. meo post τὸ *poterant*, sequuntur octo vocabula, quæ in vulgatis

tis desiderantur: *Sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus c.* Et in Flor. teste Pichena post idem verbum adjiciuntur: *sed immensa pecunia fer.* post quæ, eodem teste, paginæ transpositio ibi a librario facta, sed adeo evidens, ut nullam pariat confusionem. Anticipata autem perperam verba hæc in meo Codice ex H. 4, 53, 6.

H. 4, 46, 3. *ceterique per Urbem & Urbi vicina*] MS. meus: *Urbique vicina.*

H. 4, 46, 4. *Eos Mucianus diduci &c. jubet*] MS. meus: *deduci.* Flor. *separati assistere.*

H. 4, 46, 7. *prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti*] MS. meus: *prehensare commanipularium pectora cervicibus injecta.* Ed. Rom. *cervicibus injecta.* Ven. *cervicibus injecti.* Unde maxime placet: *prehensare commanipularium pectora, cervicibus injecti suprema oscula petere.* Pro vulgata tamen est Cod. Flor.

postremum cœlum ac deos obtestari] MS. meus: *postremo.*

H. 4, 47, 1. *Ceterum verane pauperie an uti videretur actum in Senatu*] Ita Flor. Meus abit longius, exhibendo: *Ceterum milites ne pauperie abuti viderentur a. i. S.*

Præpositus ei curæ Poppæus Silvanus] In MS. meo desideratur τὸ *curæ.* pro *Poppæus* videtur scribendum *Pompejus.* ut monui ad H. 2, 86, 6.

H. 4, 47, 2. *summaque & ima miscentis*] Ita Berneggerus primum edidit, cum ante, *summaque etiam miscentis*, ex conjectura ut putavit, Rudolphi, Lipsio & Pichenæ probata. Ego ipsissimam hanc Manuscripti, qui Agricolæ quondam fuit, lectionem attestor.

H. 4, 48, 1. *L. Piso Proconsul interficitur*] Flor. *Proconsule.* de *L. Pisone* vide ad 13, 31, 1.

ea de cæde quam verissime expediam; si pauca supra petiero] MS. meus: *eam cædem quam verissime expediam si p. s. p.* Acidalius malebat *brevissime.* Rhenanus & alii: *supra repetiero.* ut 16, 18, 1.

H. 4, 48, 3. *M. Silanum obtinentem Africam*] De hoc vide ad 13, 1, 1.

& mixtis utriusque mandatis discordia quæsita auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit diuturnitate officii] Ita distinguitur hic locus in MS. meo,

& sic distinguendum monuit I. F. Gronovius. Sententia, hujus verbis: Dum imperant iisdem uterque suo jure sæpe contraria, discordia exorta est, & ea *pravo certamine*, dum neuter alteri concedere sustinet *aucta*. Sed Legatorum potestas prævaluit, quia complures per annos eam curam habebant, Proconsules quotannis mutabantur. Ante distinguebatur: *discordia quæsita auctaque. Pravo certamine Legatorum jus adolevit, diuturnitate officii.*

H. 4, 49, 1. *neque modica cupiens & affinitate Vitellii anxius*] Ita MS. meus. item Ed. Rom. primigenia: quos sequi malui, quam reliquos vulgatos, in quibus: *sed affinitate V. a.* ut una de caussis quæ irrequietum faciebant Valerium Festum, fuerit *Vitellii affinitas.*

H. 4, 49, 2. *Is crebris sermonibus tentaveritne Pisonem ad res novas, an tentanti restiterit, incertum*] A MS. meo abest τὸ *crebris:* item voces, *ad res novas.*

H 4, 49, 5. *ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet*] MS. meus: *ostentaret.*

H 4, 50, 6. *Mox Oëensium Leptitanorumque discordias componit*] Vulgati hactenus *Ophensium.* & mox, *populus Ophensis.* MS. meus: *aspensium.* & paullo post: *aspensis.* sed a manu secunda, prima sic inducta, ut legi non possit. Unde miror Lipsium scribere Rodolphum voluisse, *Ruspensium.* *Aspis* autem Græcis quæ Romanis *Clupea*, Africæ in promontorio Mercurii oppidum a Siculis quondam conditum. Unde si de hoc sermo esset, videtur auctor Romanus Romana potius appellatione usurus. Quare sic ab aliquo interpolatum putem. Felicius Lipsius corrigit *Oëensium.* & mox, *Oëensis.* ex Plinio lib. V. cap. 5. *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit, latronibus gentis ejus, puteos (qui sunt non alte fodiendi, si locorum notitia adsit) harenis operientibus. Proximo bello, quod cum Oëensibus Romani gessere initiis Vespasiani Imperatoris, compendium viæ quatridui deprehensum est. Hoc iter vocatur Præter caput saxi.* Qui locus ut ex hoc illustratur, sic vicissim medicinam porrigit. Silius item hos conjungit lib. III.

Sarranaque Leptis,
Oeaque Trinacrios Afris permixta colonos.

Et.

Et Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. cap. 6. *Leptitanoque agro & Oëensi interneciva populatione transcursis expleti prædarum acervis ingentibus abscesserunt, occisis Decurionibus multis.* Unde non sum veritus emendationem hanc velut indubitatam recipere.

latrociniis secundam] H. 1, 51, 6. *colonia, secunda rumoribus.* alibi cum secundo casu.

H. 4, 50, 7. *Unde arta Leptitanis res*] Ita Flor. & Meus, item Edd. ante Rhenanum, a quo deinceps, *arta L. res.* quod Freinshemius ita de ingenio corrigebat, ut edidimus. quod *res* eo significatu, fere plurali veniat; & sic H. 3, 69, 7. *ni subveniretur, artas res nuntiaret.*

lateque vastatis agris] MS. meus: *vastis agris.* de quo ad H. 2, 32, 3.

fusi Garamantes & recepta omnis præda] MS. meus: *omni.*

H. 4, 52, 4. *ni pater exemplum præbuisset*] Flor. & Meus: *ni parens.*

H. 4, 52, 5. *belloque & armis Rempub. attollere*] Edd. ante Rhenanum: *attolleret.*

H. 4, 53, 3. *quibus fausta nomina*] Flor. *qui fausta nomina.* Meus: *quis fausta omina.* a Tacito videtur: *quis fausta nomina.*

aqua rivis & fontibus amnibusque hausta, perluere] Hæc lectio est a Rhenano: sed Flor. *aqua trimis e fontibus amnibusque hausta.* Meus a. m. p. *aqua trinis e fontibus omnibus hausta.* dein m. s. e *trinis* factum *ternis.* Cum autem nullum, quod sciam, apud alios aquæ lustralis e tribus fontibus haustæ occurrat testimonium, Ant. Augustinus Rhenani conjecturam pariter amplexus, adhuc ampliavit, legendo: *aqua e rivis & fontibus amnibusque hausta perpluere.* Sed dubito an Taciti lingua, *rivi & fontes amnesque.* Verisimilius scripsisse: *aqua vicinis e fontibus amnibusque hausta perluere* Cicero lib. III. de Nat. Deor. cap. 20. *in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus* supra 11, 55, 4. *hausta fontis arcani aqua.*

H. 4, 53, 4. *Plauto Eliano*] An *Plautio Æliano*? ut intelligatur *Ti. Plautius Silvanus Ælianus*, ad quem pertinet Inscriptio Tiburtina, apud Grute-

rum aliosque. Certe, quoniam probabile honoratissimum e Pontificum collegio hoc ministerio functum, vix dubitandum videtur. Quare ipsam subjicio pro ut recens a Kirchero descripta est:

TI. PLAVTIO. M. F. A. . . . . . .
SILVANO. AELIANO . . . . . .
PONTIF. SODALI. AVG. . . . . .
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVDII
CAESARIS. IN. BRITANNIA. CONSVLI
PROCOS. ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM. MILL
EX NVMERO TRANSDANVVIANORVM
AD. PRAESTANDA. TRIBVTA. CVM. CONIV-
(GIBVS
AC. LIBERIS. ET. PRINCIPIB. AVT. REGIB.
(SVIS
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIENTEM. SARMA-
(TAR
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTEM. MAGNAM
(EXERCITVS
AD. EXPEDITIONEM. IN. ARMENIAM. MISIS-
(SET
IGNOTOS. ANTE AVT INFENSOS. P. R. REGES.
(SIGNA
ROMANA. ADORATVROS. IN. RIPAM. QVAM.
(TVEBATVR
PERDVXIT. REGIBVS. BASTARNARVM. ET
ROXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRA-
(TRVM
CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT.
(AB
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCEPIT. PER.
(QVEM. PACEM
PROVINCIAE. ET. CONFIRMAVIT. ET. PRO-
(TVLIT
SCYTHAR. QVOQVE. REGEM. A. CHERONENSI

QVAE. EST. VLTRA. BORVSTENEN. OPSIDIO-
(NE. SVMMOTO
PRIMVS. EX, EA. PROVINCIA. MAGNO. TRI-
(TICI. MODO
ANNONAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC LE-
(GATVM.
IN HISPANIAM. AD. PRAEFECTVR. VRB.
(REMISSVM
SENATVS. IN. PRAEFECTVR. TRIVMPHA-
(LIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVTHORE.
(IMP.
CAESARE. AVGVSTO. VESPASIANO. VERBIS.
(EX.

ORATIONE EIVS. Q. I. S. S

MOESIAE. ITA PRAEFVIT. VT. NON. DEBVE-
(RIT. IN
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVMPHALIVM.
(EIVS
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR.
(EI
CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRAEFECTO.
(VRBIS
HVNC. IN. EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS.
(IMP. CAESAR.
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT.

lustrata suovetaurilibus area] MS. meus ut Flor. *bovetaurilibus*.

& super cespitem redditis extis] Ante Rhenanum hic legebatur: *secundum cespitem*. Sed confusas sæpius has voces diximus ad 11, 38, 4. & Flor. & Meus hic exserte, *super*.

H. 4, 53, 5. *& metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato*] Flor. *sed ut signantur*. Meus: *victæ, sed & signanter prædixere haruspices, ne* &c. Quæ lectio forte non spernenda: *signanter* enim eadem ratione dictum qua *significanter*. etsi nec vulgata displiceat.

H. 4, 54, 2. *vel externum servitium*] Ita ex Flor. Pichena, consentiente Cod. meo.

H. 4, 54, 3. *ut finem Imperio adesse crederent*] Edd.

Edd. hactenus: *finem Imperii*. Sed Flor. & Meus: *finem Imperio a. c.* quod prætuli.

H. 4, 54, 4. *primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos*] Hæret hic Savilius, quæritque qui isti, quando & unde ab Othone adversus Vitellium missi? Verisimile fuisse tales, qualis *rex Epiphanes* H. 2, 25, 5.

H. 4, 55, 1. *nihil prorupit*] MS. meus: *nihil erupit*.

H. 4, 55, 2. *Classicus nobilitate opibus ante alios*] Ita Pichena ex Flor. cui accedit MS. meus. Vulgati prius: *antelbat alios*.

H. 4, 55, 3. *hic Trevir, hic Lingon*] Flor. *Lingonus*. Meus: *Lingonius*. Apud Martialem quoque occurrit *Lingonus* lib. VIII. Ep. 75.

Dum repetit sera conductos nocte Penates
Lingonus a Tecta Flaminiaque recens.

Sed *Lingones* numero plurium appellavere, qui incoluerunt tractum, qui vulgo *Langrois*. Quod autem Pichena monet, exigere sententiam: *Ille Trevir, hic Lingon*. τὰ πλεῖστα verum, non semper. Nam & *hic* geminatur, ut modo remotius, modo proximius respiciat, ut apud Virgilium Ecl. IV.

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Non Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit.

H. 4, 55, 7. *Si Alpes præsidiis firmentur; coalita libertate, disspecturas Gallias*] MS. meus voce una auctior vulgatis: *coalita libertate, altius despecturas Gallias*.

H. 4, 56, 1. *de reliquiis Vitelliani exercitus*] MS. meus a m. p. *de reliquis V. e.* ut in Bud. invenit Rhenanus.

H. 4, 56, 2. *ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur*] Flor. & Meus: *pertinaciam accenderent*.

H. 4, 56, 4. *optimum e præsentibus ratus*] MS. meus: *opportunum e præsentibus ratus*. mox τὸ *artibus*, quod in Flor. æque ac Bud. desideratur, in Meo exstat.

H. 4, 56, 5. *extra conventum amandatum*] Ita exserte Cod. meus. id est extra civitatem Batavorum in qua duntaxat unus juridicus *conventus*: quales

les in Hispania Bætica quatuor, Citeriore septem, juxta Plinium lib. III. cap. 1. & 3. Inscriptio vetus apud Reinesium:

IMP. CAES.
T. AELIO HAD. ANTONINO
AVG. PIO. P. P. COS. IIII
PONT. MAX. TRIB. POTEST
CONVENTVS CAR
TAGIN.
CVRANTE POSTVMIO
FLAMINE.

H. 4, 56, 6. *Betasiorumque*] Ita in Edd. ante Lipsium, item apud Plinium scribitur hoc nomen: in MS. meo: *Becasiorumque* hic & deinceps levi errore. In Lipsii Ed. & hanc insequentibus adspiratio additur: *Bethasiorumque*. Cluverius etsi adseverare nolit vicum *Beets*, ad lævam Getæ ripam, inter oppida *Halen* & *Leewe* in Brabantia a priscis *Betasiis* habere nomen, tamen pro indubitato habet *Betasios* ibi coluisse lib. II. Germ. Antiq. cap. 21.

H. 4, 56, 7. *Caninefates Marsacosque incursabat*] *Marsatios* appellat Plinius lib. IV. cap. 15. quorum sedes nunc *Velavia*, largiente Cluverio lib. III. Germ. Antiq. cap. 21. quod Caninefatum terris, de quibus ad H. 4, 15, 1. plane convenit.

H. 4, 57, 3. *Eadem rursus numina, eadem fata ruptores fœderum exspectarent*] Ita Rhenanus dedit, ante quem: *Eadem rursus omina*. Ita enim invenio in duabus Editionibus ante eum, Beroaldi & Rivii, non, *omnia*, ut in Notis ejus legitur. quod dubito an recte mutatum iverit, quoniam præcedit: *ultores deos*. Flor. & Meus: *Eadem rursus nomina*.

H. 4, 57, 4. *Galbam & infracta tributa*] Savilius hic Tacitum culpat ἁμαρτήματος μνημονικοῦ & quidem splendidi. Quoniam Galba non imminuit sed potius auxit Lingonum & Treverorum tributa eosque varie afflixit. ut tamen concedat quibusdam urbibus quartam tributorum remissam, sed non in hisce comitiis. Sed I. F. Gronovius arte oratoris ad omnes trahi docet, quod quædam civitates accepissent, ad invidiam faciendam defectoribus Gallici nominis.

H. 4, 58, 1. *mortemque in tot malis hostium ut finem miseriarum exspecto*] Ita plane meus Cod. tum Flor. Lipsius tentabat: *in tot malis honestam.* quomodo 1, 70, 5. *quippe illis etiam honestæ mortis usus.* 6, 26, 3. *honestum finem voluisse.* I. F. Gronovius: *otium & finem m. e.* lib. I. Observ. cap. 14.

H. 4, 58, 2. *id enim fas armorum, & jus hostium*] Flor. & Meus consentientes: *& jus hostium est.*

H. 4, 58, 3. *Adeo vos, si fortuna in præsens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt*] Vulgati hactenus: *Adeo nos.* sed Ms. meus ut edidi: idque postulat commoti objurgantisque oratio; tum præcedentia: *Vestri me pudet. vestris manibus.*

H. 4, 58, 6. *Pecunia nuper etiam donativo suffecit*] MS. meus: *nuper & donativo.*

H. 4, 58, 9. *signum belli Batavus dabit?*] Tò *belli* non est in meo Cod.

H. 4, 60, 4. *dat custodes, qui pecuniam &c. & qui ipsos leves prosequerentur*] Vulgati hactenus: *atque ipsos leves p.* Flor. & Bud. *atqui ipsos leves p.* Meus: *& qui ipsos leves p.* quod sum secutus: duorum enim generum custodes ait datos, alios ad prædam castrorum servandam, alios ad victos prosequendos: quos *leves* dicit armaturæ gravioris respectu: ut 1, 51, 6. *Turbabantur densis Germanorum catervis leves cohortes.*

H. 4, 61, 1. *propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum deposuit*] MS. meus: *perplexum rutilatumque.* perperam, *propexus* enim crinis, summissus, in longum pexus.

H. 4, 61, 4. *inter dona missus Veledæ*] Vulgati hactenus: *Velledæ.* Sed Flor. & Meus hic & deinceps *Veledæ.* Quomodo rescripsi monitus Statii, *Captivæque preces Veledæ.* Unde patet hanc deinceps confecto bello in Romanorum potestatem venisse. & hinc G. 8, 3. *vidimus sub divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam.* Apud Dionem Βελήδα scribitur. Patria appellatione videtur 𝔙𝔢𝔩𝔦𝔢 vel 𝔚𝔢𝔢𝔩𝔡𝔢 dicta: quod inter nos adhuc hodie fœmineum nomen & *imagunculam* notat. *Bele* Cambrobritannis juxta Ioannem Davidsonium *martes.* Iunius nomen sortitum ab infe-

lici

lici omine putat, quasi interpres fuerit fatalis & Cassandra suis, indeque veri teer dictam. Alii ab agro ericæ pleno, cujus valde dives, quasi veel heide, dictam opinantur.

H. 4, 61, 7. *Vindonissa*] Hodie vicus exiguus prope Arolæ & Rusæ sive Ursæ confluentes in Ambronico Helvetiorum pago, vulgo Windisch.

H. 4, 62, 1. *legio tertiadecima*] Flor. *legio* XVI. sed meus: *legio tredecima.* Et vulgatam Pichena contra Mercerum adseruit ex H. 4, 26, 3.

H. 4, 62, 5. *inhonora signa, fulgentibus hinc inde &c.*] Emendatio Lipsii a Pichena recepta. prius legebatur: *innexa signa.* Sed Flor. *inhora signa.* Meus: *in ora fulgentibus* &c. absque τοῦ *signa.*

H. 4, 63, 2. *Sævitia ingenii*] Ita Cod. meus a manu secunda, a prima videtur fuisse: *sævitia ingente.* Flor. *ingenti* habet. Usque ad Pichenam editum: *sævitia ingenita.*

H. 4, 64, 2. *communibus deis & præcipuo deorum Marti grates agimus*] Vulgati hactenus: *sed præcipuo.* Verum Flor. & Meus consentientes: *& præcipuo.*

H. 4, 64, 3. *sub custode & pretio coiremus*] Ita Flor. & Meus MSS. per *pretium* videntur intelligere *vectigal & onera commerciorum* ab Agrippinensibus mox resoluta H. 4, 65. per *custodem* militem: unde ibidem: *sint transitus incustoditi.*

H. 4, 64, 4. *Sed ut amicitia societasque nostra in æternum rata sint*] MS. meus: *rata sit.* quomodo mallem. aut, *ratæ sint.*

H. 4, 64, 6. *quomodo lucem diemque omnibus hominibus*] Recte Pichena adseruit lectionem hanc contra Lipsium: quæ & a MS. meo comprobatur.

H. 4, 64, 7. *abruptis voluptatibus*] Ita Lipsius dedit ex MSS. & sic præfert Meus. vulgati ante eum: *abruptis vectigalibus.* quod non stabilit, ut Lipsius putat, Salinerius contendit, Ubiorum responsum: *Vectigal & onera commerciorum resolvimus.* Hoc enim sponte Ubios fecisse ante missam hanc legationem colligi ex secunda hujus orationis periodo potest. Non responderunt autem Agrippinenses ad hoc de

voluptatibus caput, quoniam ita dictabat prudentia.

H. 4, 65, 5. *Deductis olim*] Ita Flor. & Meus.

H. 4, 65, 6. *in vetustatem consuetudine vertantur*] Ita Flor. & Meus.

H. 4, 65, 9. *Ipsa edita in turre*] MS. meus: *Ipsa adyta intrare, delectus* &c. quam lectionem Lipsius laudavit, utrum Rodolphi ingenio an libro deberetur ignarus. Sensus: Veleda, quoties consuleretur, intrabat adyta.

. 4, 66, 2. *occupatisque Sunicis*] MS. meus: *Sinnicis.* Flor. *Sunnicis.* Hos Cluverius coluisse putat agros Mosam inter Roramque, sic ut medii inter Ubios & Tungros fuerint: lib. II. Germ. Antiq. cap. 19.

H. 4, 66, 6. *ingens rerum, perculsis civitatum animis*] Cod. meus voce auctius: *ingens rerum tumultus perculsis c. a.* Unde Nicolaus Heinsius faciebat, *cumulus.* ut H. 2, 24, 6. *mille equites, cumulus prosperis, aut subsidium laborantibus, ducebantur.*

H. 4, 67, 1. *projectis fœderis Romani monumentis*] Ita Flor. & Meus. ne cui cum Lipsio hæc suspecta sint. Sensus: eversis cippis vel tabulis, quibus fœdus Romanorum cum Lingonibus incisum & publicè propositum erat.

H. 4, 67, 4. *insigne Epponinæ uxoris exemplum*] MS. meus: *Eponinæ.* Plutarcho Ἐμπονὴ dicitur. Unde aut hic *Emponinæ* scribendum, aut Plutarchus e nostro corrigendus.

H. 4, 68, 1. *cuncta in deterius audita*] 4, 23, 3. *quæ ex longinquo in majus audiebantur.*

ne, quamquam egregii duces (jam enim Gallum Annium, & Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent] Ita edidit locum hunc Pichena ex Merceri emendatione. Prius edebatur: *nequaquam* &c. *tolerare.* nullo sensu. Flor. & Meus hic corrupti. Ille enim: *nequaquam* &c. *toleraret.* hic, *nequaquam* &c. *delegerunt, munia belli pariter tolerantes.*

H. 4, 68, 4. *Arretinum Clementem*] Ita Flor. & Meus. Ursinus ex antiqua Inscriptione, quæ apud Gruterum, scribendum monet *Arricinum.* Sed eam pertinere ad hunc *Clementem* non probat. Præterea apud Suetonium ut hic scribitur, Domit. cap. 11. Et

ab

ab *Arretio* æque *Arretinus*, ac *Aricinus* ab *Aricia*.

patrem ejus sub Cajo Cæsare egregie functum ea cura dictitans] MS. meus voce auctius: *patrem ejus bello sub Cajo* &c.

H 4, 68, 5. *atque ipsum quamquam senatorii ordinis ad utraque munia sufficere*] Ita Flor. & Meus. Ed. Rom. teste Grutero: *tamquam senatorii ordinis.* qua admissa lectione, etsi minus bona, pugna Tacitum inter & Suetonium a Lipsio notata, nihilominus manet. Quod Gruterus putabat aliter.

H. 4, 68, 7. *Legiones victrices sexta & octava*] Flor. *legiones victrices vim* XI VIII. Meus: *Legiones victrices tertia decima octava.*

Peninis Cottianisque Alpibus] Ita scripsi pro *Cottianis*, quomodo hactenus: quoniam sic apud alios scriptores, etiam supra H. 1, 61, 2. inprimis in Lapidibus; quippe a *Cottio* rege denominatæ. Vide Cluverium lib. I. Ital. Antiq. cap. 12.

sexta ac decima ex Hispania accitæ] Flor. VI. *ac prima ex Hispania a.* Meus: *tertia ac prima ex Hispania a.* & sic Edd. usque ad Pichenam, qui Savilii emendationem tamquam historiæ fide nixam & Mercero laudatam, contextui inseruit. Supra enim H. 3, 44, 1. *Capto Valente, cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adjutrice legione orto, quæ memoria Othonis infensa Vitellio, decimam quoque ac sextam traxit.* Infra H. 5, 16, 6. *Principem Galbam sextæ legionis auctoritate factum*, Cerealis in Germania ad præsentem. H. 5, 19, 1. *Cerealis exercitum decima ex Hispania legio supplevit.*

H. 4, 69, 2. *Constat obstitisse*] Ita MS. meus & Edd. ante Pichenam; qui cum insequentibus, *obstetisse.*

H. 4, 69, 3. *unde jus auspiciumque peteretur*] Ita recte Rhenanus, procul dubio ex Bud. nam Flor. & Meus comprobant, cum ante eum: *unde vis a.*

H. 4, 69, 4. *aut vetustatem originis pro jure jactantibus*] Ita exserte MS. meus, item Ed. Rom. Lipsio teste, qui postquam P. Manutii conjecturam, *per jurgia jactantibus*, contextui inseruisset pro *perjuriaque j.* quod in anterioribus, Ingenue fassus est injuria a se spretam Rom. Cod. lectionem: quam postquam vidi Manuscripto confirmari, revocare non dubi-

dubitavi. id est cum alii pacta conventa, alii præsentem opulentiam, alii gentis antiquitatem tamquam justum titulum ad Principatum sibi deferendum adducerent. *Pro jure*, ut H. 4, 74, 1. *jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur.* Salinerius qui *perjuriaque* tuetur & hoc præcipue ad Germanos trahit, de quibus hic non agitur, minime audiendus est. Præterea Flor. exhibet: *perjuria jactantibus.* atque ita Lipsius se reperisse in MSS. auctor est: quod confirmat lectionem a nobis exhibitam.

H. 4, 70, 5. *recenti Vangionum, Caracatium Tribocorum delectu*] Flor. *Cæracatium, Tribocorum.* & mox: *Cæracatibus.* Meus: *Ceratacium.* &, *Ceratacibus.* Cluverius lib. II. Germ. Antiq. cap. 12. legit *Nemetum.* & mox *Nemetibus.* nimio literarum a scriptis divortio. Vero propius *Cæracatium.* & *Cæracatibus* rectum esse, & *Cærasos* Cæsaris intelligi qui cum Eburonibus, Condrusis, & Pæmanis uno nomine Germani appellari, ad XL millia, lib. II. de Bello Gall. cap. 4. de quibus adeundus Cluverius lib. II. cap. 15. Quemadmodum autem Civilis Betasios ac Nervios copiis suis adjunxit H. 4, 66, 6. sic Tutor Vangiones, *Cæracates*, Tribocos.

H. 4, 70, 6. *mox ubi duces exercitusque Romani propinquabant*] Flor. *exercitusque Romanus p.* Meus: *exercitusque R^s. appropinquabant.*

H. 4, 70, 7. *vitato Magontiaco Bingium concessit*] MS. meus: *vitata Moguntiaco.*

fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat] Flor. *Navus fluminis.* & sic Edd. ante Rhenanum. Meus: *quia pontem vis fluminis abruperat.* Sed ad *Navæ*, qui hodie Nahe/ & Rheni confluentes jacet *Bingium*, hodie quidem, in dextra *Navæ* ripa, tunc uti ex Taciti descriptione colligitur, in sinistra. Idque Ausonius subindicat in Mosella:

Transieram celerem nebuloso lumine Navam
Addita miratus veteri nova mœnia vico:
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas:
Infletæque jacent inopes super arva catervæ.

H. 4, 70, 8. *perfugerunt*] *Perfugere* MS. meus.

H. 4, 71, 4. *Gallorum obsequium*] MS. meus: *Galliarum o.*

H. 4, 71, 6.

H. 4, 71, 6. *quantumque secum transvexerat*] MS. meus a m. p. *quantumcumque secum t.* a f. ut editum.

Rigodulum] MS. meus: *Rigodolum.* quod *Regiodola* in diplomate Dagoberti apud Bruschium, manetque nominis hujus vestigium in Reol & Rigelburg / ut Freherus.

H. 4, 71, 7. *montibus & Mosella amne septum*] Flor. *montibus aut M.* quomodo Rhenanus edidit. quod Pichena amovit iterum, quoniam sic alterutrum munimentum putabat intelligi non utrumque. Sed *montibus aut Mosella* sepiri, est alibi montibus, alibi Mosella: *montibus & Mosella*, simul montibus & Mosella.

H. 4, 71, 9. *Ut ventum in manus*] Ita Flor. & Meus uno ore: vulgati hactenus, *ad manus.* Sed alterum a Tacito, qui similiter 2, 80, 7. *ut venere in manus.* H. 4, 76, 5. *Ausuros rursus venturosque in manus.* Livius lib. 2. cap. 46. *pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat.* ubi plura loca congessit I. F. Gronovius. Mox MS. meus: *ruinæ more præcipitantur.*

H. 4, 72, 3. *Redigeretur præda in fiscum*] Ita non modo Flor. verum & Meus.

H. 4, 72, 4. *Cerialis metu infamiæ*] Flor. sicut Edd. usque ad Lipsium. *Cerealis a metu infamiæ.* quod defendere conatur Salinerius. Meus tamen absque præpositione: *Cerealis metu infamiæ.*

posito civili bello] Flor. Meus & Rhenano teste, Bud. *civium bello.*

H. 4, 72, 5. *stabant conscientia flagitii mæstæ*] MS. meus: *mæsti.*

H. 4, 72, 7. *obstupefecerat, attonitis etiam victoribus: qui vocem precesque adhibere non ausi, lacrymis ac silentio veniam poscebant*] Ita Flor. & Meus. quod noto propter Muretum & Acidalium, quorum ille τὸ *qui* inducit, hic in *quia* mutat. tamquam plane necessum sit, ut *qui* respiciat *victores*, quos lacrymis silentioque veniam aliis petere indecorum inconveniensque. Mutata ergo leviter distinctione, quo periret hic respectus, puncta duo, quæ fixa hactenus post *obstupefecerat*, collocavi post *victoribus:* reposita loco eorum priore ὑποστιγμῇ. Ita in epipho-

phonemate *qui* respicit *conscientia flagitii mæstos*, optimo sensu.

H. 4, 73, 4. *adversus Cimbros Teutonosque*] MS. meus: *Teutonesque*.

quo eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum] MS. meus: *satis claret*. quod minime spernendum. Lucretius lib. VI.

quod in primo quoque carmine claret.

H. 4, 74, 1. *donec in jus nostrum concederetis*] Sallustius bello Cat. cap. 20. *postquam Respublica in paucorum potentium jus atque ditionem concessit.*

jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur] Ita Flor. & Meus, ne quis cum Ursino velit *ademimus*. Similiter H. 4, 83, 1. *cum Alexandriæ recens conditæ mœnia templaque & religiones adderet.*

H. 4, 75, 2. *quamquam nuntios occultarent*] MS. meus, ut Farn. *nuntii occultarent*. quod probabat Lipsius. Et videtur hæc lectio vulgatæ anteferenda. quam utcumque, diversimode tamen, Salinerius & Pichena interpretari conantur.

H. 4, 76, 3. *& neminem adeo in arma pronum*] Ita edidi de consensu Flor. & Mei. Vulgati hactenus: *in arma promptum*.

H. 4, 77, 1. *alii viam inter Mosellamque flumen tam improvisi adsiluere*] MS. meus tribus vocibus auctius: *flumen dispositi per pontem tam improvisi a.* Savilius quoniam Tacitum hoc loco non intellexit, eum velut parum exactum chorographum taxat, tamquam non expresserit quæ fluvii pars Romanis castris insessa fuerit. Sed mihi nihil clarius dici potuisse videtur, quam castra hæc fuisse in sinistra *Mosellæ* fluminis parte apud *Augustam Trevirorum*. Cum enim hæc Urbs adhuc hodie sit, & tum etiam fuerit, in parte dextra, & castra Romana dicantur fuisse trans amnem & pontem, *qui ulteriora coloniæ annectit*, consequens hæc fuisse in parte sinistra. *Coloniam* autem *Trevirorum*, ut hodie, ita etiam tunc fuisse in parte dextra, patet ex itinere legionum, quæ Bonna Novesioque advenientes, *nihil mutato itinere ante mœnia Treverorum considunt*. H. 4, 62, 9. ubi paullo ante prælium *Romanus exercitus castra*

castra fossa valloque circumdedit : quis temere antea intutis consederat. H. 4, 76, 4. quæ hic perrupta dicuntur primo hostium impetu, simul medius *Mosellæ* pons, inter castra scilicet & *coloniam*, ab iisdem insessus.

H. 4, 77, 3. *reciperatum pontem lecta manu firmavit*] Flor. *delecta.* Meus : *e lecta.*

H 4, 77, 5. *neque aliud excusandum habeo, quam quod vos Gallici fœderis oblitos prædixerim, memoriam Romani sacramenti temere credidi*] MS. meus : *quam quod vos Gallici fœderis oblitos proximam memoriam Romani sacramenti tenere credidi.* qua lectione nihil planius. Præterea *memoriam Romani sacramenti tenere*, Editiones præferunt antiquæ & a Tacito videtur, qui A. 4, 5. *memoria teneo* mutata leviter phrasi.

H. 4, 78, 1. *Vera erant*] Ita MSS. & sic H. 2, 46, 2. *neque erat adulatio.* ne quis cum amico *penetraverant* velit, supple militum animos; quod tuebatur parallelis aliquot locis.

H. 4, 78, 4. *donec legio una & vicesima*] Sic clare MS. meus.

H. 4, 79, 3. *flagrantissima cohortium suarum integra quæ ex Chaucis Frisiisque composita*] Ita Pichena lectionem hanc constituit ex Flor. in quo : *integraque & ex Chaucis.* cum ante eum Rhenanus jam expunxisset τὸ *manu* Editionum anteriorum, quas refert plane MS. meus, exhibens : *integra manu & e Caucis.*

Tolbiaci, in finibus Agrippinensium agebat] Ita Flor. & Meus. *Tolbiacum*, *Tolpiacum*, *Tulbiacum* & *Tulpiacum*, apud diversos scribitur: hodie Zullich quasi Zutpich. Cluverius lib. II. Germ. Ant. cap. 17.

H. 4, 79, 7. *classem ultro Caninefates adgressi sunt*] MS. meus : *classem vero C.* quod videtur melius. nam qui *adgrediuntur*, ultro pugnam incipiunt.

H. 4, 80, 4. *neque ipse deerat arrogantia vocare offensas*] MS. meus : *provocare o.* quomodo Acidalius conjecit : ut H. 5, 25, 3. *si populum Romanum armis provocent.* G. 35, 4. *nulla provocant bella.* Sed nec alterum spernendum. G. 14, 7. *Nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri.*

H. 4, 80, 5. *manente tamen in speciem amicitiæ*] MS. meus: *manente tantum i. s. a.*

H. 4, 81, 1. *quis cælestis favor*] MS. meus: *quis cælitum favor.* Vulgati libri ante Rhenanum, *quis e cælis favor.* ab hujus ingenio profectum, ut nunc editur. Mox idem Cod. *E plebe.*

H. 4, 81, 2. *quidam oculorum tabe notus*] Amicus pro *tabe* legebat *nube.* ut apud Sulpitium Severum in vita B. Martini cap. 19. Sed alterum, uti monuit me Carolus Drelincurtius, veteris Medicinæ vindex & Anatomicorum princeps, medicum vocabulum. Defin. quæ tribuuntur Galeno: Φθίσις ἐςὶ μείωσις τ̃ κόρης μελὰ ἀμυδρώσεως. *Tabes est pupillæ imminutio cum obscuratione.*

monitu Serapidis dei] MS. meus: *Serapis dei.* mox: *quem dicta gens superstitionibus.*

H. 4, 82, 3. *Alius manu æger*] Flor. *manum æger.* Suetonius dissentit Vesp. cap. 7. *Alius debili crure.*

H. 4, 82, 2. *e primoribus Ægyptiorum nomine Basiliden*) Ita Flor. & Meus. Suetonio Vesp. cap. 7: *Basilides* dicitur *libertus.* quod parum convenit hujus descriptioni apud Tacitum. Unde Torrentius τὸ *libertus* quamquam in omnibus MSS. Casaubono teste occurrens, inducit, probantibus Lipsio & Casaubono. Sed cur non ipsum Suetonium in hac re errasse suspicamur? Certe nonnunquam hoc ipsi contigisse, qui attenderit, deprehendit. In hac ipsa historia quis non potius Tacito credet affirmanti *manu ægrum*, qui calcatu pedis vestigiique Vespasiani sanatus, propter gravissimam rationem additam: *Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium*: quam Suetonio, *debile crus* tribuenti:

H. 4, 82, 3. *missis equitibus explorat*] MS. meus: *missis militibus.*

H. 4, 83, 4. *antistitem cærimoniarum Eleusi exciverat*] Flor. *Eleusim exciverat.* quod confirmat emendationem I. F. Gronovii: *Eleusine exciverat.* Nam *Eleusis* æque crescit in obliquis quam *Eleusin*, etsi Latini frequentius terminatione *in* usi fuerint. Priscianus lib. VI. *Sciendum quod omnia in in desinentia etiam in is productum finiuntur. Arin proprium nomen & Aris, Delphin & Delphis, Eleusin & Eleusis,*

Tra-

Trachin & Trachis. Et notandum, quod auctores Græcorum in is magis terminatione sunt usi. Nostri vero frequentius in in, *quamvis Cicero pro Scauro*, cum dare nollet, *inquit*, Aris, clam ex Sardinia est fugere conatus. *In eadem*: Arinis uxorem pellicatus dolo concitatam.

H. 4, 83, 6. *ut sunt ingenia regum pronus ad formidinem*] MS. meus: *pronius*. an voluit, *proniora*?

H. 4, 83, 7. *Scydrothemidi*] MS. meus: *Ciarothemidi*. atque ita paullo post iterum iterumque.

præcipitque navigaturis ut Pythium Apollinem adeant] Flor. & Meus: *Pythicum*. Meus etiam, *præcepitque*. quomodo ante Rhenanum.

H. 4, 84, 1. *Qui diversus animi*] Flor. & Meus: *Qui versus animi*. Atque ita adducitur hic locus in Thesauro L. L. unde suspicor ita pariter in quadam Editione vetere legi, ante Venetam, Beroaldi & Rivii, quæ, *diversus animi*, quod insequentibus retentum, publicata.

H. 4, 84, 3. *ne destinata deo ultra moraretur*] MS. meus: *destinata a deo*.

H. 4, 84, 4. *adversari regem*] MS. meus: *a. reges*. non male, ante enim: *suos Ptolemæique visus, exponit*.

H. 4, 84, 6. *loco cui nomen Rhacotis*] Promontorium fuit juxta Alexandriam. Vide Holstenii Notas in Stephanum Byzantium.

fuerat illic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum] Ita Flor. & Meus, ne quis audiat Savilium, *Osiridi atque Isidi*, rescribentem.

H. 4, 84, 7. *sedem ex qua transierit, Memphim*] Hæc sententia maxime probabilis videtur, etsi eam Tacitus secutus non fuerit, propter argumenta, quæ adducit Gerardus Vossius lib. I. de Idolol. cap. 29.

H. 4, 85, 5. *salus Galliarum in discrimen verteretur*] Flor. & Meus: *in discrimine v.* quomodo Rhenanus edidit juxta Bud. credo.

H. 4, 86, 1. *pars obsequii in eo, ne intelligeretur*] Claudianus:

pars sceleris dubitasse fuit.

H. 4, 86, 3. *qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit*] MS. meus: *qua contagione b. a. p. cogitaverit*. Atque ita etiam Ed. Rom. quam lectionem

ctionem præferendam putem vulgatæ alteri, quæ non multo melior reddita mutato τῷ *cogitaverit* in *agitaverit*. ex Flor. *agitare* enim ibi *cogitare*. Contra si legamus cum Ed. Rom. & MS. meo, sensus exsistit optimus.

H. 4, 86, 4. *Domitianus sperni a senioribus juventam suam cernens*] Barthius malebat, *sanioribus*. infeliciter. *seniores* enim opponuntur *juventæ*. & sic MSS.

& usurpata antea munia Imperii o.] Flor. & Meus: *ante ea m.*

in altitudinem conditus: studiumque] MS. meus: *in altitudine conditus*. Flor. tuetur vulgatam. Id est altissime in pectus abdebat pravas suas cupiditates. Barthius infelicitate solita: *in altitudinem conditus studiorum atque litterarum.*

contra interpretabatur] MS. meus: *interpretabantur*. Flor. in hujus libri fine: *Cornelii Taciti liber XX explicit. Incipit XXI.*

AD

AD HISTORIARUM

LIBRUM V.

H. 5, 1, 1. *& privatis utriusque rebus*] Ita primum de ingenio Rhenanus edidit: ante quem legebatur: *& præliantis u. r.* in Bud. *præliatis.* in Meo, *prelatis.* in Flor. *platis.*

H. 5, 1, 2. *ut super fortunam crederetur*] Ita Lipsius de conjectura, ex corruptis Bud. & Vat. lectionibus, approbante Pichena, qui in Flor. quoque legi testatur, *ut superiori unam c.* At in meo MS. clare: *ut superior omnibus crederetur.* quod haudquaquam spernendum, cum & Farnesianus Cod. & Romana Editio sic habeant, idque sensui Lipsiana lectione multo sit accommodatius. Nam per id quod decorum se promptumque in armis ostenderet comitate & alloquiis officia provocans; ac plerumque in opere in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore; *super fortunam* credi vix poterat, filius Imperatoris & destinatus Imperii successor: *superior omnibus* credi debebat.

H. 5, 2, 3. *aucto in barbarum cognomento*] Ita Flor. Meus corrupte: *aucto in barbarorum cognomento.* Edd. ante Rhenanum: *aucto in barbarum morem c.* sed Florentini lectionem recte tuetur Pichena 6, 42, 1. *civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta.*

H. 5, 2, 6. *Assurios* &c. *parte Ægypti potitos, mox proprias urbes, Hebræasque terras, & propiora Suriæ coluisse*] Ita Flor. & Meus MSS. item Edd. ante Rhenanum, qui de conjectura dedit, *ac mox.* cum in Bud. invenisset, *an mox.* quod ab insequentibus retentum.

H. 5, 2, 7. *Solymos* &c. *conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse*] Ita Rhenanus de ingenio: ante quem: *conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse.* Atque ita plerique MSS. etiam Meus, nisi quod destituatur vocabulo *conditam.*

H. 5, 3, 1.

H. 5, 3, 1. *regem Bocchorim*] Ita Flor. Meus: *Occhorim.*

H. 5, 3, 2. *ceteris per lacrymas torpentibus*] Ita MSS. Flor. & Meus: & sic Orosius lib. I. cap. 10.

ne quam deorum hominumve opem exspectarent utrimque deserti] Ita edidi cum Flor. & Meo MSS. tum Rom. Ed. pro, *ab utrisque deserti.* quod ex Veneta insequentes huc usque Editiones occupavit. Nam etsi apud Orosium dicto loco lectio hæc pariter in vulgatis exstet, notant eruditi in MSS. non reperiri: unde verisimile ex Taciti Codicibus istuc translatam.

sed sibimet ut duci cœlesti crederent] Flor. *& sibimet duee celesti crederent.* Meus: *ut sibimet duci celesti crederent.* a m. p. dein a s. super *ut* adscriptum *&.* sed vulgata Orosio nititur. Rhabodus Hermannus Schelius V. N. optimum quidem efformat sensum legendo: *adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo cujus* &c. modo non abeat longius a scriptis.

primo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent] Ita locus hic legitur in Flor. & Meo, ita etiam apud Orosium. Fateor tamen non sine caussa displicuisse tot eruditis hanc lectionem, quam utcumque tuetur Salinerius, primo propter *κακοφωνίαν*, *credentes presentes:* dein quoniam mox præcedit *crederent.* Unde videtur rem acu tetigisse Lipsius, ejiciendum *τὸ credentes* pronuntians Othonis Frisingensis auctoritate.

H. 5, 3, 5. *obtinuere terras in quibus urbs & templum dicata sunt*] Tò *sunt* abest a Flor. & Meo.

H. 5, 4, 5. *septimum quoque annum ignaviæ datum*] G. 14, 7. *Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris.* Virgilius lib. I. Georg.

quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ.

H. 5, 4, 6. *vim suam & cursum septimos per numeros conficiant*] MS. meus: *conjiciant.* Flor. *commearent.*

H. 5, 5, 1.

H. 5, 5, 1. *tributa & stipes illuc congerebant*] Flor. & Meus: *illuc gerebant.* quod forte melius.

H. 5, 5, 3. *alienarum concubitu abstinent*] Nicolaus Heinsius malebat: *alienigenarum.* ut G. 43, 2. *partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt.*

H. 5, 5, 4. *Transgreßi in morem eorum, idem usurpant*] MS. meus: *transgreßique in m.*

H. 5, 5, 6. *& necare quemquam ex agnatis, nefas*] Ita Flor. & Meus: & sic rursus G. 19, 6. Nequis cum Samuele Petito velit: *ex a. d. natis.* id est ante diem.

H. 5, 5, 6. *animasque* &c. *æternas*] MS. meus: *animosque* &c. *æternos.*

H. 5, 5, 7. *eademque cura, & de infernis persuasio. cælestium contra*] MS. meus: *eademque cura de infernis & persuasio cælestium contra.* quæ videtur vera lectio. Nam ante Rhenanum vulgabatur: *Eademque cura & de infernis: & persuasio cælestium. contra.*

H. 5, 5, 9. *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt*] I. F. Gronovius scribit *sinunt* pro *sunt*, ne soloecismi postuletur Tacitus.

H. 5, 6, 1. *Septemtrionem a latere Suriæ longe prospectant*] Ita Rhenanus edidit, pro *e latere.* quomodo ante eum Edd. item MS. meus. Sed Florentinus Rhenani lectionem comprobat.

H. 5, 6, 2. *Exuberant fruges nostrum ad morem*] Lipsius τὸ *exuberant* inducit sed repugnantibus Flor. & Meo MSS.

H. 5, 6, 4. *Præcipuum montium Libanum erigit*] G. 27, 2. *sepulcrum cespes erigit.*

opacum fidumque nivibus] Claudianus: *scit nivibus servare fidem.*

Idem amnem Iordanem alit, funditque] An ut G. 30, 1. *effusis ac palustribus locis.*

H. 5, 6, 6. *Incertæ undæ superjacta, ut solido feruntur*] Flor. *ferunt.* Meus: *incerte unde s. u. s. feret.* a m. p. dein ut videtur eadem, adscriptum *tum*, super ultima syllaba vocis *incerte*; & correctum *fert.* Edd. ante Lipsium: *Incertum unde, superjacta, ut solido feruntur.* quod Berneggerus reduxit. Grotius & Freinshemius maluerunt, *inerti undæ.*

H. 5, 7, 1. *terramque ipsam specie torridam*] MS. meus ex correctione: *ipsa specie t.* punctum enim habet finali pronominis literæ suppositum. sed Flor. simul & Meus MSS. *torridam.* Apud Orosium lib. I. cap. 5. in Ed. Francisci Fabritii. *terramque ipsam specie solidam.*

H. 5, 7, 2. *Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herbæ tenues aut flores ut solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt*] Ita exserte habet MS. meus, quem sequi satius duxi, quam Rhenani conjecturam, quæ Editiones hactenus insedit, exprimere: *sive herba tenus aut flore, seu solitam* &c. præsertim cum Edd. ante Rhenanum accedant propius: *sive herbas tenues aut florei: seu solitam* &c. Flor. proxime: *sive herbas tenues aut flore seu solitam* &c. Sensus autem verus hac lectione auctori restituitur. Neque enim prima germina aut flores intus atra & cassa, sed fructus sive *fetus segetum & autumni*, ut postea explicat. Ergo recte, *ut solitam in speciem a.* Iosephus lib. IV. B. J. cap. 27. Ἔστι γοῦν ἔτι λείψανα τοῦ θείου πυρὸς καὶ πέντε μὲν πόλεων ἰδεῖν σκιάς. ἔστι δὲ κἂν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναγεννωμένην, οἳ χρόαν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν, εἰς καπνὸν διαλύονται καὶ τέφραν. Quod Rufinus vertit: *Denique adhuc in ea divini reliquias ignis & oppidorum quinque videre licet imagines & renascentes in fructibus cineres: qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur & cinerem.* Denique hac lectione Salmasii emendatio irrita redditur, qui, quoniam herbæ & flores etiam solitæ species, legebat, *seu solidam in speciem adolevere.*

H. 5, 7, 3. *inclitas quondam urbes*] Ita clare MS. meus.

H. 5, 7, 4. *circa cujus os conlecta arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur*] Flor. & Meus ut Farn. *lecta arenæ.* Plinius lib. V. cap. 19. *Juxta Getta, Iebba, rivus Pagida sive Belus vitri fertiles harenas parvo littori miscens. Ipse e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit.* & lib. XXXVI. cap. 26. *Quingentorum est passuum non amplius litoris spatium, idque tantum multa per secula gignendo fuit vitro. Fama est,*

est, appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per litus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri e nave subdidisse. Quibus accensis permista harena litoris, translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem vitri. Isidorus lib. XVI. cap. 15. pro *quingentorum passuum* habet *quinque millium passuum.* Sed utrumque corruptum docet incomparabilis Bochartus, scribendumque, *quinquaginta passuum*, ex Iosepho lib. II. de B. J. cap. 17. Τοῦ δὲ ἄστεως ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλούμενος Βήλεος ποταμὸς παραῤῥεῖ παντάπασιν ὀλίγος, παρ' ᾧ τὸ Μέμνονος μνημεῖον ἐστὶν, ἔχον ἐγγὺς αὐτοῦ τόπον ἑκατοντάπηχυν θαύματος ἄξιον. Κυκλοτερὴς μὲν γάρ ἐστι, καὶ κοῖλος, ἀναδίδωσι δὲ τὴν ὑαλίνην ψάμμον, ἣν ὅταν ἐκκενώσῃ πολλὰ πλοῖα προσχόντα, πάλιν ἀναπληροῦται τὸ χωρίον, κατασυρόντων μὲν ὥσπερ ἐπίτηδες τότε τῶν ἀνέμων εἰς αὐτὸ τὴν ἔξωθεν ἀργὴν ψάμμον. *Ab ea autem urbe distans duobus stadiis præterlabitur fluvius, quem vocant Beleum, exiguus prorsus: cui prope est sepulcrum Memnonis, habens juxta se centum fere cubitorum spatium, sed admiratione dignißimum. Est enim specie vallis rotundæ, vitream emittens arenam: quam cum exhauserint multæ naves, pariter accedentes locus idem rursus impletur. Venti siquidem quasi dedita opera convehunt illuc de circumstantibus superciliis arenam istam, utique communem.* Si enim singulis passibus duos cubitos adsignes, quæ minima est mensura passus, centum cubiti quinquaginta passibus erant pares.

H. 5, 8, 1. *Illic immensæ opulentiæ templum ex primis munimentis urbis: alienigenis templum interius clausum*] Ita locum hunc emendavi juxta MS. meum, qui hactenus multifariam corruptus aut interpolatus circumferebatur. Vulgati enim ante Rhenanum: *& primis monumentis urbs: dein jugis templum intimis clausum.* aut *munimentis.* Rhenanus: *& primis munimentis urbs de jugis, templum intimis clausum.* Pichena ex conjectura Merceri, Lipsio probata: *& primis munimentis urbs, dein regia: templum intimis clausum.* quod insequentibus retentum. Nam reliquorum conjecturas, quæ plures sunt, referre supersedeo. Illud enim in hoc genere quæri

existimo, quid auctor scripserit. Hoc vero ex nullo oraculo certius nunc dignoscitur quam attenta veterum Codicum consideratione. Cum itaque Farnes. *urbs deingia, templum clausum.* Vatic. *urbs ob demgia.* Lipsio teste. Flor. *urbs deingia templum intimis clausum.* MS. Rodolphi Agricolæ olim, nunc meus exserte: *Illic immensæ opulentiæ templum ex primis munimentis urbis. alienigenis templum interius clausum.* non videtur dubitandum, quin hic Codex solus conservaverit nobis ipsissimam Taciti scripturam: quam Lipsius, quoniam ab Rodolphi ingenio profectam opinabatur, non pro dignitate consideravit: deceptus etiam (nisi operarum sphalma sit) quod Rodolphum concinnasse crediderit, *& primis munimentis urbis* &c. cum in MS. *ex primis m. u.*

H. 5, 8, 4. *rex Antiochus* &c. *nam ea tempestate Arsaces desciverat*] Ἁμάρτημα μνημονικὸν notatum Reineccio & aliis, quo diligentissimus Historicus confundit Antiochum Deum, qui tertius Syriæ rex, ex anno III Olymp. CXXXII, sub quo descivit Arsaces; cum Antiocho Epiphane, octavo, ex anno I Olymp. CLI. qui Iudæos ad ritum & religionem Græcorum transferre conatus est.

H. 5, 8, 5. *& Romani procul aberant*] Flor. & Meus: *procul erant.*

H. 5, 9, 2. *Mox civili inter nos bello, postquam*] Flor. *Mox civili interno bello sed.* Meus: *Mox civili inter nos bello p.* quod ipsum quod Lipsius voluit, & Pichena recepit, sed meliore numero: nam hi, *bello civili inter nos.* Ante Pichenam autem Edd. *bello civili interno.*

postquam in ditionem M. Antonii provinciæ cesserant] Ita Flor. & Meus. subintelligitur, *Orientis.* cujus ante meminit.

H. 5, 9, 3. *Iudæos C. Sosius subegit*] C. SOSIVS scribitur in nummis, apud Occonem auctum. MS. meus perperam, *C. Sestius.*

H. 5, 9, 7. *in matrimonium accepta*] MS. meus: *in matrimonio a.*

H. 5, 10, 1. *Gessium Florum*] Suetonius Vesp. cap. 4. hunc a Judæis cæsum, suppresso tamen nomine, significat. Quod cum neque apud Tacitum inve-

inveniatur nec, ut putat Lipsius, apud Iosephum, idem suspicatur apud Tranquillum pro *cæsoque præposito*, legendum, *cæsoque præsidio*. Sed Iosephus in vita sua exserte: Ὁ δ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ἐνικήθη, πολλῶν τῶν μετ' αὐτοῦ πεσόντων, καὶ γίνεται τὸ Κεστίου πταῖσμα, συμφορὰ τοῦ παντὸς ἡμῶν ἔθνους. *At Geßius reversus & in prælio cum multis occisus sua clade extremam toti nostræ genti calamitatem attulit.*

H. 5, 10, 2. *intra duas æstates cuncta camporum*] MS. meus: *cuncta composuit*. interpolate.

H. 5, 10, 4. *utilius videbatur*] Ita Pichena ex Flor. in quo, *utilis v.* sed Edd. ante, tum MS. meus: *utile videbatur*.

H. 5, 11, 4. *ac ni statim Hierosolyma conciderent, m. v.*] In MS. meo desideratur, *ac*.

H. 5, 12, 1. *labore & opere ante alios*] Ita Rhenanus, utrum ex Bud. dubium. Nam Flor. & Meus: item Edd. ante eum. *labore & opera ante alios*.

H. 5, 12, 2. *præviderant conditores*] MS. meus, & Rhenanus, ex Bud. credo, *providerant*. quod referri aptum tam ad *cuncta*, quam ad *crebra bella*, diversa significatione. *Providere* enim & prospicere notat, & cavere: *prævidere* tantum prospicere. Quod si alicubi alterum etiam denotare deprehenditur, librariorum culpa factum videtur. Uti apud Cornelium Nepotem Hannib. cap. 9. *Vidit autem vir omnium callidißimus magno se fore periculo, nisi quid prævidisset, propter avaritiam Cretensium.* nam MS. Bœcleri: *nisi id providisset*. & nostrum 2, 14, 2. Familiare autem Tacito unum idemque vocabulum diversa significatione applicare diversis rebus. Vide 1, 8, 6. Nihilominus retenta vulgata sensus etiam bonus in ellipsi: *indè cuncta*, provisa scilicet & præparata.

H. 5, 12, 3. *ceterarum urbium clade*] MS. meus: *exterarum*.

H. 5, 12, 4. *Ioannes, quem & Bargioram vocabant*] Flor. & Meus: tum Edd ante Lipsium: *Barbagioram*. qui post Rhenani admonitionem ex Iosepho *Bargioram* dedit. Sed Iosepho non *Ioannes* sed *Simon* τοῦ Γιώρα dicitur. lib. VII. B. J. cap. 6. qui *Ioannem* vinculis perpetuis, *Simonem* triumpho vi-

ctimam reservatum scribit. Cui Xiphilinus concinit lib. LXVI. Ἑάλωσαν δ᾽ οὖν καὶ ὡς, ἄλλοι τε καὶ ὁ Βαργιορᾶς (vulgo Βαρποράς corrupte) ὁ ἄρχων αὐτῶν· καὶ μόνος γε οὗτος ἐν τοῖς ἐπινικίοις ἐκολάσθη. *Capti sunt nihilominus ab eo quum alii tum Bargioras, ipsorum princeps, isque solus triumpho supplicio affectus est.* Hinc cum Salinerio transpositione hic peccatum atque a Tacito profectum existimo: *Extrema & latissima mœnium Simon, quem & Bargioram vocabant; mediam urbem Ioannes; templum Eleazarus firmaverat.*

H. 5, 13, 2. *Visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma* &c.] Iosephus septem prodigia excidium Hierosolymorum præcedentia exsequitur lib. VI. B. J. cap. 31. in quibus quatuor hic relata.

Expassæ repente delubri fores] Flor. Pichena teste, *expertæ.* Meus: *aperte r. d. f.* quod interpretamentum τοῦ *expassæ. Fores* enim *expandi* dici possunt ut flores aviumque alæ cum aperiuntur. Iosephus d. l. Ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλης μόλις ὑπ᾽ ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις, καταπῆγας δ᾽ ἔχουσα βαθυτάτους, εἰς τὸν οὐδὸν ὄντα διηνεκοῦς λίθου καθιεμένους, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην, αὐτομάτως, ἠνεωγμένη. *Orientalis autem porta interioris templi, cum esset ænea, atque gravissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere.*

Excedere deos] Iosephus d. l. μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. *migremus hinc.*

H. 5, 13, 3. *pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur. quæ ambages Vespasianum* &c.] Eodem modo caussam Messiæ prodit Iosephus lib. VI. B. J. cap. 31. Τὸ δὲ ἐπᾶραν αὐτοὺς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. Τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν.

κρίσιν. Ἐδήλου δ' ἄρα τὴν περὶ Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane responso, Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator.

H. 5, 13, 5. *Multitudinem obsessorum omnis ætatis, virile ac muliebre sexus*] In Flor. a m. p. videtur fuisse, *secus.* alio enim atramento, alioque modo, ac solet, transversa lineola per *c* hujus vocis ducta est, ut fieret *x.* ut notat in accuratissima sua collatione V. C. Jacobus Gronovius. Meus MS. ut vulgati ante Pichenam: *virilis ac muliebris sexus.* Vide ad 4, 62, 6.

sexcenta millia fuisse accepimus] Ita Rhenanus ex Bud. cum ante, *ducenta millia*, circumferretur. Budensi concinunt Flor. & Meus. Mox posterior: *arma cuncti.*

H. 5, 13, 6. *quando impetus*] MS. meus, ut cusi ante Pichenam: *quando impetum.*

H. 5, 14, 2. *adventu secundæ & XVI & XIV legionum*] Mercerus legit, *& sextæ.* pro, *& XVI.* quia *sextadecima* legio jam dudum cum Cereali, quippe quam unam existimat earum, quæ in verba Galliarum adactæ, dein pœnitentia reversæ ad prius sacramentum. *Sextam* ex Hispania missam patet H. 5, 16, 6. Vide ad H. 4, 68, 7. MS. meus: *adventu secundæ, sedecimæ & quartædecimæ.*

H. 5, 15, 1. *arma equique haurirentur*] Flor. *arma equi haurirentur.* quo defenditur Rhenani: *arma, equi haurirentur.* Meus corrupte: *arenaque haurirentur.* mox: *exultabant.*

H. 5, 16, 2. *Cugernique*] Ita etiam paullo post 18, 3. scribitur gentis hujus nomen. Supra H. 4, 26, 5. *Gugerni*: quomodo etiam apud Plinium lib. IV. cap. 16. MS. meus hic habet: *Tungrique.*

ut quosque suorum advehebantur] MS. meus: *ut quemque s. a.*

H. 5, 16, 3. *in æternum exscinderent*] Flor. & Meus: *exciderent.*

H. 5, 16, 7. *Hinc prævectus ad Germanicum exercitum*] MS. meus: *pervectus*.

H. 5, 16, 8. *Alacrior omnium clamor, quis*] MS. meus: *Alacer o. c. q.* quod haud ſpernendum: Aſconius lib. II. in Verr. *Alacris ſive alacer (utrumque enim dicitur) is, qui viget ſenſibus univerſis, quod eſt indicium erecti animi atque ſublimis. Nam e contrario lacer dicitur amputatis corpore ſenſuum membris, hoc eſt auribus oculiſve*, &c.

H. 5, 17, 1. *Nec Civilis ſilentem ſtruxit aciem*] Ita Flor. & Meus.

dira omina] Vulgati ante Pichenam: *dira omnia*, qui ex Flor. *oı̃a* fecit *omina*. quomodo exſerte meus Codex.

H. 5, 17, 2. *Treverici prœlii*] Sic 3, 42, 4. *Treverici tumultus finis*. MS. meus: *Treveriani prœlii*.

H. 5, 17, 3. *Quæ provideri aſtu ducis oportuerit, providiſſe*] MS. meus: *o. proviſa*. Flor. juxta collationem Gronovianam: *previſe*. juxta Pichenam: *proviſe*. Bud. *præviſa*. Unde Codicis mei lectio ipſiſſima videtur Taciti.

paludes hoſtibus noxias] MS. meus: *paludes hoſtibus medios*. quæ vera ſcriptura videtur. Ex ſequentibus enim patet paludem fuiſſe inter utraſque acies.

H. 5, 17, 4. *Rhenum & Germaniæ deos in aſpectu*] *Rhenus* apud Triſtanum in nummo Druſi inſtar Dei repræſentatur urnæ incumbentis & dextra tenentis arundinem; a cujus tergo montes, cum litteris: RHENVS.

H. 5, 17, 5. *Germanis ut elicerent laceſſentibus*] Ita Flor. & Meus: unde patet ex Bud. ſic Rhenanum emendaſſe, pro *ut eluderent*. mallem tamen, *ut inlicerent*, ſcilicet in paludem.

H. 5, 18, 1. *Bructerorum cuneus transnatavit*] Flor. & Meus: *tranatavit*. & ſic iterum Flor. H. 5, 21, 3.

H. 5, 18, 2. *prœlium exæquatur*] Flor. Meus & Bud. *prœlium æquatur*.

H. 5, 18, 3. *ſolidum illa*] Id eſt illa parte nihil paludoſum ſed ſiccam duramque terram. MS. meus: *ſolida illa*.

&

& Cugernos] Idem: *& Tungaros.* sed a m. s. prima videtur dedisse, ut editum.

H. 5, 19, 1. *legio supplevit*] MS. meus: *supplebat.*

H. 5, 19, 2. *opidum Batavorum*] Cluverius per *opidum Batavorum* putat intelligendum *Bateburgum*, nobile castellum ad Mosam, quatuor circiter leucis horariis infra Noviomagum; Pontanus ipsum *Noviomagum*, ad Vahalem situm: cujus sententiam deinceps singulari libro adstruere conatus est Ioannes Smetius. Nec dubitandum si fuerit opidum hoc nomine, quin *Noviomagum* fuerit. Sed dubitandi non desunt rationes. Ut quod Ed. Rom. & MS. meus habent: *opida Batavorum.* Quod in hoc tractu inter Vahalem & Mosam, quem a Batavis olim insessum Tacitus scribit H. 4, 12, 3. hodie plura numerentur opida *Clivia*, *Cranenburgum*, *Genepum*, *Noviomagum* & quod dixi, castellum *Bateburgum.* Quod tametsi harum urbium in obscuro sit ortus, parum verisimile, antiquissimos Batavos unicum tantum in hoc tractu habuisse opidum, ad Gallorum incursiones in insulam inhibendas. Quod cum Batavi habuerint opida in ipsa insula *Lugdunum* & *Batavodurum*, teste Ptolemæo; *Arenacum*, *Batavodurum*, *Grinnes*, *Vada*, auctore Tacito (cujus lectio corrupta H. 5, 20, 1. *vicos* hactenus pro opidis, circumtulit) Romanos aut Batavos ipsos *opidum Batavorum* appellasse urbem extra insulam sitam, pro urbe gentis primaria, haudquaquam probabile. Quod cum temporibus Claudii apud Frisios opida fuerint, uti patet 11, 19, 2. apud Batavos & antiquiora & plura fuisse Galliarum vicinia, gentis potentia, soli præstantia clament. Denique quod urbs, quam Pontanus & Smetius *opidum Batavorum* dictum volunt, *Noviomagus* vel *Noviomagum* ante Romanorum adventum & haud dubie a principio appellata fuerit, uti ex Celtica denominatione, tum quod in Tabula Pentingerorum hoc nomine veniat, dignoscitur. Unde inducor ut a Tacito profectum existimem, quemadmodum MS. meus & Ed. Rom. exhibent: „ *opida Batavorum.* Nam quæ objiciuntur, Civilem „ in fuga tam præcipiti, tantillo tempore, immi„ nente hoste, fluminum objectu præpeditum plu„ ra ista opida percurrisse, perscrutatum quæ ferri

„ poterant, atque ignem tot ſimul opidis injeciſ-
„ ſe, parum veriſimile: præterea nuſquam rudera,
„ monumenta aut veſtigia tot opidorum in tota
„ hac Rheni ripa exuſtorum ſupereſſe: Tacito, unde quaſi petita, haud nituntur. Nam *præcipiti* Civilis *fugæ* adverſatur, quod altera poſt prœlium die Chaucorum auxilia ad eum venerint; tum quod diruerit molem a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem disjectis quæ morabantur effuderit: utrumque enim ante tranſitum ejus factum. Dein unde colligitur tota opida a Civili exuſta? Verba Taciti: *non tamen auſus opida Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris injecto igni in inſulam conceſſit.* Ex oppoſitione enim eorum quæ ferri poterant intelligitur, non de ædificiis & rebus immobilibus agi (quis enim recte loquens domos ferri non poſſe admonuerit?) ſed de utenſilibus, commeatu & apparatu bellico, quæ per hæc opida ſervabantur, quorum partem Civilis abſtulit, partem quam auferre non poterat, ut Romanis periret, incendio conſumpſit. Præterea quis credat Civilem, Batavorum ducem, opida civium ſuorum, quæ tutari armis non audebat exuſſiſſe? Et tamen Pontanus & Cluverius Taciti verba ſic pariter ſumpſere.

H. 5, 19, 3. *Quin & diruit molem a Druſo Germanico factam* &c.] Hujuſmodi *moles* Rheni accolis appellantur Kribben. H. 5, 14, 3. *Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis, adjacentibus ſuperfunderetur.* *Agger* vocatur 13, 53, 2. Sed inſignis quæſtio quo in loco hæc *moles* fuerit. Cluverius prope Duroſtadium fuiſſe in læva Rheni ripa, atque hac Rheni effuſione alveum Leccam, accolis de Leck / contendit natum. Huic contradicit Pontanus, docetque ſupra Rheni divortium prope munimentum Schenckianum fuiſſe, nec novum hac abactione alveum factum, ſed in humiliorem Vahalis effuſum. Cujus ſententia procul dubia vera: quam vide Diſcept. Chorogr. & earum Sylloge. Patet autem hinc non hoc aut ſuperiore primum ſeculo aquarum inopia laboraſſe dextrum Rheni alveum, & qui inde derivatur Iſalam (unde tot ſuper hac re deliberationum in Concilio Fœderato,

ratorum Ordinum habitarum Annales meminere) ſed vetus eſſe malum, quod nullo certiore remedio, quam illo vetere Druſi curari poſſit.

Sic velut abacto amne] MS. meus: *ſic velut amoto amne.*

H. 5, 19, 4. *& centum tredecim Treverorum ſenatores*] Ita Flor. & Meus: *ſenatores* pro curialibus & decurionibus. Ita *ſenatus* de Friſiis 11, 19, 2. apud Cæſarem lib. II. de B. G. cap. 5. *ſenatus Rhemorum.* Similiter Plinius lib. X. ep. 83. & in vetere Inſcriptione apud Reineſium:

M. CRASSO FRVGI, L. PISONE COSS.
SENATVS POPVLVSQVE TIMILIGENSIS
&c. Vide ad 13, 48, 1.

D. Alpinus] MS. meus: *Dr. Alpinus.* quod huic librario *Druſus Alpinus.* ubi enim paullo ante, *molem a Druſo Germanico factam*, idem a *Dr. Germaico.*

H. 5, 20, 1. *ut præſidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis quadripartita Civilis invaſerit*] MS. meus clare: *legionum uno die Civilis quadripartita invaſerit.* quam nullus dubito quin ipſiſſima Taciti ſit lectio. Nam ex *uno die Civilis* factum *modicis vicis.* dein cum deſideraretur τὸ *Civilis*, poſt *quadripartita* additum. Ut ita cenſeam facit, quod *Arenacum, Batavodurum, Grinnes, Vada* appellentur *vici* & quidem *modici*: cum caſtra ibi fuerint legionum, cohortium & alarum, quæ cum procaſtriis non vicorum ſed opidorum numero cenſeri ſolent. Certe Ptolemæus *Batavodurum* inter urbes inferioris Germaniæ numerat: ἐν ᾗ πόλεις, ἀπὸ δυσμῶν τοῦ Ῥήνου ποτ. τῶν μὲν Βαταβῶν μεσόγειος Βαταυόδουρον. Moveor etiam eo quod ex ſequenti narratione *quadripartita* hæc oppugnatio *eodem die* contigiſſe intelligatur, quippe per plures duces inſtituta, quam notabilem circumſtantiam a diligentiſſimo hiſtorico prætermiſſam parum veriſimile eſt. Denique Editiones ante Rhenanum habent: *modicis villis.* quod uti abſurdius, ſic Codicis noſtri ſcripturam propius firmat.

H. 5, 22, 3. *inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet coriis coopertos trucidabant*] MS. meus ut Vaticanus: *ſuiſmet tentoriis.*

H. 5, 22, 6. *dux semisomnis*] MS. meus: *semisonnus*. Flor. *semisomn;* id est *semisomnus*.

H. 5, 22, 8. *Prætoriam triremem*] MS. meus: *biremem*.

H. 5, 23, 1. *Civilem cupido incessit*] MS. meus: *cupido invasit*. Flor. *cupido invasi incessit*.

Complet quod biremium] MS. meus: *completque biremes*.

H. 5, 23, 2. *Adjecta ingens lintrium vis, tricenos quadragenosque ferre armatos Liburnicæ solitæ*] Ante hic legebatur: *tricenis quadragenisque armamenta Liburnicis solita*. ex Lipsii emendatione. Nam apud Rhenanum: *tricenos quadragenosque simul armamenta Liburnicis olim*. Ante: *ad tricenos quadragenosque ceu armamenta Lyburnicas soli*. e quibus nullum sensum vel fidiculis extorseris. Unde cum Flor. *tricenos quadragenosque & armamenta Liburnicis solita*. Reg. *tricenos quadragenosque fere armamenta Lyburnicis solitæ*. Meus exserte: *tricenos quadragenosque ferre armatos Liburnicæ solitæ*. non dubitavi hanc postremam tamquam suam lectionem Auctori restituere.

& simul captæ lintres, sagulis versicoloribus, haud indecore pro velis juvabantur] Ita Flor. Reg. *pro telis juvabantur*. Meus: *pro tælis armabantur*. an, *pro velis armabantur*?

H. 5, 23, 3. *quo Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano adfundit*] Flor. Reg. & Meus: *quo Mosæ fluminis os amnem Rhenum O.* quomodo videtur rescribendum. Sic enim pariter supra 2, 6, 5. *ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur*.

H. 5, 23, 5. *tentato telorum jactu*] Flor. voce auctius: *tentato levium telorum jactu*.

H. 3, 23, 6. *agros villasque Civilis intactos, nota arte ducum sinebat*] Anonymus quidam, a Pontano publicatus, existimat *Culemburgum*, in Batavorum insula opidum, a *Civile* denominatum, dictumque primitus Civilenburch/ inde Kuilenburch.

& crebris pluvialibus imbribus] Flor. *& crebris per hiemem imbribus*.

Τῷ Θεῷ δόξα καὶ χάρις.

THEODORI RYCKII
SEJANVS.
SIVE
ORATIO
DE
VITA ET MORTE
C. ÆLII SEJANI.

Dicta Lugduni Batavorum Postridie Kal. Maji A. C. cIↃ IↃC LXXIX.

THEODORI RYCKII

SEJANVS.



Ferunt olim Lydiæ quodam in loco post ingentem pluviam terram discessisse hiatu, statimque Gygem quendam in vicinis locis pecus pascentem, more ingenii humani incognita perscrutari gestientis, intrasse terræ viscera &, ubi aliquantulum processisset, invenisse equum ingentem, ex ære fabrefactum: in cujus lateribus, postquam vigilanti undique versus lustrasset oculo, reperisse fores, illasque aperuisse. Tum ejus stuporem non parum fuisse adauctum, quod in his penetralibus cadaver videret humanum gyganteæ magnitudinis; statimque animadvertisse anulum, qui in uno mortui digitorum sedebat: quo festinanter exempto sibique indito relegisse sua vestigia, invento veluti thesauro non mediocriter sibi placentem. Hujus anuli vim mirificam non prius ab eo intellectam, quam postquam in concilio pastorum, quod singulis mensibus de more coibat ad statum ovilium Regi renuntiandum (erat enim regii pecoris custos) sese stitisset: factum enim, cum casu anuli palam ad palmam convertisset, ut reliqui pastores eum non viderent, idque ipsum colligere cœpisse ex sermonibus, qui de se tamquam egresso habebantur. Sic deprehenso horribili anuli sui arcano exinde periculum fecisse sæpius, nec unquam falsum fuisse. Itaque Gygem ad illud, quod inter homines beatissimum creditur ope hujus anuli adipiscendum convertisse illico animum: denique, post infinita scelera clanculum sic patrata, interfectumque herum Candaulem, Regem Lydiæ factum. Adumbrare per hanc fabulam solers laboravit antiquitas, quomodo magna hominum pars, deletis in se cunctis naturæ principiis, ex quibus omnis justi obligatio citra divinas humanasve leges fluit, cum alterius injuria utilitatem appetat propriam, quoties perpetua facinorum futu-

ra

ra videtur impunitas. Ex omnibus autem, qui sic animati unquam fuerunt, in tota retro Historia neminem extitisse reor, qui utilitatis propriæ caussa aut Numen minus respexerit aut hominum societati nocuerit magis, quam C. ÆLIVS SEIANVS, qui, cohortium prætorianarum Præfectus & præcipuus Tiberii Cæsaris in regendo Imperio per sedecim annos administer, conspiravit ad ipsum non modo Imperatorem de medio tollendum, sed totam etiam Cæsaream domum delendam, quo ipse in vacuam hanc possessionem se suosque sine impedimento immitteret. Quoniam autem hæc sceleratissima Sejani consilia non modo scopum, ad quem dirigebantur, adsequi non potuerint, sed ne ipsum quidem a pœnis tanta impietate dignis præstare incolumem; hinc Sejani vita & mors pro illustri divinæ providentiæ justitiæque documento in Historia proponitur. Multum autem dolendum, quod postrema hujus tragœdiæ pars injuria temporis perdita sit apud illum, qui tam feliciter primam docuerat, Tacitum dico: in cujus quinto Annali trium circiter annorum lacuna est, qua dirissima historiæ hujus catastrophe absorpta latet. Hujus sex priores Annales, cum pro muneris mei ratione hactenus exposuerim, antequam ad reliquos transeam, putavi me rem non omnino inutilem facturum, aut auribus vestris plane indignam, si de vita & morte Sejani pro concione aliquid dicerem: partim, ut historiæ hujus imaginem, quæ apud scriptores aliis rebus intermista jacet, oculis vestris solam tamquam in tabella subjicerem: partim, ut loci, in quo de conspirationis indicio Sejanique supplicio a Tacito fuerat actum, minus gravem aliunde redderem defectionem. Quod dum facio, multum vos rogo, Auditores, ut me dicentem solita vestra benevolentia prosequi porro non dedignemini. Natus est Sejanus Volsiniis, potentissima quondam & sui juris Hetruriæ civitate, quippe una ex duodecim, quæ singulæ a suo Lucumone regebantur, ex quo Lydi duce Tyrrheno istum Italiæ tractum insedere, qui Tyrrhenia primo & a Græcis etiam postea, mox Tuscia & Etruria a Romanis est dictus. Sed sicuti Volsiniensium principia inclyta, ita finis

finis plane turpis & erubescendus fuit. Nam simul ac fœdere cum Romanis juncti belli labores deposuere, adeo in luxuriam prolapsi sunt, ut reipublicæ curam tamquam gravem nimis & molestam refugerent. Quod ubi animadvertere eorum servi, ex quibus aliqui dominorum vices in senatu jam ante sustinuerant, tandem conspiratione facta totam rempublicam occupavere. Verum non modo non melius ab his servis quam liberis ante, sed aliquanto etiam deterius administrata est. Hi enim, tamquam omnia sibi licerent, intolerabili insolentia reipublicæ clavum aliquantisper tenuerunt, inter alia edicere non dubitantes, ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus non castitatem ex numero ipsorum aliquis delibasset: donec tandem Romanis servilis dominationis pertæsis dignas sceleribus pœnas dedere. Ne igitur miremur illam urbem, quæ luxuriæ caussa tantum mali passa fuerat, edidisse civem, Romano imperio futurum paullo post exitialem. Sed quam nascendi sortem in hac urbe nactus est? Non humilem, non mediocrem; sed splendidam plane & locupletem. Patrem enim habuit Sejum Strabonem equitem Romanum, qui & ipse cohortibus Prætoriis extremo Augusti Principatu præfuit, & sub Tiberii exordium aliquantisper cum filio rexit. Mater ei fuit Junia, Junii Blæsi nobilissimi viri & prudentissimi pariter fortissimique ducis soror. Præter hæc fortunæ accedebant etiam naturæ munera: corpus egregium laborumque tolerans, ingenium vastum & nulli non rei par. Quid tali deesse poterat ad maxima quæque sine injuria consequenda, si rectum vitæ iter voluisset insistere, si fertilissimum ingenii campum salutaribus seminibus consevisset? At cum sementem fecerit pestiferam, quid præter zizaniam & venenatas herbas potuit producere? Ex quo elucet, quantum reipublicæ intersit, ut juveniles animi rectis imbuantur principiis de Deo, de honesto, de animarum immortalitate. Quibus si recte Sejanus imbutus fuisset, aut omnia me vehementer fallunt, aut is nunquam tam insana impietate in Deum, tam detestabili nequitia in genus humanum grassatus fuisset. Nunc cum teneri ejus anni for-

formati sint ab aliquo Epicuri de grege porco, haudquaquam mirandum in vitæ statim limine quam turpiter impegisse. Nam cum C. Cæsarem, ab Augusto in Orientem missum ad Phrahatem Armenia ejiciendum, sectatus esset, & hujus expeditionis comes numeraretur forte Apitius, lurconum asotorumque totius retro temporis princeps, huic primum ætatis florem lucrandi aliquid viatici caussa dedit contaminandum. Erat enim Apitius istorum
2500000 Philipp. temporum ditissimus, qui congesto in culinam * sestertio millies, cum æris alieni magnitudine coactus rationes inspiceret nihilque sibi reliquum
†250000 Philipp. præterquam sestertium † centies colligeret, in tantillo patrimonio, tamquam ultima fame, vivere detrectans veneno vitam finivit. Hoc igitur scelere tyrocinium vitæ Sejanus posuit. Mox Cajo in Oriente, Lucio Massiliæ defunctis, Agrippaque fratre eorum pro impare habito, cum Tiberius pro indubitato Augusti successore haberetur & ad illum cuncta vergerent, hunc veluti Deum colere & venerari aggressus est. Et erat Tiberius magnis virtutibus ornatus, inprimis prudentia & fortitudine, nonnullis etiam contaminatus vitiis, sed quæ vix conspicerentur, *quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit.* Fatum hoc magni hujus hominis fuit, quod imperium ejus & publicæ rei administratio in vaferrimi simul & teterrimi, qui unquam fuerunt, hominum, inciderit ministerium. Ego enim sic existimo, Auditores, Tiberium ista crudelitate nunquam fuisse imperaturum, nisi miris Sejani artificiis in eam semel illectus inflammatusque esset. Hæc enim est facinorum natura, ut unum generet aliud, utque mota semel male faciendi camerina non speretur securitas, nisi in scelerum per scelera propagatione. Quis igitur te non miserum dicat atque infelicem, Cæsar Tiberi, qui, cum non ex-
*6750000 Philipp. hauseris tributis rempublicam & tamen * vicies ac septies millies sestertium ad illam tuendam reliqueris; qui, cum pacem in omnibus ferme illius partibus per tres & viginti annos stabiliveris; qui, cum duodecim celebres Asiæ urbes nocturno motu terræ collapsas partim præsenti pecunia, partim onerum remissione restitueris; qui, cum deustis mon-

tibus Cœlio & Aventino, damna privatorum ex tuis viribus ultro resarciveris, sicut in unius Aventini restitutionem millies sestertium inaudita munificentia collocaveris; qui, cum in nummaria populi Romani difficultate similem summam in triennii tempus gratuitum proposueris; qui humanas hostias, crudelissima sacrificia, usque ad tuam ætatem in Galliis & Africa durantia, penitus sustuleris; qui, cum de Christianorum religione tam benevole senseris, ut Servatorem Orbis in Deorum numerum referre cogitaveris, multaque alia magna atque immortalia in hominum genus beneficia contuleris, nihilominus tanta nominis laboras infamia, ut omnes boni ad illius prolationem toto corpore contremiscant? Igitur Sejanus, ut eo redeam, novum hunc solem orientem tanta veneratione prosecutus est, ut a Tiberio statim in ipso Principatus exordio *collega Straboni patri suo datus* & ad comprimendam Pannonicarum legionum seditionem simul cum Druso missus fuerit. Quam spartam postquam dextre exsecutus est, incredibile prorsus quantopere mox Tiberii confirmata de hoc viro fuerit opinio; scilicet hujus ingenium, hujus cognitionem atque prudentiam nulli non negotio conficiendo sufficere. Et *Sejanus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat.* Egregie prorsus, nisi hæc virtutis imitatio, non natura fuisset. Nam cum vaferrimus mortalium probe intelligeret, ab iis quam facillime decipi homines, quos credunt esse bonos, quique bonitatis speciem cum aliqua ostentatione præ se ferant, boni & reipublicæ salutaris consiliarii personam ante omnia assumendam esse putavit. Sic non modo brevi magna apud Tiberium auctoritate polluit, sed *variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret.* Accessit mox alia opera cum ingenti quidem maleficio conjuncta, sed ob hoc ipsum magis eum Principi conjungens, nefanda Germanici cædes. Commisit Tiberius duo tetra flagitia, nullius, ut videtur, instigatione inductus, sed regio more, propriæ securitatis contemplatione; Postumi Agrippæ necem in ipso Principatus initio, tum Germanici Cæsaris,

anno

anno ejusdem quinto. Verum ut in hoc tollendo acribus Sejani ministeriis adjutus est: sic hujus mors primas de rapienda dominatione satelliti huic suggessit cogitationes. Quamdiu enim hic superesset, nisi plane excordem fuisse Sejanum putemus, de invadendo Imperio cogitare nunquam potuit. Post hujus mortem natæ primum sceleratæ cogitationes. Tiberii enim ætas vergere jam incipiebat: Drusi juventa fraudibus oportuna videbatur: Claudius, Germanici frater, mentis erat imminutæ nec absolutus a natura, sed duntaxat inchoatus, ut mater Antonia de *illo* dicere solebat. Ipsum vero Cæsarem levi negotio ad domum Germanici porro evertendam impelli posse credibile erat. *Proprium* enim *humani ingenii, odisse quem læseris.* Sic furtiva ista Germanici cædes, quam Sejani potissimum opera patraverat meticulosus Tiberius, in caussa fuit, ut quod in Germanico temere formidaret, in Sejano juste metuendum habuerit. Sic Deus clandestinorum scelerum vindex justissimus Tiberio adversarium excitavit pariter clandestinum, cujus occultis machinationibus ipse non modo in omnem rueret crudelitatem, sed unicum insuper, unicum, inquam, filium, tanti Imperii heredem, Drusum amitteret. Sed audiamus per species, quibus facinoribus dominationem rapere instituerit. Patri igitur Sejo in Præfectura æquatus, dein postquam is Ægypto præfectus est, solus in illa relictus, agitare illico animo cœpit, quomodo illius vim, modicam ante, intenderet. Hæc scilicet est solertia ambitiosorum, ut munia & dignitates a republica sibi commissas augere studeant, non raro etiam contra eam utantur. Ergo auctor Tiberio fuit, ut castra Prætoria exstruerentur ad Urbis mœnia, quibus posthac novem illæ Prætoriæ cohortes, quæ singulæ millenariæ erant, attinerentur. Non difficulter hoc tamquam *salutare* Cæsari persuasum: metus enim ex facinorum conscientia crescere jam incipiebat. Sub Augusto Prætoriani per hiberna vel æstiva apud finitima oppida fuerant sparsi, nec plures quam tres eorum cohortes in Urbe erant visæ. Cujus prudentissimi consilii mutatio magnorum reipublicæ malorum non modo illa tempestate, sed sæpe etiam post

caussa

caussa & origo fuit. Cæterum non hic stitit Sejanus, sed *ut perfecta sunt castra* & novem hominum millia sub uno vallo tetendere, huic curæ sese ante alias dedit, ut tantæ multitudinis favorem plene colligeret, adeundo sæpe, compellando blande, centuriones & tribunos probe sibi cognitos constituendo. Interea in Senatu non minus quam in castris laborabat, *clientes suos honoribus aut provinciis ornando.* Sed nec exercitus omittebantur. Nam Lentulum Getulicum superioris Germaniæ Præsidem, in cujus pariter & soceri Apronii, qui inferiorem curabat, manibus *octo legiones* erant, *immensa sociorum auxilia*, affinitate conciliavit, destinata sibi nuru Getulici filia. Unde brevi tempore potentissimam in republica factionem, nemine quasi sentiente, excitavit, certe adeo *facili Tiberio atque ita prono, ut socium laborum, non modo in sermonibus, sed apud Patres & populum celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum sineret.* Hisce igitur quasi munimentis insistens Sejanus ipsum scelestissimum negotium, cujus potiundi cupidine flagrabat, aggredi statuit. *Cæterum plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis adferebant. Et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat.* Itaque postquam diu super modo negotii exsequendi deliberavisset, *placuit* tandem *occultior via, & a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur.* Acciderat enim paullo ante, ut *Drusus impatiens æmuli & animo commotior*, dum forte cum Sejano rixatur & præ fervore, ut fit inter jurgantes, ipsi intentat manus, cum Sejanus idem fecisset, alapam, tamquam venerationis Principis filio debitæ oblito, ipsi infligeret. Quæ res composita quidem in speciem & a Sejano transmissa, nihilominus in caussa fuit cur a Druso potissimum sceleris sui tramam inciperet. *Igitur cuncta tentanti promptissimum visum, ad uxorem ejus Liviam convertere*; illamque fictis amoribus, nam pulchritudine formæ præcellebat, ad consuetudinem stupri pellicere. Ergo hujus laudare primo formam, hanc admirari, supra sexus sortem tollere, adorare: mox, ubi illa paullulum cœpit attendere, captum se ab illa profiteri, præ

illius

illius desiderio non se durare, non respirare, non posse vivere. Denique variis verbis factisque in speciem amatoriis brevi miserrimæ feminæ mentem ita pervertit, ut *illa, cui magnus avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque & majores & posteros municipali adultero fœdaret.* Postquam sic primi facinoris factus fuisset compos & intelligeret feminam amissa pudicitia nihil abnuere, aliis artibus, quo ad mariti necem impelleret, eandem aggreditur. Nec multum posthæc tam peritus nequitiæ artifex laboravit, quin alterum hoc scelus, priore licet detestabilius atque insanius sub matrimonii communisque regni promissione ab eadem impetraret. Admirabile prorsus, tanta cæcitate Livillam fuisse, ut *pro honestis & præsentibus flagitiosa & incerta exspectare* maluerit. Interea Sejanus ne Livillam insaniæ pœniteret, callide providebat, utque omnes frigoris suspiciones, quæ oboriri inter amantes solent, in perpetuum rescinderet, divortium cum Apicata, e qua tres liberos genuerat, facit. Verum in exsecutione sceleris aqua utrisque hærebat. Nam & venenum requirebatur, non quodlibet, sed *quo paullatim irrepente fortuitus morbus adsimilaretur*, & homo certus, qui illud Druso porrigeret. Neutrum enim neque Sejanus neque Livilla præstare recte poterant. Igitur ad veneni præparationem *sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviæ:* ad alterum ministerium magna mercede majoribusque promissis inducitur spado quidam, *ætate ac forma carus domino interque primores* Drusi *ministros*, nomine Lygdus. Horum opera pestilens hocce facinus anno Tiberii nono perpetratum est: idque ignoraremus, nisi Apicata *octo post annos*, Sejano jam extincto, totum sceleris ordinem enuntiasset. Sed quo tempore Drusus extinctus est, omnes præterquam ipsius interfectores, ne Tiberio quidem excepto, morbo & intemperantia periisse existimabant. Sic ergo Druso vaferrima Sejani fraude vita erepta est. O quanta scelera committuntur in aulis! Quanta flagitia parando aut firmando regno non usurpant mortales! Verum Sejanus ubi videt Drusi mortem non modo sine suspicionibus, sed ne a populo quidem moleste ferri,
prom-

promptior quodammodo ad audenda scelera ferociorque ipsa impunitate factus statim volutare animo cœpit, qua ratione Germanici liberos, qui haud dubie propter ætatem successioni proximi erant, percelleret. Hic vero maxima & insuperabilis difficultas nata videbatur. Erant enim ipsi adolescentes tres numero, ministri eorum, a magno quondam patente lecti, fidelissimi, mater Agrippina pudicitia impenetrabili. Verum iste acumini suo nihil impervium esse existimans brevi unicam hos evertendi perspexit rationem, videlicet per avum. Itaque in hoc cogitare perpetim, in hoc omnes nequitiæ recessus excutere. Et præbebatur ipsi ad scelus hoc incredibile perficiendum ansa non una. Ex Druso enim vivebat puer Tiberius, cui potius quam fratris nepotibus fauturus avus videretur. Accedebat hinc, præter commissi in Germanicum conscientiam, vetus Tiberii in Agrippinam odium, illinc ipsius Agrippinæ ferocia. De qua non sine ratione sollicitus in extremis Germanicus fuerat, cum *illam per memoriam sui, per communes liberos* moribunda voce *oraret, exueret ferociam, sævienti fortunæ submitteret animum, neu regressa in urbem æmulatione potentiæ validiores irritaret.* At salutiferum hoc præceptum ignara simulationis mens non valuit vita exprimere. Ergo Sejanus palam nihil quidem ad Tiberium de Agrippina, nisi quod verum esset, deferre: scilicet, nimis esse ferocem, non se satis submittere, nec debita veneratione prosequi majestatem imperatoriam. Verum clandestinis machinationibus tantas interim struebat insidias, quantæ muliebri consilio evitari nullo modo possent. Nam & aviæ Augustæ per redemptos criminatores reddebat irreconciliabilem: & illos, qui circa illam erant, decipiebat per sycophantas, multa identidem de malo in illam Imperatoris & Augustæ animo confingentes: quibus mox ad illam relatis induceretur femina simplex ad dictum aliquod aut factum, quod in crimen trahi calumniando posset. O pestilentes dolos! O Tartaro satas Ereboque technas! Sed neque ab adolescentibus artes abstinebat maleficas. Nam cum forte anno Tiberii decimo a pontificibus ceterisque reipublicæ sacerdotibus

pro

pro Principis incolumitate vota ex more fuissent suscepta, Nero & Drusus, ambo Germanici filii jam adulti, adulatione quadam intempestiva iisdem diis commendati fuerant. Hoc illico iste arripuit taxavitque tamquam facinus indignum & majestatem destruens imperatoriam: hinc videri diductam in partes civitatem, & impendere periculum, *neque aliud glißcentis discordiæ remedium, quam si unus alterque maxime prompti subverterentur.* Facile hoc Tiberio persuasum, tum suopte ingenio omnis æmuli impatienti, tum sanguini proprio magis quam fratris studenti, retinentique in liberos odia, quibus parentem prosecutus fuerat, *quorum caussæ acriores, quia iniquæ.* Itaque permittente Cæsare statim præcipui hujus domus clientes aliique civitatis principes, tamquam crescentis factionis capita, immissis accusatoribus subornatisque criminibus sublati sunt. Qua tyrannica impotentia effectum est, ut non modo Germanici domus irretiretur quotidie altius in Sejani plagas, sed tota etiam civitas Principem, tamquam tyrannum metuere inciperet. Brevi igitur eo atrocitatis res deducta est, ut Agrippinæ ac Neroni milites apponerentur; qui observata dierum temporisque serie, quos illi nuntios acciperent, a quibus inviserentur, tum omnia, quæ aperte quæque secreto facerent, clanculum in commentarios referrent. Drusus, Neronis frater, in principio a matris fratrisque caussa suam diviserat, ad præceps hoc consilium strophis Sejani inductus, indubitatam ipsi successionem promittentis, si se Principi in omnibus submitteret, matrisque ac fratris contumaciæ, quantum posset, obsisteret. Ab hoc autem Druso, quod ingenio esset praeferoci omnisque simulationis ignaro & per hoc insidiis quovis tempore struendis admodum opportuno, Sejanus nil sibi timebat. Præsertim, quod cum *ejus* socru turpi consuetudine teneretur. Dum in hoc facinorum æstu Sejanus agitatur, sive fortunæ favore excæcatus, sive muliebri cupiditate & festinatione exstimulatus anno Tiberii duodecimo tantum commisit errorem, ut nisi fatali quodam stupore Principis mens obruta fuisset, totam illius machinationem non difficulter ex unico ipsius actu depre-

prehendere potuerit. Petiit enim per codicillos Livillæ matrimonium. Nihilominus Cæsar, tamquam nihil aliud intelligeret, quam quantum hac petitione e republica peteretur, per multas & artificiosas ambages ostendit tantum, nuptias hasce sibi non placere. Sic nihil aliud mali Sejanus ob hunc errorem suum passus est, quam repulsam. Verum mox multa dexteritate adeo culpam hanc emendavit, ut non mediocre insuper pondus potentiæ, quam in Principis animo hactenus habuerat, adjecerit. In quo tamen non parum a casu adjutus videri potest. Nam Tiberius cum anno imperii tertio decimo exsequi cœpisset consilium illud mirabile, de relinquenda Urbe & regia in insula Caprearum ponenda: atque in Campania hærens frigoris captandi caussa nativo quodam in specu villæ cœnaret, superior speluncæ pars, forte luxata, decidit, obruitque ministrorum convivarumque plurimos: immo ipsum Principem elisisset, ni Sejanus, qui solus cum eo remanserat, reliquis aut elisis aut dilapsis, genibus manibusque nixus supra eum sese suspendisset ad excipiendas dorso desuper venientes moles. Ex hoc enim mirandum in modum aucta est Sejani apud Principem auctoritas. Qui enim tam parum de suis commodis fuisset sollicitus, ut propriæ vitæ anteposuisset Cæsaris incolumitatem, in omnibus consiliis nihil prius, quam ejusdem utilitatem positurus esse videbatur. Sic igitur pristinæ fiduciæ redditus nihilque Cæsarem conatuum suorum ex aucto in immensum favore ejus haud absurde colligens, nactusque insuper hoc secessu plene possidendi illius occasionem, alacriter urgere cœpta, domum Germanici porro exscindere aggressus est. Quamdiu enim hæc stabat de tollendo Principe cogitatio non relinquebatur. Igitur quotidianis de Agrippina & Nerone delationibus ita Tiberii animum his alienavit, ut nihil quidem illos ab exitio præstaret incolumes, præterquam Juliæ Augustæ longævitas: quæ hactenus quidem Agrippinam gravata, in illam tamen liberosque ejus sævire suppliciis nefas putavit. Et erat *Tiberio inveteratum erga matrem obsequium; neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire.* Verum hac tandem quinto decimo Tibe-

riani Principatus anno defuncta continuo literæ Capreis venerunt, quibus ambo primum in Senatu sunt accusati: mox Agrippina tamquam adulterii cum Asinio Gallo commissi rea in insulam Pandateriam relegata; Nero propter convitia in Principem in Pontiam sepositus. Neroni junctus mox frater Drusus ex simili crimine, carcerique Romæ in ima Palatii parte mancipatus est. Sic Germanici domus propemodum extincta videbatur, nullo ex illa præterquam Cajo incolumi, cui ut in Urbe dolus interea pararetur Sextius Paconianus Latiniusque Latiaris a Sejano delecti; dum ipse, quod maxime arduum, contra Principem accingitur. De quo antequam dicam, anquirendum videtur, quo consilio inductus Cæsar anno illo tertio decimo Urbem reliquerit, sic ut nunquam exinde, licet decennium adhuc vixerit, eandem iterum intraverit. Alii discessum hunc Sejani vaframentis attribuunt, alii ab ipso Cæsare profectum arbitrantur. Mihi haudquaquam absurde censurus videtur, qui & Sejanum in hoc laborasse & Cæsarem insimul inclinasse pronuntiaverit. Si enim a solo Sejano Cæsaris absentia provenisset, non utique in eadem perstitisset sex reliquos, quot post Sejani cædem vixit, annos. Et tamen multa erant in hoc secessu Sejani negotium non leviter juvantia. Præcipuum, quod Cæsar facilius de medio tolli in abdito rure degens posse videretur, quam Romæ tanto in populo. Tum, quod admissionum literarumque, quæ ultro citroque per prætorianos perferrentur, arbiter fieret: quod Cæsar degustata semel otii dulcedine dominationem facilius transmissurus videretur: quod invidia, qua propter clientium salutantiumque turbas in Urbe laborabat, sublata adeundi facultate, minueretur. Nihilominus ab ipso Cæsare vel imprimis mirificum hoc consilium profluxisse videtur. Hic enim cum quotidie tot Senatores equitesque illustres interficeret, sub specie quidem juris, sed re, quod sibi ab illis metueret, non modo propinquos interemptorum consanguineosque, sed reliquos pariter, qui tyrannicum hoc sophisma intelligerent, inimicos effecerat. Qui cum singuli exitium pariter metuerent, non modo

do eum oderant, verum & ſublatum optabant. Quod poſtquam haud obſcuris indiciis Tiberio cognitum, viciſſim & eum metus cepit, haud temere cogitantem nulla arma, nullos ſatellites, nullos exercitus ſatis eſſe validos ad Principem contra unius ad mortem formati inſidias tuendum. Ergo nihil ad ſecuritatem reperire valens efficacius Urbem ſub alia ſpecie reliquit, mox tamquam captandi ſeceſſus cauſſa in Caprearum inſulam ſeſe abdidit. Nam aër iſtic hiemali tempore mitis excluſo objectu montis borea, æſtate favonio temperatus ſeceſſui ſpeciem præbebat: & ſolitudo in ea hominum, importuoſa magnis navigiis littora, parviſque niſi cuſtodum permiſſu inacceſſa ſpe non exigua lactabant ſecuritatis. Cum enim nemo ſoleat eſſe tantus vitæ propriæ hoſtis, ut eam citra ullius boni contemplationem libens deponat, hac inſulari Cæſaris ſtatione omnis eum tollendi ſpes præciſa videbatur. Quemadmodum autem peritiſſime hoc dijudicavit, ſic in Sejani conatibus pervidendis tali ſtupore obſeſſus eſt, ut divinitus plane injectus videretur. Nam qui æmuli potentiæ eſſet intolerantiſſimus, Sejanum tamen honore tantum non ſibi æquari ab omni hominum genere, omni loco, tempore, occaſione libenti animo patiebatur. Hujus ſtatuæ tanto numero in Urbe obverſabantur, ut plures eſſent, quam luces habet annus abſolutus. Per hujus fortunam non aliter quam per Principis jurabant paſſim homines. Hujus nomen in privatorum teſtamentis non rarius quam Principis legebatur. Ad hunc legati ſeorſum a populo, ab equitibus, a Senatu æque ac ad Principem mittebantur. Hujus natalis conſulto Senatus publice inſtar Principis celebrabatur. Principio anni vota tam pro hujus quam pro Principis incolumitate nuncupabantur. Quis non vidiſſet tum, niſi mentis plane emotæ, quid immineret? Et videbant plures: nihilominus Tiberius talpa cæcior Sejanum ſuum tamquam oculi pupum, tamquam alterum ſe, tamquam numen obſervare, amare, colere. Nec dubitari poteſt, quin in hoc gravi lethargo opprimi Cæſar potuerit, niſi Providentia & Juſtitia divina, tot Sejani ſceleribus fatigata, tanta impietatis vi ac-

censa, quod in alium meditabatur, in ipsius caput convertisset. Præparata enim Capreis jam erant omnia, socii & administri sceleris conjuraverant, partes inter se conjurati diviserant: cum ecce unus de numero illorum, Satrius Secundus profitetur indicium. Apud quem proprie id a Satrio factum, Sejano non modo animum Principis sed etiam aures draconis instar in rupe Caprearum obsidente, non legimus amplius in Historia, injuria temporis mutila aut sublata. Nihilominus * auctores comparanti suborietur conjectura admodum probabilis, indicium apud Antoniam Satrium primo professum. Fuit Antonia sexus sui ornamentum singulare, matrona pudicitia non minus, quam prudentia illustri. Drusi enim mariti, Germanici patris, in se amorem continua quatuor & quadraginta annorum viduitate pensavit: & tam fuit prudens, ut non modo apud Augustum socrumque Liviam summa semper gratia floruerit, sed apud Tiberium in magna etiam veneratione fuerit, nullo cum frigore unquam conflictata. Tiberioque superstes, cum furibundo Cajo, apud quem nulla prudentia valebat, solo convenire non potuit: unde sub hoc demum indignitatibus multis tædiisque confecta diem obiit suum. Ab hac igitur Antonia lethifero sopore excitatus Tiberius Sejani conatus perspicere cœpit; periculique magnitudine priori vigilantiæ providentiæque redditus, cum Crete, ut dicitur, cretizare aggressus est. Nam, cum intelligeret tunc demum, auctoritatem potentiamque principalem ad Sejanum tollendum minus esse validam (quod prætoriani milites nimium eum amarent, quam ut ulli contra ipsius salutem imperato parituri viderentur: quod in Senatu haberet factionem, cujus potentia redderetur quodammodo sacrosanctus: quod qui circa ipsum essent, fere plus Sejano quam ipsi studerent) ad dolos technasque confugere artesque Sejani deludere artibus statuit. Igitur dissimulato quam altissime Antoniæ indicio huc flexit, ut quanto ocyus Sejanum sub alio prætextu a latere suo divelleret. Nihil autem speciosius ad hoc occurrebat, quam Consulatus. Igitur quum ipse solus tertium & octogesimum conditæ

* Josephum, Tacitum, & Dionem.

Urbis

Urbis annum supra septingentesimum aperuisset Consul quintum, Sejanum collegam assumpsit. Ne vero de hoc suo consilio ulla Sejano oboriretur suspicio, majoribus etiam exinde amoris affectusque indiciis prosequi cœpit: sic ut tenerum illud, *Sejanus meus; Sejanus, inquam, meus*; non modo in ore ipsius crebro sonaret, sed legeretur etiam in epistolis ad Senatum populumque Romanum missis. Adhæc cum olim Livillæ nuptias petenti promisisset aliam conditionem, qua domui Cæsarum immisceretur, tamquam promissi memor, ex neptibus suis, quæ apud Antoniam educabantur, unam abeunti despondit. Hac multiplici fraude non modo Senatus tribusque decepti misere sunt, sed ipse etiam Sejanus ita est irretitus, ut consilium de Cæsare opprimendo differret. Audita enim Romæ hac designatione, passim apud Principis imagines Sejano æneæ positæ statuæ: utriusque nomen exprimi cœptum in publicis inscriptionibus: utrique sellæ aureæ in theatris collocatæ. Immo tanta fuit sensuum Cæsaris ignoratio, ut Senatus designaverit eum Sejanumque in quinquennium Consules. Hærebat enim adhuc tum in Senatu aliqua consularium comitiorum imago, sed quæ Principis magis voluntatem referret, quam antiquam populi designandi potentiam. Igitur sub hoc titulo, majoribusque promissis tamquam ad Consulatum Sejanus demissus est. Quem ille a Kalendis Februariis in Idus Majas tanta fiducia aministravit, ut non tam Consulatus, quam Imperii collega assumptus videretur. Ex Idibus Majis suffecti Consulatum suscepere C. Memmius Regulus & Fulcinius Trio: hic etiam Sejani suffragatione. Ex hoc autem tempore Sejani veneratio quasi per gradus cœpit decrescere, dum Cæsar exorditur telam, in cujus meditatione hactenus occupatus fuerat. Nam quo factionem ipsius in Senatu debilitaret, neque tamen ad præcipitia ipsum impelleret, mittebat frequenter ad Senatum epistolas: in quibus modo leviter eum perstringeret, modo rursus laudaret: nonnumquam male se affectum neque diu superfuturum, nonnunquam valere se propediemque adfuturum significaret. Similiter ex Sejani amicis alios ignominia, alios rur-

ſus honore afficiebat. Adhæc C. Caligulam, qui tunc adhuc Romæ apud aviam Antoniam cum ſororibus educabatur, cum forte ſacerdotio extuliſſet, deſtinatum ſibi eundem ſucceſſorem relinquere, non obſcure declaravit. Quod conſilium incredibile quantum Sejani in Senatu fregit potentiam, multis eum tamquam occidentem ſolem relinquentibus. Ne tamen ſic nimium irritaretur, eodem tempore & in filium ejus ſimile ſacerdotium & in ipſum Proconſulare extra Urbem Imperium, quod ab aliquo tempore inter Principatus titulos uſurpatum fuerat, contulit. Hæc in Senatu a Cæſare geſta. Nec minor ejuſdem in avertendis a Sejano prætorianorum, præcipue circa ſe tendentium, animis ſolertia fuit. Erat in tribunis prætorianarum cohortium Nævius Sertorius Macro, vir vel Sejano callidior, quippe qui paullo poſt eaſdem artes, ſed occultius exercere auſus eſt. Huic Cæſar, quo ſibi alacriter in ſubvertendo Sejano inſerviret, clanculum ipſam Prætorii Præfecturam promittit. Interea mirificum portentum, ſicuti Tiberium ad exſequenda deinceps deſtinata vehementer impulit, ita Sejanum conſilii dubium & modo hoc, modo illud cogitantem miſere ſufflaminavit. Licet enim hic neque deos unquam neque dæmonas credidiſſet, tunc tamen re portentoſa turbatus de prioribus decretis dubitare aggreſſus eſt. Scilicet Romæ una ſtatuarum ipſius vehementer fumare per aliquot tempus cœpit, cum tamen nullus uſquam in illa ignis appareret. Quod inviſitatum ſpectaculum cum multos attraxiſſet homines & inter hos ipſum etiam Sejanum, mandato illius caput ſtatuæ demptum eſt. Tum vero adhuc majus apparere prodigium cœpit. Nam aperto ſtatuæ ſinu nullus quidem ignis conſpectus, verum ingens inde provolutus eſt ſerpens. Sejanus non mediocriter hoc oſtento pavefactus aliud caput ad ſuum vultum efformatum trunco ſtatuæ imponi curavit: cumque accurriſſet ad portentum ſacrificio expiandum, invenit funem laquei inſtar capiti huic recens impoſito circumligatum. Quod ultimum tamen non tam dæmonis quam hominis maleficio contigiſſe videri malo, Auditores. Quidquid ſit, animos Sejani miſere hoc portento

deje-

dejectos, Tiberii contra mire sublatos auctores testantur. Ergo Sejani exitio constitutus est dies quintus decimus Kalendas Novembres ejusdem anni, quo solus collega Principe, absente, Consulatum administraverat. Erat autem res ardui laboris Sejanum a prætorianis militibus tantopere dilectum manuque illorum & satellitio perpetuo circumdatum, ipsumque in auxilium sui haud segnem futurum opprimere. Verum Tiberii vigilantia atque calliditas omnes difficultates superavit. Quid igitur? Mittit hic ad Senatum cum grandi epistola Macronem: qui nocte diem exitii præcedente totam rem cum altero Consulum Memmio Regulo præfectoque vigilum Gracillo Lacone communicat. Erat Memmius vir fidei ambiguus privatisque utilitatibus officium metiens, qui intellecta Principis voluntate illico promisit pro virili se illam exsecuturum. Laco spe Procurationis * & æmulatione prætorianorum nihil detrectabat. Nec contemnendæ erant vigilum vires, quippe sex hominum millibus æstimatæ. Formato igitur noctu cum his duobus consilio, Macro sub diem in Palatium properat, eo consilio ut in Sejanum incideret, Senatui, qui in ædem Apollinis in id tempus indictus erat, interfuturum. Incidit, gratulaturque ipsi magna cum specie, sed per mendacium, collatam Tribunitiam Potestatem, simulque literas se habere ad Patres, quibus hæc ipsi deferatur, constantissime ementitur. Ingrediuntur ambo, diversissime affecti, Senatum. Literas Memmio Consuli tradit Macro, & mox veluti peractis imperatis iterum egreditur. Egressus ostendit Prætorianis ante templum excubantibus Principis diploma, quo Præfectura Prætorii ipsi demandabatur, jubetque hos se sequi in castra, ubi omnibus traditurus esset a Principe literas; credunt hi diplomati, novumque Præfectum sequuntur, dubitantibus falsa Tribunitiæ Potestatis fama in Sejanum collatæ, ne manerent, inductis. Postquam tali stratagemate prætorianis templum ereptum est, mox, uti convenerat, vigiles eidem a Lacone circumfusi sunt. Interea Memmius recitari in templo grandem Principis epistolam jusserat miro cum artificio scriptam. In hujus enim

* Hinc Dioni lib. LX. sub Claudio, τῶν Γαλατῶν ἐπιτρο-πεύων.

enim principio de Sejano nihil occurrebat: postquam multa jam essent recitata, Sejanus leviter duntaxat taxabatur: tum ad res iterum alias fiebat transitus: iterumque post illas ad Sejanum flectebatur: denique finis plane inopinatus duos ex Sejani factione Senatores puniendos, ipsum ad tempus in carcere detinendum jubebat. Quis non animadvertit callidissimam epistolæ hujus dispositionem? Si enim illa brevis fuisset & uno, ut sic dicam, ictu petiisset, aut in principio prompsisset, quod in fine tenebat reconditum, dubio procul Sejanus ad prætorianos in auxilium sui sollicitandos, e templo sesemet proripuisset. Quod si esset factum, nemo non videt urbem Romam a Sejano capi potuisse, antequam legiones e Dalmatia, ut Italiæ propiores, evocari in auxilium potuerint. Nullus enim in Italia miles erat, præter novem hasce prætorias, tres urbanas, quatuorque vigilum cohortes, ac duarum forte classium milites, Ravennatis atque Misenæ. Capta vero Roma tenebatur ærarium, exercitusque tantus conscribi illico poterat, quantus ad occupandam non modo Italiam sufficeret, sed quantumvis etiam difficile bellum Principi faciendum, non modo apud cives, sed milites etiam exoso. Nec ignorabat Tiberius periculum, in quo versaretur. Mandaverat enim Macroni, ut, si res posceret, Drusum nepotem, quem vinculis Romæ adhuc continebat, solveret, ducemque constitueret. Naves insuper ad fugam habebat præparatas, jusseratque per faces e speculis sublatas identidem sibi quid Romæ gereretur significari. Sed verbosa hæc & grandis epistola omnes Sejani conatus destruxit: qui, dum exitium suum illa non contineri existimat, præter opinionem, nullo tumultu facto, ductus est. Cæterum in Senatu, dum epistola hæc recitaretur, subita animorum facta est mutatio. Nam cum omnes, Memmio excepto, antequam resignata esset, crederent Tribunitiam Potestatem Sejano delatam, atque hanc mira cum adulatione ipsi gratularentur, inter recitandum intelligentes errorem in contraria omnia rapiebantur. Prætores Tribunique eum circumsistere, qui pone sedebant relinquere. Tandem Consul Memmius non-

nondum finita recitatione Sejanum pro tribunali citat: qui parendi insolens non prius obedivit, quam tertia vice porrecta manu a Consule vocaretur; tum enim cum admiratione demum surgens Consulis tribunal petere aggressus est. Eodem tempore Laco arcessitus intro pone Memmium adstitit. Absolutaque tandem verbosæ epistolæ longa recitatione primum scribentis consilium in ultimis versibus evolutum est. Tum alios videres pavere non aliter ac si fulmine fuissent afflati: alios audires ad convitia concitari in Principis hostem conjicienda. At Memmius *opportunos magnis conatibus transitus rerum* existimans mittere Senatum, Sejanumque in carcerem ducere properabat. Ergo interrogato de Senatoribus tantum uno, qui ducendum censebat, postquam abrupte addidisset, se haud dubitare, quin omnes idem censerent, Laconem jussit Sejanum ducere. Verebatur enim si perrogasset, multitudine Sejano suffragaturorum Cæsaris caussam laboraturam. Sic ergo Sejanus in carcerem ductus est. Hoc Senatus judicium ut palam factum est, populus, qui

sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos,

multis statim dictis factisque approbavit. Nam dum adhuc duceretur, ipsum lacerare maledictis, mox facto ingenti tumultu statuas ipsius dejicere, confringere, raptare cœpit. Memmius ubi populum cum Principe conspirare videt & prætorianos a Macrone in castris contineri, iterum cunctationem in re adhuc ancipiti periculosam ratus, nulla interposita mora Senatum eodem die iterum, sed in Concordiæ ædem, quæ prope carcerem erat, convocat. Hic Sejanus tamquam perduellionis reus ultimo supplicio damnatus atque extemplo in carcere morte affectus est: cadaverque damnati pro more ante carcerem in Gemonias abjectum omni ludibriorum genere per triduum integrum vexatum, tandemque uncis carnificum per plateas tractum atque in Tiberim præcipitatum est. Ductus etiam paullo post interfectusque filius natu maximus, tamquam paternæ conjurationis socius. Et rursum post aliquot dies in duos reliquos ejusdem liberos, quamquam

insontes propter ætatem pari modo animadversum est. Nisi quod filia, quæ ante undecim annos Claudii filio desponsata fuerat, *quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur a carnifice laqueum juxta compressa*, dein strangulata est. Horum nuda corpora cum in Gemonios gradus pariter abjecta magno cum horrore mater Apicata intellexisset, domo contineri non potuit, verum progressa in publicum ad casus suorum contemplandos victa doloris magnitudine, superesse, quos tam infeliciter pepererat, miseranda mater noluit, domumque reversa composuit ad Principem codicillos totam sceleris seriem continentes; quibus ad eum missis ipsa violentas sibi intulit manus. Tiberio hactenus nihil præter *novissimum* Sejani *consilium* ex Antoniæ sive Satrii indicio innotuerat. Tum vero postquam Eudemi & Lygdi tormentis didicit verum esse, quod Apicata relinquendæ vitæ certa conscripserat, non contentus suppliciis, quæ de ipso Sejano ejusque liberis consanguineisque & conjurationis sociis hactenus sumpta fuerant, totam ipsius factionem exscindere atque exstirpare statuit. Quo tyrannico consilio tantum mali in rempublicam importavit, ut utrum Sejanus vivus an magis mortuus reipublicæ nocuerit, dubium relinquatur. Certe miserrima fuit exinde civitatis Romanæ facies. Nam & populus in principio insanum in modum tumultuabatur trucidabatque passim, quos Sejano amicos olim noverat: & mox prætoriani, parum curantes mille sibi denarios viritim a Cæsare promissos, si se Sejano non accommodarent, quasi dolentes in fide sibi vigiles præpositos, incendiis direptionibusque Urbem vastabant: in Senatu autem quotidie decreta de sanguine scribebantur. Tantaque fuit horum temporum tribulatio atque calamitas, ut nonnulli in media curia Patribus coram semet interfecerint. Nihilominus quæ Romæ quotidie exigebantur supplicia videri humana poterant, si cum illis, quæ Cæsar Capreis exigeret, compararentur. Nullum ille modum, nullam mensuram tenebat, sed ipsas rabidas belluas sævitia superabat. Nec tantum in Sejani asseclas sic grassabatur, sed, quem vivo Sejano tenuerat, sævitiæ cursum subla-

rô eô adhuc intendebat: tantumque *vi dominationis convulsus mutatusque* est, ut cum omnes totam præteriti regiminis invidiam sponte in Sejani derivarent ministerium, ipse solus idem facere neglexerit. Hinc Agrippina biennio post Sejanum, Nero suspecto, Drusus extincto eodem sublati fuerunt. Hunc tragicum finem Sejanus habuit. In quo adoranda Dei ter Optimi Maximi providentia justitiaque visibiliter elucet. Iste enim qui per omnem vitam Providentiam divinam cum Epicuro proscripserat, in morte vidit insaniam suam. Iste qui mentis suæ acumine, quodcumque scelerata voluntas concupisceret, efficere se posse crediderat, tandem deprehendere potuit, esse Mentem Infinitam, quæ supra nos negotium curet. Iste qui per omnem vitam cum eodem Epicuro justi leges mentibus nostris a Deo impressas negaverat, in morte justitiam divinam evadere non potuit. Iste qui homines a natura ad discordiam factos, statumque illorum naturalem bellicum fuisse existimaverat, & cuilibet jure naturæ in quemlibet licere quodlibet, errorem pestilentissimum sanguine ejuravit. Atque utinam, Auditores, inter Christianos non numerarentur, qui blasphemantia Epicuri decreta, Providentiam Divinam, id est, ipsum Deum, & justitiam naturalem tollentia recoxissent. Tanta scilicet est malitiæ vis, tanta in hominibus impiis audacia, ut Caussam illam caussarum omnium, *summum Illud & æternum neque mutabile neque interiturum*, negare malint, & mundum hunc aspectabilem, opus manuum ipsius, pro ipso artifice agnoscere, quam ad illius voluntatem conformare se atque componere. Juxta hos enim novos gigantes Deique oppugnatores nulla naturæ lex, nulla justitia, nisi quæ ex hominum conventione orta sit: hominesque tamquam ex semine dentium draconis temere proseminati lupis, ursis, serpentibus rabidiores sunt.

Parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

At homo, homo, inquam, ad imaginem Dei conditus, quoniam in genus sævit suum, juxta istos, omnibus belluis truculentior est. Sed quo colore scelerum advocati adstruunt maleficam hanc hominis naturam? Deus Bone, divinas facultates, quas Tu homini dedisti, quo brutis superiorem faceres, hujus maleficii insimulant! Primum enim rationem omnium miseriarum, quæ e discordiis bellisque in humanum redundant genus, caussam pronuntiant; tum orationem tamquam instrumentum, quo ad turbas faciendas ratio utitur, traducunt. Sed non cogitarunt homines male subtiles ab facultatum abusu argumentationem non procedere, nec quidquid maleferiati in circulis peccent congerrones, aut propter meum & tuum delinquant populi & reges, humani generis naturam appellandam. Quanto melius Cicero orationem humanæ societatis conciliatricem; rationem rectam hominibus cum Deo communem pronuntiavit. Quod si verum est, non potest esse non falsissimum, quod isti inculcant, in statu naturæ rectam rationem a falsa dignoscere, nisi quis eam cum sua comparaverit, valere neminem: & uniuscujusque rationem propriam non modo pro actionum, quæ a quolibet suo periculo fiant norma, sed etiam in suis rebus pro rationis alienæ regula censendam. Si enim uniuscujusque ratio mensura sit rectæ, tot fore rectas, licet inter se contrarias, quot homines numerentur, efficitur: Deumque, sed isti verbo tantum Deum agnoscunt, Deum, inquam, si in singulis hujusmodi rectæ rationis auctor sit, pronuntiare in hominum mentibus propositiones, ut cum Dialecticis loquar, contradictorias. Recta enim ratio, si bene attendamus, nihil aliud est, quam veritas a veris principiis recte ratiocinando collecta. Hujus autem regula non potest esse alia, quam rerum ipsarum natura, non illa Lesbia, uniuscujusque ratio. Veritas enim arbitrio nostro constitui nullo modo potest, sed tota in rerum distinctarumque, quæ a rebus imprimuntur, cogitationum cohærentia versatur. Alium non minus insanum errorem iidem errant, dum bonum tantum ab appetitu respici ajunt, illudque restringunt ad unum duntaxat appetentem. Brutorum est solo

solo affectu nulla ratione gubernato rerum actionumque bonitatem metiri. Homo animal mente præditum ad aliquid praclarius a supremo Deo generatus ratione regere voluntatem non affectu debet. Dein id quod aliquis tamquam bonum appetit, non propterea statim bonum est, quoniam illud tale existimat, nisi hoc re ipsa naturam ejus conservet. Naturæ autem humanæ conservatio non modo in vita membrisque tuendis posita est, ut isti existimant, sed vel præcipue in mentis perfectionibus atque æternitatis spe vertitur. Verum isti cum Epicuro animas simul cum corporibus interire arbitrantur. O homines plane malevolos atque angusto pectore præditos, qui tot divinas & incomprehensibiles mentis nostræ dotes a solis motibus corporeis pendere opinamini! Sed interrogare vos libet, si nullum sit naturæ jus, atque in statu naturæ sui conservandi caussa vel alterum interficere liceat alteri, quomodo homines ex isto naturæ bello in hanc civilem concordiam societatemque translati fuerint? Quid respondetis ô boni? Aliquid, nisi fallor, quod ne ipse quidem vester vidit Epicurus. Scilicet a mutuo metu pulcherrimum hocce opus profectum. Quid audio, homo sano corpore sanaque mente præditus animal metuit cognatum atque in hoc omnibus brutis inferior est, quæ non modo se invicem in suis generibus non timent, sed consortio mutuo lætantur, gestiunt, conservantur. Quam mirificum animal juxta vos homo est, modo omnibus feris truculentius, modo meticulosius! Deploranda certe, si vos non fallimini, humana conditio est, quippe miserrimæ sorti eorum, qui a rabido cane morsi sunt, similis. Quemadmodum enim hos reformidare aquas videmus, ita vos hominem in statu naturæ constitutum reformidare hominem existimatis. Igitur ex hoc metu, quod quilibet alteri in se idem licere, quod sibi in alterum, intelligeret, convenisse primum homines pactisque in civilem potestatem hoc suum jus transtulisse pronuntiant. Sic ut summæ in civitate potestatis fundamentum in imaginario singulorum jure juxta istos sit positum. O novam totique antiquitati ignoratam civitatium originem! O jus Impe-

rii tenui tibicine fultum! Summis autem potestatibus liberaliter quidem isti, sed non sine servili adulatione, quidlibet faciendi per leges civiles de nostro & alieno, justo & injusto, honesto & turpi, bono & malo potestatem concedunt, nihil tale sua natura exsistere ante harum leges affirmare non erubescentes. Quod si ex istis quæras, quam normam is, qui summum in civitate habet Imperium, ut hæc talia declaret, sequi debeat, rerum ipsarum naturam, an revelationem divinam; respondent nil horum, tantum voluntatem propriam. Hanc vero doctrinam imperantibus imputant tamquam immortale prorsus beneficium, quippe ex qua sequatur illos neque errare ut homines, neque peccare contra Deum posse. Nam cum civilibus legibus non teneantur, quod nemo obligetur sibi: naturales autem aliorum & divinæ juxta istos non prius obligent, quam legum civilium partes sint factæ, efficitur imperantes nec his teneri, quandoquidem illis soluti sint. Sed adhuc aliud non minus magnum, ut isti putant, imperantibus largiuntur privilegium: videlicet liberos ab omni pactorum tam cum civibus initorum quam externis obligatione pronuntiant. In quo dogmate magistrum suum Epicurum iterum superare voluerunt. Hic enim quamquam justitiam non a natura sed ex hominum conventione ortam esse voluerit, nihilominus receptam coli promiscue nullo personarum custodito discrimine voluit. At quo quæso argumento imperantes a civium suorum obligatione absolvunt? Tam profecto subtili quam fallaci atque erroneo. Nimirum cum singuli juxta istos omne jus naturæ pactis in imperantes transtulerint, & cuilibet in civitate constituto juri, quod in alterum habet, renuntiare sit integrum, hinc, si diis placet, effici existimant, imperantes, quippe singulorum jura atque arbitria possidentes, liberandi etiam semet a pactis suis habere potestatem. Et ne quis putaret, jurisjurandi adjectione decreti hujus immutari naturam, addunt munifice hoc corollarium, pactorum obligationi juramenta nihil adjicere. Quanta malorum ilias ex pestilenti hac doctrina in genus humanum non infunditur, qua rerum natura invertitur; qua vir-

virtutum vitiorumque discrimen tollitur; qua jus datur sceleri; qua animarum deletur immortalitas; qua Deus docetur esse mundus! Sed Mens ista Æterna & Infinita, quæ mundum condidit & gubernat, confundet hos Sejanos punietque in æternum; cui honos & gloria in omnia sæcula.

DIXI.

AD-

ADDENDA
ET
EMENDANDA.

Pag. 6. v. 16. nomine] Emend. numine.

p. 9. v. 19. Vir doctus mallet] E. Latinus Latinius malebat.

p. 18. Add. 1, 44, 7. *& cui erant denaria militaria*] Latinus Latinius legebat: *& cui erant dona jam militaria.*

p. 14. A. 1, 21, 5. *desertoresque ac rerum capitalium damnatos, sibi jam miscent*] Latinus Latinius: *sibi immiscent.*

p. 23. v. 18. colligo ex Lipsii Dispunctionibus] E. patet ex ejus quasi Collatione.

p. 26. A. 1, 79, 2. *idque ipsis perniciem adferret*] Latinus Latinius: *id quod i. p. a.*

p. 32. A. 2, 22, 1. *Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo*] Ita Rhenanus primus edidit, & post hunc Pichena, nescio quo fundamento. Beroaldi enim Editio quæ prima quinque priores Annales ex MS. Corbejensi dedit, habet: *congeriem marmorum.* Rhenanus vero hunc MS. non vidit, Pichena usus quidem, sed hic tacet. Quod si in archetypo Codice exstet, *marmorum*, videtur sine necessitate a Rhenano inde *armorum* factum. Nam *superbus titulus*, qui subjicitur convenit optime *marmori*: & Iani arcusque marmorei item aræ ad memoriam rerum notabilium custodiendam tunc ponebantur.

p. 46. A. 2, 54, 1. *Petita inde Eubœa, transmisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Juliam edidit*] In hujus puerperii memoriam cusus nummus *Mytilenis*, a Petro Seguino nuper publicatus, in cujus uno latere circum caput juvenis feminæ: ΙΟΥΛΙΑΝ. ΝΕΑΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. in area: ΜΥΤΙ. in altero circum figuram velatam stantem, dextra pateram tenentem: Γ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. & in area pariter: ΜΥΤΙ.

p. 73. v. 1. periisse apud Velleji historici nihil legitur] E. periisse apud Vellejum, cum lib. II. cap. 129.

histo-

historiam Rhascupolis & Cotyis tractet. Præterea Consulares fere erant Legati Cæsarum, qui exercitibus præerant: de Consulatu autem Velleji historici nil legitur.

p. 83. v. 4. jam diximus ad 3, 75, 1.] E. vide ad 6, 23, 2.

p. 100. v. 4. a fine. & Schirtingshals] E. & de Weert.

p. 102. v. 13. *Rubellii* autem prænomen hic *Cnæus* non *Cajus*] A. Sed tam Dionis Index quam Cassiodorus ex Lapide Mediolanensi corrigendus, in quo vocatur *Lucius*: quem e Collect. Archinti publicavit hunc in modum Raphaël Fabrettus V. C.

P· TVTILIVS· P· F· O
VETERANVS· SIGIN
AQVILIFER· LEG· V
CVRATOR· VET
ACCEPIT· AB· IMPE
PRAEMIA· DVPL
NATVS· EST· A· HIRTIO
VIBIO· PANSA· COS· DI
C· FVFIO· GEMINO· L· RV
GEMINO· COS· SIBI
PATECINGI· F
DEMINCAE
ANDOBLATONI· PF
GNATAE PF
TF

p. 119. v. 10. aut auster eadem siccare repleta] A. Ut taceam *Etesias* ventos esse Græciæ & Ægypto periodicos per menses Julium & Augustum, quo tempore in Polonia, Russia, Moscovia, venti australes spirare dicuntur. Vide H. 2,98,4.

p. 125. v. 42. impudens *Suilii* obturatum] E. impudens *Suilii* os obturatum.

p. 137. v. 36. post verba: quæ Fladirtingam de Bredevaart] A. Nam tres alii elices paullo infra vicum Schiplui ex hac fossa ducti versus pagum Maaslandsluis / & sibi fere paralleli, quorum unus de Noordvliet alter de Zuidvliet / tertius de groote Vliet / recentissimi operis non modo accolæ uno ore fatentur, sed singulorum rectitudo ad lineam nuper ducta intuentibus prodit.

p. 143.

p. 145. v. 7. abstinentia] E. continentia.

p. 145. post Animadv. ad 11,32, 3. A. *ut Britannicus & Octavia in complexum patris pergerent*] Suetonius Claud. cap. 27. *Liberos ex tribus uxoribus tulit: ex Urgulanilla Drusum & Claudium: ex Petina Antoniam: ex Messallina Octaviam, & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit.* Non audiendus igitur Josephus, qui *Octaviam* confundit cum *Antonia*, ex *Druso* Urgulanillæ facit *Octavium* Messallinæ lib. XX. Antiq. cap. 5. Προανηρήκει δὲ τὴν γυναῖκα Μεσσαλίναν διὰ ζηλοτυπίαν, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖδες ἐγεγόνεισαν Βρεττανικὸς, καὶ Ὀκταουΐος, καὶ Ὀκταουΐα, ἣ καὶ πρεσβυτάτη τῶν ἀδελφῶν, ἣν ἐκ Πετίνης τῆς προτέρας γυναικὸς εἶχε. Nisi quis verisimilius putet errasse eo in loco librarios scribendumque: Βρεττανικὸς καὶ Ὀκταουΐα· Καὶ Ἀντωνία. ut dicat: *Messallinam uxorem ob zelotypiam ante sustulerat, ex qua ipsi Britannicus & Octavia liberi nati erant: & Antonia fratre & sorore senior, quam ex priore uxore Petina habuit.*

Pag. 172. v. 6. post verba: T. Manlio Torquato G. Atilio Bulbo II. Coss. a. 519.] A. Aliquos tamen ante plenam pubertatem militasse exemplum Æmilii Lepidi docere potest: de quo Valerius Maximus lib. III. cap. 1. *Æmilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit. Cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata & incincta prætexta SC. posita.* Sed rarissime hoc contigisse, ex iis quæ Valerius subjicit, patet: *præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate: duplicemque laudem e prælio retulit, cujus eum vix spectatorem anni esse patiebantur.*

p. 175. v. 19. Nebucadnesaro] E. Nabuchodonosoro.

p. 178. v. penultimo & ultimo. quem adi in Observ. ad Scriptores Ecclesiast. cap. 19. & Livium] E. quem adi ad Livium.

p. 180. v. 14. Beroaldus & Rhenanus] E. Edd. Veneta & Rhenani.

p. 197. v 34. post verba: regnumque Syriæ additum, 12, 23, 2.] Similiter Tristanus *Soæmum*, in cujus gratiam Rex Agrippa, cum ad Cestium Gal-

lum Antiochiam proficisceretur, regni procurationem mandavit cuidam ex amicis nomine Varo, *Soæmi* propinquo, teste Josepho lib. II. B. J. cap. 35. perperam existimat illum *Soæmum* qui a Caligula Rex factus erat.

p. 199. v. 11. post verba: *existimat esse hanc Acten*] A. Cæsar Baronius ad a. Ch. 59. scribit D. Chrysostomum Hom. LIV. in Acta Apost. prodere a D. Paulo pocillatorem & concubinam Neronis ad fidem Christianam conversos. Quod tanti viri fide plures retulere. Sed nihil tale in dicta Homilia, aut ulla alia in Acta reperi. Tamen utrumque Chrysostomo relatum. De pocillatore in Ep. II. Pauli ad Timotheum cap. ult. Ποίαν δὲ πρώτην ἀπολογίαν λέγει; Παρέστη ἤδη τῷ Νέρωνι, καὶ διέφυγεν. Ἐπειδὴ δὲ τὸν οἰνοχόον αὐτοῦ κατήχησε, τότε αὐτὸν ἀπέτεμεν. *Quam vero dicit primam defensionem? Neroni jam adstiterat, & illæsus effugerat. Ubi vero pincernam ejus fidei sacramentis instruxit, tunc ipsum capite truncavit?* De concubina d. l. *Hic* (Nero) *itaque Paulo beatissimo (uno enim eodemque tempore vitam istam agebant) ejusmodi ac prorsus simillima crimina objiciens his, quæ vos modo sanctis viris objicitis. Pellicem enim ejus, quam ille deperibat, atque in deliciis habebat, cum induxisset fidei ac religionis sacramenta suscipere, persuaserat una incestum illum impurumque congressum declinare: hæc, inquam, ille crimina objectans, corruptoremque nequam, flagitiosum atque nebulonem, & his similia, quæ vos modo perstrepitis, Paulum vocitans, primum quidem conjecit in vincula, cum vero ut puellæ ejusc emodi monita atque consilia dare desineret, illi persuadere non posset, necavit tandem.* Interprete Ambrosio Camaldulense. Græca enim nondum, quod sciam, edita.

p. 227. v. 11 & 12. Editiones Beroaldi & Rivii, credo ex prioribus] E. Ed. Ven. & aliæ hanc secutæ:

p. 229. A. 14, 10, 1. *lucem opperiebatur, tamquam exitium allaturam*] Ita MSS. Flor Reg. Meus tum Edd. omnes. Nihilominus Caspar Barthius in Animadversionibus ad Statium * pro *exitium* legit *solatium.* miraturque a tot oculatis Interpretibus hoc non perspectum. Sed ego potius miror hujus mirationem. Cum enim mox sequatur: *Atque cum au-* *ctore*

* lib. III. Theb. v. 32.

ctore Burro, prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit. quid clarius, quam timuisse Neronem statim, ubi illuxisset, prætorianos audita Agrippinæ cæde tumultuaturos, seque tunc periclitaturum?

p. 234. v. 39. cap. 126.] E. cap. 31.

p. 241. v. 29. Beroaldus dedit: *qui post*] E. Ed. Ven. *qui quod post*.

p. 242. v. 27. Beroaldo] E. Ed. Ven.

p. 268. A. 15, 44, 6. *haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt*] Præteriissem locum hunc, utpote per se clarum nec lucis indigum; nisi viderem esse qui dubitent utrum de *odio* quo ipsi Christiani ferebantur in *genus humanum*, an quo *genus humanum* ipsos prosequebatur Christianos, intelligi debeat. Sed quis recte loquens aliquem *in odio*, sive de facto alterius *convictum* dixerit? Præterea quid notius, quam Judæos & primos Christianos a Gentilibus infamatos velut odissent reliquos homines? H. 5, 5, 2. *misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* de Judæis.

p. 285. v. 9. sed Domitiano] A. Idem error in nomine hujus Consulis apud Frontinum commissus lib. II. de Æquæd. *Mario, L. Telesino & Suetonio Paulino Coss. Fontejus Agrippa.*

p. 309. v. 40 & 41. Edd. Rivii & uti reor anteriorum] E. Ed. Ven.

p. 323. v. 4. Filius *Iunii Blæsi* Pannonico exercitui præsidentis principio Tiberii, ac tum tribunus. 1, 19, 4.] E. Nepos, ut puto, *Iunii Blæsi*, Pannonico exercitui præsidentis principio Tiberii. 1, 19, 4. Filius unius duorum fratrum, qui voluntario exitu cecidere. 6, 40, 3.

p. 334. v. 2. *honoratis*] E. *honoratus*.

p. 337. v. 7. post verba: & l. 1. C. de Latina libertate tollenda] A. Quod si post Caracallæ tempora alicubi mentio civitatis Romanæ ab Imperatore concessæ, non de alio id jure quam Quiritium intelligi potest. Hujus rei exemplum suppeditat Tabula ænea, in qua classiarii Misenenses, missi honesta missione, donantur civitate Romana ab Imperatori-

ratoribus Philippis patre & filio, a Petro Bellorio V. C nuper publicata, cujus verba:

IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. (AVG
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P. (P. PROC. ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. (AVG
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. DESIGNAT. P. P.
IIS. QVI. MILITANTES. SVNT. IN. CLASSE· (PRAETOR· PHILIPPI
ANI. SEV. MISENENSE. QVE. EST. SVB. AELIO. (AEMILIANO. PR
OCTONIS. ET. VICENIS. STIPENDIS. DIMISSIS. (H. M
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. (FILISQVE. EORVM
QVOS. SVSCEPERINT. EX. MVLIERIBVS. QVAS. (SECVM. CONCESSA
CONSVETVDINE. VIXISSE. PROBATE. SINT. CI- (VITATEM. ROMA
NAM. DEDERVNT. ET. CONVB. CVM. ISDEM. (QVAS. TVNC. SE

CVM. HABVISSENT: CVM. EST. CIVITAS. IIS. (DATA. AVT. SI. QVI
TVNC. NON. HABVISSENT. CVI. S. QVAS. POST (EA. VXORES. DI
XISSENT. DVMTAXAT. SINGVLIS. SINGVLAS. (AD. V. KAL. IAN
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FELICE. AVG. (COS. DES. III
ET. IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. (COS. II. DES. COS

EX

EX. OPTIONE
T. FL. T. FIL. ALEXANDRO. N. ITAL. D. MISEN.
(ET. MARC
PROCVLAE. VX. EI. ET. MARC. ALEXANDRO.
(ET. FL. MARCO. ET
VLP. SABINO. AVREL. FAVSTAE. FIL. EIVS
DESCRIPT. ET. RECOGNIT. EX. TABVLA. AE
(NEA. QVE. FIX. EST. ROMAE
IN. MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD.
(MINERVAM

p. 381. v. 7. *Silvius*] E. *Silvinus*.

p. 397. A. H. 3, 15, 4. *Universo cum exercitu secundis a Verona castris, Bedriacum venit*] Josephus Antonii gesta non parum elevat (credo in Muciani gratiam) quando lib. IV. B. J. cap. 41. scribit: Ταῦτα ἀκούσας ὁ Πρίμος, αὐτίκα τοὺς σφετέρους ἀνίστησι, καὶ μετὰ τῶν ὅπλων ἦγεν ἐπὶ τοὺς ἀποστάντας. Οἱ δὲ παραταξάμενοι πρὸς ὀλίγον μὲν ἀντέχον, αὖθις δὲ τραπέντες, ἔφυγον εἰς τὴν Κρέμωνα. Καὶ τοὺς ἱππεῖς ἀναλαβὼν Πρίμος, ὑποτέμνεται τὰς εἰσόδους αὐτῶν, καὶ τὸ μὲν πολὺ πλῆθος κυκλωσάμενος, πρὸ τῆς πόλεως διαφθείρει, τῷ δὲ λοιπῷ συνεισπεσὼν διαρπάσαι τὸ ἄστυ τοῖς στρατιώταις ἐφῆκεν. Ἔνθα δὴ πολλοὶ μὲν τῶν ξένων ἔμποροι, πολλοὶ δὲ τῶν ἐπιχωρίων ἀπώλοντο, πᾶσα δὲ Οὐιτελλίου στρατιὰ, μυριάδες τρεῖς ἀνδρῶν καὶ διακόσιοι. Versio Rufini: *His auditis Primus Antonius continuo suos movet, eosque cum armis in defectores ducit. Illi autem instructi ad prælium, paullisper quidem restiterunt. Mox autem loco pulsi, Cremonam fugerunt. Primus autem comitatus equitibus cursus eorum prævertit. Et ante civitatem circumclusam pleramque multitudinem peremit. Aggressus autem reliquos, opidum militibus prædari permisit. In quo multi quidem hospites, mercatores, multi vero indigenæ periere totusque Vitelli exercitus, virorum triginta millia & ducenti.* Primo enim non movit Antonius in exercitum Vitellii apud Hostiliam castra habentem, (si Tacito potius credimus) sed alium minorem versus Cremonam: cum hoc, altero adventus die a quinta diei hora in vesperam ita pugnavit ut is in sua castra, quæ Cremonæ circumjecta, fugere coactus fuerit.

fuerit. Sub noctem advenere sex legiones ab Hostilia; harum conjunctionem cum reliquis impedire Antonius ne conatus quidem est. Sed contra hos simul cum aliis exspectans ordinata acie & tandem excipiens a tertia noctis hora ad solis exortum pugnavit diu dubio & ad postremum propitio Marte. Totum hoc nocturnum prœlium Josephus præterit. Dein cum Vitelliani in castra ut ante se recepissent oppugnata hæc nulla interposita mora & capta sunt, in quorum expugnatione magna cædes edita. Nec castrorum nec oppugnationis Josephus meminit. Denique cum Vitelliani ex castris, in urbem Cremonam se recepissent, & hæc pariter a Flavianis oppugnari inciperet, deditio mature facta sub hac conditione, ut militibus parceretur, qui inermes signa aquilasque extra urbem elatas secuti. H 3, 31, 4. Quid hic Josephus? Totum Vitellii exercitum in ipsa urbe vult consumptum. Quid falsius, si paullo post *victæ legiones, ne manente civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersæ.* H 3,35,2.

p. 469. v. 7. C. ÆLII SEJANI] E. L. ÆLII SEJANI.

p. 472. v 5 C. ÆLIVS SEJANVS] E. L. ÆLIVS SEJANVS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Epi-

B.

C

Corvi

E.

K.

L.

Largus

Segn-

Serv.

 Tem-

Va-

Serv.

V.

Var-



ADDENDA ET EMENDANDA SECUNDA.

P. 105. v. 23. Nisi putemus morbo correptum, quali Herodem extrema ætate laborasse Josephus scribit lib. XVII. Antiq. cap. 8.] E. Herodem ut ætate sic morbo extremo inter alia corporis mala laborasse satyriasi Jacobus Salianus aliique magni nominis viri velut Josepho auctore produnt. Sed Carolus Drelincurtius V. C. monuit me hos omnes in falsam hanc sententiam inductos corrupta Josephi versione, in qua πνεύματ☉ ὀρθία ἔντασις, quæ medico vocabulo ὀρθόπνοια appellatur, *tentigo* redditur. Verba Josephi lib. XVII. Antiq. cap. 8. Καὶ μὴν καὶ τ̃ αἰδοίε σῆψις σκώληκας ἐμποιȣ̃σα. πνεύματός τε ὀρθία ἔντασις καὶ ἀηδὴς λίαν ἀηδίᾳ ἀχθηδόνι τε τῆς ἀποφορᾶς, καὶ τῷ πυκνῷ τȣ̃ ἄσθματ☉. Sigismundus Gelenius hæc reddit. *Ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine non sine fœtore gravissimo. Super hæc omnia nervorum contractione laborabat & difficultate anhelitus.* Sed Græca habent. *Ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis. Respiratio nisi recto thorace non procedebat, atque hæc valde molesta, partim ob fœtoris gravitatem, partim ob asthmatis densitatem.* Adjiciebat vir doctus, cum juxta eumdem Josephum Herodis pedes aqua intercute transfluxerint, ejusque παραπλησία περὶ τὸ ἦτρον κάκωσις fuerit, impossibile videri, ut partes aquositate scatentes, præsertim in tam provecta ætate, arrigi potuerint. Denique alterum Josephi producebat locum e lib. 1. de B. J. cap. 21. in quo ὀρθόπνοια καὶ δύσπνοια (parum quidem medice, cum omnis ὀρθόπνοια sit δύσπνοια, non e converso) putredinoso pudendo statim subnectuntur, citra *tentiginis* mentionem ullam, quam pariter Hegesippus silet.

P. 170. v. 1. exactissimum.] A. Nisi quis malit credere Suetonium potius hic a vero aberrasse, simul cum Quintiliano, apud quem similia legas lib. XII. Instit. cap. 6. *neque ego annos definiam, cum* &c. *Cæsar Augustus duodecim natus annos, aviam laudaverit.*

p. 208. v. 31. A. Iacobus Gothofredus infeliciter locum hunc tractavit ad. l. 1. Cod. Theod. de hered. petit. pro *vi ne* enim legit *ut re.* tum in aliis aberrat.

p. 209. A. 13, 27, 4. *Quin & manumittendi duas species institutas*] Hinc Grotius ad §. ult. Instit. de Libert. dedititiorum libertatem non amplius hoc tempore frequentatam putat. Quod tamen parum verisimile, quoniam Ulpianus Tit. 1. illius adhuc meminit. Verum si attente considerentur hujus verba, apparebit dedititiorum libertatem non constituere novam

ma-

manumittendi, verum manumissorum, speciem. Primum enim ait: *Libertorum genera sunt tria, Cives Romani, Latini Juniani, Dedititiorum numero.* Dein: *Dedititiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt a domino: quibus vestigia scripta fuerunt: qui propter noxam torti, nocentesque inventi sunt: quive traditi sunt, ut ferro aut cum bestiis depugnarent: vel in custodiam conjecti fuerunt: deinde quoquo modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Ergo lex Ælia Sentia removebat a justa libertate eos qui propter crimina quondam puniti & exinde veluti infames erant, si deinceps quoquo modo fuissent manumissi.

FINIS.

COMMISSA OPERARUM IN TACITO.

Pag. 84. v. 40. Livenejus] Scribe, Livinejus. p. 128. v. 33. Suilium] S. Suillium. *& sic deinceps.* p. 147. *in margine.* ‡ operirirentur] S. ‡ operirentur. p. 172. v. 13. Sceptruchi] S. Sceptuchi. p. 176. v. 21. Arsacidem] S. Arsaciden. p. 190. v. 41. exsuerent] S. exuerent. *& sic deinceps.* p. 195. *in margine.* * C. Cæris] S. * C. Cæsaris. p. 248. v. 4. apitoni] S. Capitoni. p. 304. v. 31. femini] S. feminis. p. 317. v. 40. etiamnum] S. etiam tum. p. 320. v. 18. Glitio] S. Glicio. p. 322. v. ult. L. Pontio] S. C. Lucio. p. 324. v. 25. cœtum] S. & cœtum. p. 328. v. 10. L. Telesino] S. Lucio Telesino. v. 41. ex eo oriebatur] S. exoriebatur. p. 336. v. 29. quiritantesque] S. queritantesque. p. 341. v. 14. Urbs] S. & Urbs. p. 342. v. 36. hanc formam] S. ad hanc formam. p. 364. v. 8. Alienus] S. Allienus. p. 367. v. 27. proruperat] S. proruperant. p. 369. v. 6. Jurgio] S. Jurgia. p. 400. *in margine.* ‡ *fidem* MS.] Dele. p. 441. v. 18. illic] S. illi. p. 446. v. 16. prehensarentque hostium] Dele, *que.*

Hæc sunt quæ fugitivo oculo deprehendere potui. Reliqua æquus Lector ipse per se emendabit.

De Staten van Hollandt ende West-Vrieslandt; Doen te weten, Alsoo ons vertoont is by Theodorus Ryckius Professor der Historien in onse Universiteyt binnen Leyden: hoe dat hy Suppliant van meninge sijnde, uyt te geven, ende alreede hebbende doen drucken C. Cornelii Taciti Opera ex recensione & cum Animadversionibus van hem Suppliant niet gaarn soude sien dat deselve by anderen buyten sijn consent wierden naargedruckt, om het welcke te beletten, alsoo hy Suppliant van noden hadde ons verbodt, soo keerde hy sigh tot ons versoekende tot dien eynde onse Privilegie, waar by yder verbooden wierd, binnen den tyd van vyftien eerstkomende jaaren, sonder sijn Suppliants consent de voorsz Tacitus, volgens die recensie, en met die Animadversiones, off in 't geheel, off ten deele te doen drucken, off elders gedruckt sijnde te vercoopen, onder seeckere peene by Ons, soo ten laste vanden Drucker, als den Verkooper te statueren: Soo ist, Dat Wy de sacke ende 't versoeck voorsz overgemerckt hebbende, ende genegen wesende ter beede van den Suppliant uyt onse rechte wetenschap, souveraine macht, ende authoriteyt den selven Suppliant geconsenteert, geaccordeert, ende geoctroieert hebben, consenteren, accorderen, ende octroyeeren by desen, dat hy geduyrende den tijd van vyftien eerst achtereenvolgende jaren het voorsz Boeck genaempt C. Cornelii Taciti Opera ex recensione & cum Animadversionibus Theodori Ryckii binnen den voorsz Onsen Lande alleen sal mogen drucken, doen drucken, uytgeven en verkopen, verbiedende daarom allen ende eenen ygelijcken 't selve Boeck sonder consent vanden Suppliant in 't geheel ofte deel naar te drucken, ofte elders naergedruckt binnen den selven Onsen Lande te brengen, uyttegeven, ofte te verkoopen, op verbeurte van alle de naargedruckte, ingebrachte ofte verkochte exemplaren, ende een boeten van drie hondert guldens daar en boven te verbeuren, te appliceren een derde part voor den Officier die de calangie doen sal, een derde part voor den Armen der plaetse daar het Casus voorvallen sal, ende het resterende derde part voor den Suppliant. Alles in dien verstande dat Wy den Suppliant met deesen Onsen Octroye alleen willende gratificeeren tot verhoedinge van sijn schade door het naedrucken van 't voorsz Boeck, daar door in geenegen deelen verstaen den inhoude van dien te authoriseren, ofte advoueeren, ende veel min 't selve onder onse protectie ende bescherminge eenig meerder credit aensien ofte reputatie te geven, nemaar den Suppliant in cas daar in iets onbehoorlijcks soude mogen influeren, alle het selve tot sijnen laste sal gehouden wesen te verantwoorden, tot dien eynde wel expresselijck begeerende, dat by aldien hy deesen onsen Octroye voort selve Boeck sal willen stellen daar van geene geabbrevieerde, ofte gecontraheerde mentie sal mogen maecken, nemaar gehouden sal wesen het selve Octroy in 't geheel ende sonder eenige omissie daar voor te drucken, ofte te doen drucken, ende dat hy gehouden sal sijn een exemplaar van 't voorsz Boek gebonden, ende wel geconditioneert te brengen inde Bibliotheecq van onse Universiteyt tot Leyden, ende daar van behoorlijck te doen blijcken, alles op peene van 't effect van dien te verliesen. Ende ten eynde den Suppliant deesen onsen consente, ende Octroye moge genieten als naar behooren,

Lasten

Lasten Wy allen ende eenen'ygelijcken dien 't aengaen magh, dat sy den Suppliant vanden inhoude van deesen doen ende laten gedoogen rustelijck, vreedelijck, ende volkomentlijck genieten, ende gebruycken, cesserende alle beleth ter contrarie. Gedaan inden Hage onder onsen Groote Zeegele hier aen gehangen inden Jare Onses Salighmakers, duysent seshondert en sesentachtigh, den seventienden September.

GASP. FAGEL.

Ter Ordonnantie van de Staten

SIMON VAN BEAUMONT.